

V
B
J
C

THESES ASCETICÆ

ad mentem

S. P. N. IGNATII

in sacris Exercitiis

PROPOSITÆ

à P. Casimiro Choiecki Soc. JESU Theologo.





L U B L I N I

Typis S. R. M. Coll: Soc: JESU

Anno Domini MDCCLVI.

THESES ASCETICÆ
ad mentem
S. P. N. IGNATII
in ſacris Exercitiis
PROPOSITÆ
à P. Cantio Choiecki Soc. JESU Theologo.





LUBLINI
Typîs S.R.M. Coll: Soc: JESU
Annô Domini MDCCLVI.



APPROBATIO

THeses Asceticas ad mentem S. IGNATII Fundatoris Societatis JESU ab Admodum Reverendo Patre Cantio Choiecki ejusdem Societatis Theologo propositas, à Theologis aliquot revisas & probatas, ex commissione speciali Celsissimi Principis ANDREÆ STANISLAI KOSTKA *in Załuskie* ZAŁUSKI Episcopi Cracoviensis, accuratè legi. Et quoniam doctrinæ Ecclesiasticæ & sanctionibus Canonicis non dissonant; quinimo ad formandos mores, ad vitæ probitatem, ad perfectionem christianam, ac religiosam, rectâ, tutâ, planâque viâ ducunt: Censeo dignas, ut ad publicam utilitatem prodeant in lucem. Datum Lublini die 19. Mensis Decembris Annô 1754.

ADALBERTUS STRYKOWSKI U. J. D. Custos Ecclesiæ Collegiatæ Lublinensis Parochus Urzędoviensis.

mpp.





THOMAS BACZYNSKI
Societatis JESU, Præpositus
PROVINCIALIS
per Poloniam.

CUm Opus, quod inscribitur, *Theses Asceticæ ad mentem S. Patris Nostri*, aliquot ejusdem SOCIETATIS Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, potestate mihi facta ab A.R.P. Nostro IGNATIO Vicecomite Societatis Nostræ Præposito GENERALI, facultatem concedo, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ità videbitur. In cujus fidem, has Literas manu meâ firmatas & sigillô munitas dedi Cracoviæ 29. Aug. 1754.



Idem qui supra



INDEX EXERCITIORUM

Diei 1mæ.

Diei 2dæ.

Diei 3tiæ.

Diei 4tæ.

Diei 5tæ.

Diei 6tæ.

Diei 7mæ.

Diei 8væ.

Diei 9næ.


Diei 10mæ.

Le-

Pro Renovatione 1ma, votorum, & Spiritûs.

Pro Renovatione 2da.





MEDITATIO PRÆPARATORIA ad Exercitia.

Punctum I. Audiam Christum *Joan.* 7. *Quæretis me, & non invenietis.* Cogitabo *1mò*: Si Deus non exigeret à me hos aliquot dies, deberent per omnia sanctè transigi; quia id exigit salus mea; quid, dum etiam Deus exigit? *2dò.* Si id exigeret sinè meo merito, parendum illi esset; quia dignus est, quia Dominus est, quia Deus est. Quid dum tantillo operi, tanta promittit præmia? *3tiò.* Si grave quid exigeret, auderemne illi negare, cui me totum debeo? quid, dum tam modicum poscit? an ejus voluntati rebellabo? *4tò.* Si non egerem, ut loquatur ad cor meum; deceretne respuere tantæ Majestatis alloquia? quid, dum sinè illis salvari nequeo? Fortè autem decrevit *Oseæ* 2. minùs aliàs efficaciter loqui ad cor meum, quàm *in solitudine.* *5tò.* Si mihi fastidienti alloquia sua, non minaretur pænam; expediretne rejicere tantam gratiam, vocantem me ad salutem? quid, dum intentat pænam? O pænam horribilem, ad quam ambæ aures tin-

niant! nempe, si nunc non quæram Deum, deinceps illum non inveniam! Consonat Augustinus: *Qui non vult, quando potest; veniet tempus, quando volet, & non poterit* invenire Deum. Hujus supplicii scio exempla innumera, utinam ipse non sim exemplum. Novi enim, quòd judicia Dei circa me sint abyssus multa: si ipsum nunc non audiam; nescio, an & ipse me audiet: nescio, an amplius loquetur mihi salutariter; quia *non effundit sermonem, ubi non est auditus.* Nescio, an isti sacro recessui non est alligata gratia, sinè qua salvari nequeam.

Punctum II. Audiam Ecclesiasticum C. 5. *Non tardes converti ad Dominum.* Isti sunt, isti, & forte non alii dies, convertendi me ad Deum. Ergo non tardandum. Nam *1mò.* Tot annos misere perdidi sinè merito: hos jam revocare non possum; ecce tamen supplere possum in hac eremo. Si modò non supplebo, quando supplebo? *2dò.* Imò tot annos perdidi in demeritis: nonne jam hora est, me de somno isto surgere? Quousque traham vitam subjectam pænis, & periculo impænitentiæ? Certè crastinum non est meum; quia ex sensu Augustini & Gregorii: Ille qui veniam promisit pænitentiam agenti, crastinum non promisit pænitentiā differenti. *3tiò*: Datô, quòd mihi promissa sit vita longior; nunquid longæ vitæ promissa venia? *4tò;* Datô, quòd sit promissa,

pu-

putemne damnum, quòd per hoc ſanctum otium, maturiùs expungam debita? 5*tò*. Si non haberem debita, quæ expungam; quantum damnum eſſet, negligere adeo tritum & planũ iter ad perfectionem; ad cujus utique ſtudium graviter obligor! Quantum damnum, per hæc ipſa opera ſegniter facta, mereri purgatorium; per quæ alii evadunt purgatorium! 6*tò* Utique ſalvari volo; ergo maturè videndæ ſunt noxæ, amovendæ illarum cauſæ, providenda remedia. Quod porro fieri nequit, niſi per profundas reflexiones deſcendam in me ipſum. Rurſus iſtæ reflexiones facilè haberi nequeunt, niſi in quiete dierum aliquot.

Punctum III. Audiam Samuelem 1. Reg. 7. *Præparate corda veſtra Domino.* Verba, quæ in hac ſolitudine loquetur ad cor meum Deus, exigunt cor præparatum. Nam nec inter ſpinas, nec in petra, nec ſecus viam fructificant; ſed in terra bona & exculta. Præparatio hæc conſiſtit 1*mò*: in petenda cognitione: quid à me Deus exigit? 2*dò*; in ardenti deſiderio implendi, quod à me Deus exigit. 3*tiò* in proviſione mediorum ad ſuperanda impedimenta finis intenti. Impedimenta verò præcipua ſunt. 1*mum*: hebetudo intellectûs, quia brutus, ſeu *animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritûs Dei.* Igitur petam illuminari, & hoc lumen ſequar. 2*dum*; Duritia cordis, nam: *Qui mentis eſt duræ,*

corruet in malum Prov. 28. Quia mentem duram non facilè flectet *vox, quasi auræ lenis, Divini Spiritûs Job. 4.* Orabo itaq; Deum, ut, sicut promisit per Prophetam, auferat à me cor lapideum. *3tium;* metus difficultatis in meipso vincendo. At nonnisi vincenti se se, dabitur edere de ligno vitæ. Hoc est (ut explicat Corn. à Lap.) *Fruitio Dei ac æterna vita.* Ad hanc mei victoriam conferet, magnô & liberalî animô aggredi & prosequi intentum opus; ut jubet S. Pater, cum firmo proposito, *imò* assequendi debitam statui meo perfectionem. *2dò;* observandi exactè dispositionem temporis & actionum, annotationes & additiones S. Patris. *3tiò:* omnia ferventer agendi, ac si mors immineret; ac si agerem redux è purgatorio, eô pactô, ut per hos dies noxas eluam. Si enim cor meum non erit ardens in me, quando Christus loquetur mihi in hac ad salutem via, brevì frigescam: Qui enim in medio igne tepet, extra ignem congelascet. Ergo anima mea, descende ad luctam cum dæmone, carne, mundo. In te figentur oculi totius cæli: vide, ne illos offendas. Spectabunt etiam sæculares, etiam quondam improbi ab oriente & occidente; qui per hæc exercitia meruerunt recumbere cum Abraham & Isaac: vide ne tuam damnent socordiam. *Vide & interroga de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambula in ea, & invenies refrigerium Jerem. 6.*

Col-

Colloquiū Loquere Domine, quia audit servus tuus. Doce me facere voluntatem tuam. Ad verba oris tui paratū cor meum Deus, paratum cor meū. Jube quod vis, & da quod jubes. Jubes mutare vitam? o dextra Excelsi muta me! Jubes è veterno surgere? o Fons gratiarum excita me prævenieinte gratiâ! Jubes evellere vitia, virtutes inserere, frangere passiones? o brachium Domini extentum robora me! sine te nihil intendere boni, nihil aggredi, nihil prosequi, nihil exequi valeo. Ergo perfice gressus meos in semitis tuis, ad exequendam voluntatem tuam, ad consequendam salutem meā.

Pater. Ave. Anima Christi.

Thom. à Kemp. de amore solitud: lib. 1. c. 19. 25.

Tessera. *Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum* Marc. 6.

Surge, qui dormis. & exsurge à mortuis; & illuminabit te Christus Ephes 5.

Oppidum mihi carcer, & solitudo Paradisus. S. Hieronymus.

LECTIO PRÆPARATORIA
Ad Lectiones Spirituales.

I. Illorum, qui pietate pariter pollent, atq; prudentiâ; nemo non enixè commendat lectionem sacram: Hieronym: ad Demetriadem; *Unum illud tibi nata DEO præq; omnibus unum prædicans, & repetens, iterumq; iterumq; monebo: ut*

ut animum tuum sacræ lectionis amore occupes, nec in bona terra pectoris tui, sementem lolii avenarumq; suscipias. Et ad Celantiam: *Maximum ad justitiam auxilium est, implere Divinis eloquiis animum, & quod opere exequi cupias, semper corde meditari.* Item ad Rusticum Monach: *Neutiquam de manu tua, & de oculis tuis recedat liber.*

Ejus quanta sit utilitas, ab effectibus declarat Chrysostom. hom: 29. in Gen. 1mò: *Primùm*, inquit, *lectione lingva reformatur.* Tum quòd acquirat cultiorem loquendi modum; tum quòd, quæ fuit universitas iniquitatis, evadit schola virtutis; ut constat ex tot exemplis: *2dò Anima pennas assumit, & elevatur* ad probitatem & Deum. Lectio convertit Eunuchum act. 8. S. Justinum Martyrem, prout fatetur init: Dialog: contra Triphon; Augustinum, ùt ipse perhibet L. 7. Conf. c. 21. Sanctos effecit Ignatium Nostrum Parentem, Philippum Nerium, Theressiam, & alios plerosq; S. Marcellam, & plurimos Romanos ad magnam accendit sanctitatem lectio vitæ S. Antonii M. quam illis attulerat Athanasius, teste Hieronymo. 3tiò. *Jubare solis Justitiæ illustratur* ad cognoscendum Deum, seipsam, suos defectus, insidias diaboli, modos vitandi mala, faciendi bona, juvandi proximos, prudenter agendi, loquendi pia. Quantum est, hæc ex aliena penu promere, ex alienis agris fructum colligere, dite-

scere

ſcere gemmîs alieno ſudore natîs, alieno labore partîs, decoctîs, probatîs uti ſecurè!

4tò Inſuper, quod ad augendas vires corpori, ſenſibilis cibus facit; id animæ lectio præſtat. Nam ejus vitam, ſeu gratiam ſanctificantem, bonoſq; habitus, quaſi ſpiritus vitales infuſos tuetur, acquiſitos autem roborat, & perficit. *5tò. Spirituale alimentum eſt:* quia ſpiritum nutrit, auget, reficit, paſcit ſanctîs inſtinctibûs, & affectibûs; qui de cælis amplè defluunt in legentem. *6tò. Et fortem reddit animam*, ad hoſtem vincendum, ad agenda pro Deo magna, ſuſtinenda quævis ardua. *7mò Et conſtantiorem reddit*; quia perſeverantiam inducit, inimicos cōſtantiæ ſedat, feroces motus animi, teporem eliminat; *8vò. Et magis Philoſophicam* reddit; quia ſcientiam Sanctorum docet, veras virtutes plantat, radicat, fovet, excitat ad actus. *9nò. Non permittens, ut ab affectionibus abſurdis capiatur. 10mò. Sed levem faciens, in Cælum transfert.* Hinc lectionem & orationem aliqui vocant alas duas aquilæ magnæ, Apoc: 12. animæ datas, ut volaret in deſertum, ſeu in cælum.

II. Quanta lectionis ejusdem neceſſitas! *1ma.* quidem ex parte noſtra. Nam libri pii ſunt ſpeculum, in quo videmus noſtra vitia, cauſas eorum, occaſiones, ac remedia. Videmus fraudes dæmonis, ac vias, quibus illas effugere poſſimus. Sunt armamentarium, ex

quo

quo promamus omnem armaturam fortium, contra hostes animæ. Immo, juxta Chrysost: Conc. 3. de Lazaro: *Ubi fuerint libri spirituales, illinc expellitur omnis vis diabolica.* Sunt myropolium, ex quo contra morbos animæ haurimus antidota. Audet enim ibidem asserere Chrysost: *Ipse per se librorum aspectus, segniores nos reddit ad peccandum.* Quantò magis Lectio?

Proinde, si negligantur, *imò.* non cernimus animæ pericula, si non cernimus, non amovemus; si non amovemus, implicamur illis; tandem impliciti perimus. *2dò.* licèt ultro nobis obveniant arma contra hostes, illis nō instruimur; nudi cum armatis congredimur, deniq; succūbimus. *3tiò.* Contra morbos animi caremus antidotis; dum caremus, illos non curamus; dū nō curam9, invalescunt; postquàm invaluerint, inducūt mortē. Ideo loco cit. Chrysost. asseverat: *Non potest fieri, ut quis salutem assequatur; nisi perpetuò versetur in lectione spirituali.* Quis audeat tanti Doctoris improbare hanc sententiam.

Secunda necessitas hujus lectionis est; ex ratione proximi, quem scilicet tenemur, dum possumus, juvare. Ex hac enim discimus ignaros instruere, dejectos erigere, solari tristes, iratos lenire, diffusos coërcere, frangere superbos, accendere tepidos, infirmos distrahere, sustinere labentes, levare lapsos; deniq; prudenter, christianè, sanctè conversari. Econtrario

lecti-

lectionis incurius, non se Mercurium exhibet in conversando, sed rudem stipitem. Consonat August: ser: 38. ad Fratr. in eremo: *Quid est homo sine libris? nunquid non bos, vel asinus? nunquid non equus, vel mulus, quibus non est intellectus?* Ex his patet, quàm justè Hieronym: moneat Rusticum epist. 4. *Ex libris discas, quod possis docere; ne priùs Magister sis, quàm discipulus.*

III. Quanta sit in lectione spirituali svavitas, S. Aug: audi in Psalm 18. *Sunt, inquit, quædam deliciæ sanctæ in libris; sunt gaudia spiritualia ex Divinis eloquiis scrutatis & investigatis; ex dulcedine inventionis, quam præcessit labor inquisitionis.*

IV. Ut autem lectio fructum afferat, hæc observanda sunt.

1mò. Liber placeat, non qui floribus vernet, sed qui fructus proferat: non qui curiosè pascat intellectum, sed qui voluntatem inflammet. Philosophus minus ornatum volvens librum, dixit, se de *fimo gemmas colligere.*

2dò. Non aliquis vanus finis te permoveat ad legendum, sed studium profectûs in Spiritu. Aliàs arguet Pythagoras: *Discis, non ut sis, sed ut sciàs esse Philosophus*; ideſt probus.

3tiò Præfigenda materia legenda; ne frustra jaculum in auras mittas.

4tò. Eligendum tempus lectioni commodũ. S. Justinus M. Apol: 2 ad Anton: scribit, quòd in primoeva Ecclesia *manè* legebantur Apostolo-

lorum commentaria. Utriusq; immediati puncti ratio est ex S. Bern: de vit: solit: *Certis: inquit, horis, certa lectioni vacandum est; fortuita enim lectio & varia, non ædificat.*

5tò. Lectioni præmittere juvat orationem, per quam Divinam implores opem, ut ex lectione fructum percipias. Ità docet spiritualis vitæ Magistri, uti Hieron: citatus à Nigron: Comment: Reg: 1. n. 36.

6tò. Profani libri te non avocent à sacris; ne cepas & allia mannæ præferas. S. Aug. l. 2. doctr. Christ. c. 41. dicit, quòd in Sacris literis abundantiùs invenies omnia, quàm nusquam alibi. Immò Platonem & alios Philosophos, quidquid habent boni, ex Sacris hausisse libris; perhibent Ambros: August: Clemens Alex. Tertull: Origen: & alii apud Franc. Mendoza Prooem: in lib. Reg. annot. 2. sect. 2.

7mò. ante lectionem procuranda mentis tranquillitas; quia nec àér, nec animus turbidus incalescit.

V. *8vò.* Probè mastica, quæ legis: Ezechiel c. 3. *Comedere volumen* jussus, non glutire. Nam *quid prodest lectione perpetua tempus occupare, Sanctorum gesta & scripta transcurrere, nisi ea etiam masticando, & ruminando succum eliciamus, & transglutiendo, usq; ad cordis intima transmittamus?* inquit S. Bern. de mod. oran.

9nò. Occasiones evagationum mentis amputa.

ta. Alioquin cribrô aquam hauries. Proinde monet Chrysost: hom: 35. in Gen: *Lectioni vacemus magna pietate & attentione; ut possimus à S. Spiritu ad scriptorum intelligentiam duci, & multum inde fructum percipere.*

10mò. Expedit non transilire libri capita; horum enim ipsa dispositio quandoq; confert ad profectum. Sicut ordinatus bene ciborum esus ad digestionem. Docet hoc S. Bern. de vit. solit.

11mò Tædium ac fastidium legendi reprime vivaciter, dicit enim S. Ephrem tr. 1. de vit. Spir. n. 93. *Quando te à lectione rerum spiritualium abhorrere videris; tunc animam tuam in gravem incidisse morbum, noveris.* Ad non tædiosè legendum sic incitat S. Aug. ser. 112. de Temp. *Qui vult cum Deo esse, frequenter debet orare, aut legere; nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur, cùm verò legimus, Deus nobiscum loquitur.* Idem dicunt Ambros: Hieron. Climac. Isid. apud Nigron. l. c.

12*mò.* Sub lectione mentem ad Deum identidem eleva. S. Birgitta nec ulla spiritualia sinè suspiriis, nec Christi Passionem sinè lacrymis lectitabat.

13*tiò*: Justũ lectioni tempus impende. S. Hieronymus ab adolescentia nunquam cessavit legere, aut interrogare, quæ nesciebat; prout affirmat ipse Præfat. in c. 1. Epist. Ephes. Et S.

Am-

Ambros. l. 1. Offic. c. 20. quærit: *Cur non illa tempora, quibus ab Ecclesia vacas, lectioni impendas? cur non Christum revisas? Christum alloquaris? Christum audias? Illum alloquimur, cum oramus; illum audimus, cum Divina legimus oracula.* Quare

14*tò*. Etiam ut orationi vaces, lectioni sacræ tempus non surripe. Quia judiciô Lud. Blosii spec. c. 10. §. 5. *Si sacræ lectioni convenienter intendis; sæpe majorem fructum refers, quàm si orares.*

15*tò*. Nec te pigeat iterum legere; quæ jam legeras: quia lecta repetere, est resuscitare gratiam Dei, quæ est in nobis; ùt Paulus admonebat Timotheum. 2. ad Timot. 2. Nos autem Augustinus docet: *Excitatur devotio nostra, quãdo ea, quæ licèt non ignorantur, recensentur tamen. Tale est ingenium naturæ nostræ, ut torpescat, si usus destiterit lectionis. Quia sicut ferrum, nisi usum fuerit, æruginem contrahit; ita & anima, nisi frequentiùs Divinîs exerceatur lectionibûs.*

VI. 16*tò*. Post lectionem congrua proposita statue; ad implendum illa, provide media, efflagita Divinum auxilium. Forsitan hoc intelligit S. Basil. dicens: *Lectioni piæ succedat oratio.*

17*mò*. Age Domino Deo gratias pro doctrina, quam ex lectione percepisti. Illam altiùs imprimere cordi satage; stude naviter exequi, ac ad praxim deducere. Testatur P. Barri, quòd Religiosus noster moribundus dixerit: *Nil unquam legi, vel audivi de Sanctis; quod aliquoties non*

sim

sim conatus exequi: quantùm vitæ hujus conditio permitteret.

Adjicio pro coronide sensa P. Scribani. Medic. Relig. L. 3. c. 3. *Videmus*, inquit, *eos, qui piorum librorum lectionem negligunt; ad minùs probatos decurrere, è quibus non rarò nocituras flammas hauriunt.* Ac interjectis aliquibûs, subdit: *Hinc colloquia nascuntur parùm religiosa, modesta, casta; sæculum & aulam redolentia, alienissima ab omni pietate: & totus homo procurrit in historias, aut veteres, aut nuperas; in narrationes nihil nisi vanitatem loquentes; ut in exilium pulsam credas omnem sermocinationem religiosam. Sequuntur liberiores cachinni, immoderati risus; gestus solutior, vox clamosior; diffunditurq; universus homo in sæculi mores. Contra: quos piorum librorum lectio delectat, paria etiam colloquia & cogitationes delectant; ut in mediis etiam externarum rerum occupationibus, piis cogitationibûs pascantur; facilèq; ad illas, in quacunq; etiam sæcularium consvetudine, descendant; utanturq; pro re nata talibus, magnô solatiô suô, magnô aliorum fructu: monendisq; etiam, & ad optima quæq; impellendis, copiosam in promptu supellectilem habeant.*

Hæc breviter attacta de lectione spirituali, possunt applicari audiendis concionibus, exhortationibus, catechesibus, piis colloquiis.

MEDITATIO I.
De Creatione hominis.

Punctum 1mum. Audiam Moysen Deuter. 32. *Nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te?* Cogitabo *imò*: *Quid eram, antequam eram? nihil eram;* en originem meam, Patriam meam, & genus meum. Cujus vel solius consideratio deberet in animum inducere omnem humiliationem, patientiam, obedientiam, neglectum & contemptum mei. *2dò.* Quis ex nihilo me extraxit? Deus optimus. Deus optimus totã omnipotentiam, sapientiã, misericordiã applicuit mihi condendo. Quantum obligatur Regi subditus; quod se de infima sorte provexerit ad summa. Quantum obligor Deo, quòd me *de nihilo fecit* hoc esse, quod sum. Quàm fideliter illi servivit leo, qui de profunda liberavit eum fovea. Quàm fideliter me convenit servire Deo, qui extraxit me de abysso nihili? *3tiò.* Cujus bono me extraxit ex nihilo? non suo bono, sed meo bono; nulla sua necessitate, mera sua bonitate. *4tò.* Extraxit me ex nihilo, videns, quibûs, quantîs, quot peccatîs Ipsum offensurus eram. *5tò.* Vidit in sua virtute productiva innumeros, qui majus obsequium, laudem, amorem, ei fuissent præstituri: illos abjecit, me produxit, quem vidit ingratum fore. Quomodo ipsi resarciam ista damna. *6tò.* Ab æter-

æterno decrevit creare me; adeoq; ab æterno adamavit me, quando amorem ejus mereri non poteram; imò quando videbat, quòd ipsum nō redematurus eram! Quis amicus talis? imò quis Parens? O verè, *nunquid non ipse est Pater meus, qui possedit me, fecit, & creavit me?* O quātum debeo amorem Patri, servitium Possessori, subjectionem ac reverentiam Creatori. Erumpam in actus admirationis, gratiarum actionis, timoris, amoris, doloris, propositi. Petā gratiā.

Punctum 2dum. Audiam S. Job c. 10. v. 12. *Vitam & misericordiam, tribuisti mihi.* Perpendam effectus misericordiæ Dei in creatione mei. *1mò.* Dotes animi. *2dò.* Dotes corporis, & sensuum exteriorum. Utinam illîs non abutar! *3tiò.* Circumstantias loci, temporis, personarum, famulatas mihi non solùm ad æternam vitam, sed etiam ad temporalem; imò & ad ejus commoda. *4tò.* Antequam me creâsset, tam grandî impendiô, scilicet passione, morteq; Christi redemit me; ut priùs fieri potuissem hæres Cæli, quàm compos mei, *5tò.* Ordinavit seriem gratiarum, & mille salutis media. *6tò.* Ordinavit custodem Angelum. Hactenus quid retribui Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Heu me! Pro tantis bonis, nec tantillum rependi bonum. Immò pro tantis bonis, tanta rependi mala! O me ingratum! Canis non mordet manum, quæ cibum

illi

illi porrigit. Abhinc ſtatuo &c. Petam veniam & gratiam.

Punctum 3tium. Audiam S. Paulum Rom. 12. *O homo! tu quis es, ut reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? an non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* Cogitabo *1mo.* Poteſtne mihi videri gravis infirmitas, contumelia, infamia, contemptus, afflictio, incommodum; ſi credo, me eſſe figmentum Dei?" an titulô creationis non habet jus diſponendi pro libitu de me, ac circa me? Num ei reſiſtam? Perſvadebo mihi, me eſſe vas contumeliæ, adeoq; me ſubjiciam quò ad omnia, etiam adverſa maximè, altiſſimo Dominio Dei, ſi volo beatè vivere. Illene poteſt mihi malum velle? imò poteſtne velle, niſi bonum, qui eſt ipſa bonitas? Ecce ego Domine! mitte me, ſive in proſpera ſive in adverſa, ſive in honorem, ſive in contumeliam. Profiteor me eſſe figmentum tuum. Cogitabo *2dò.* Creatus ſum *vas honoris*, quia creatus ſum ad imaginem Dei. Quid obſecro habent in me loci, imagines beſtiarum iracium, invidarum, pigrarum, voracium, ferocium? Heu ſcelera mea *mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis, hominis, volucrum, quadrupedum, & ſerpentium Rom.* 1. Eraſerunt effigiem Dei, ex vaſe honoris effinxerunt

vas contumeliæ! Erubeſcam, proponam, media inveniam, petam gratiam.

Colloquium: Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt, Nomini ſancto ejus. En ego opus manuum Tuarum Domine; opus manuum Tuarum ne deſpicias, ſed qui plaſmâſti me, miſerere mei. Ne perdat me, quæſo, iniquitas mea, quem fecit Omnipotens Bonitas Tua.

Pater, Ave, Anima Chriſti.

Thomæ à Kemp. l. 3. c. 8, 9. 10.

Teſſera *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me totum.* Job 10.

Fecit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Gen. 1.

Quid eſt homo, quòd memor es ejus? Pſal. 8.

DIEI PRIMÆ LECTIO PRIMA
De Servitio Divino.

Servire DEO, eſt declinare à malo, & facere bonum. 1mam partem affirmat Niſſenus dicens in 1. ad Cor. 15. *Servitium Divinum eſt perfecta, & omni ex parte abſoluta ab omni malo abalienatio.* 2dam partem affirmat Lactantius L. 3. de vera Sap. cap. 9. *Servire DEO non eſt aliud, quàm bonis operibus tueri & conſervare juſtitiam.* Hæc debet eſſe totius vitæ noſtræ occupatio, hic

hic ſcopus, ad hunc finem creati ſumus.

Unde idem Lactantius loc. cit. *Si quis hominem, qui verè ſapit, interroget, cujus rei gratiâ natus ſit? reſpondebit intrepidus ac paratus: Colendi ſe DEI gratiâ natum; qui nos ideo generavit, ut ei ſerviamus.* Ibi proinde redarguit Anaxagoram, quòd reſponderit: *Natum ſe eſſe, causâ ſolis ac cœli videndi*

Dum ad ſerviendum ſibi cohortatur Hebræos DEUS, eis mentionem ingerit ſæpe, quòd illos eduxerit ex Ægypto, ac in libertatem aſſeruerit; ut tanti beneficii memoriâ moveretur efficaciùs ad cultum ejus. Nonne majus beneficium eſt, educi de nihilo; quàm educi de Ægypto? Proinde nonne ſtrictiùs obligare debet ad ſerviendum DEO titulus hic, quòd nos creaverit?

Quàm conſtanter deſervit ad omnia ſoli radius, quòd ſe produxerit; quàm largè terram fæcundat pluvia, quòd inde ſuam accepit originem! *Hedera*, dicit Balthaſar Alvarez de Paz L. 3. p. 3. dec. 9 Contempl 80. *Arborem, quâ ſuſtentatur & in altum erigitur; mille ramis, quaſi brachiis adſtringit; quia ſuam ab illa perfectionem & erectionem ſumit.* Et ecce ratione præditæ creaturæ, non ita ſe gratas exhibent Creatori. Singulis inculcat illud Iſaiæ 43. *Omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum & feci eum.* Sed aures habent & non audiunt.

Non solùm autem è nihilo, sed etiam è servitute dæmonis educti sumus in libertatem filiorum DEI. Nonne gravior illa servitus erat quàm Ægyptiaca? At quantô pretiô libertatem istam nobis emit? emit atroci morte Filii sui, quo nihil habet pretiosius. Hôc ille stimulô urget ad serviendum sibi Isaiæ 43. *Quia redemi te, meus es tu.* Hoc excitat & Paulus 1. Cor. 6. *Empti estis pretiô magnô; glorificate & portate DEUM in corpore vestro.* Græci addunt: *Et in Spiritu vestro.* Quod sic explicat S. Thomas: *Sicut equus portat dominum, & ad ejus voluntatem movetur; ita corpus & Spiritus obsequio DEI mancipetur.* Hôc & Plato stimulô pigrum pungebat servum: *Nôsti te emptum esse: noveris te servum esse.*

Si hujus conditio servilis est, pro quo profusum est aurum vel argentum, hoc est flava, vel alba terra; quantô verius servilis est ejus conditio respectu DEI, pro quo Divinus sanguis est profusus. At finge, quòd aliqua pura creatura, quòd vilis, quòd levi pretiô, te redemit; sed hac lege, ut svave Christi jugun tollas: utiq; tollendum esset. Jam, cùm te redemit ipse DEUS, tam carò, propter se: quidni te illi mancipes in servum? Potesne meliorem herum nancisci?

Servitus hæc omni libertati præstat. Audi Ambrosium L. de Parad. c. 4. *Religiosa servi-*

tus subdita DEI verbo, multo melior est, quàm sæculi libertas. Plus ei Philo tribuit Lib. de Cherub. *Servire DEO, maxima est gloriatio, non modò libertate major; sed & divitiis, & principatu, & omnibus rebus, quas mortales miramur, pretiosior.* Illam imperiis præfert Cassiodorus inquiens: *Tibi Domine melius est servire, quàm mundi regna capescere: meritò, quando ex servis filii, ex impiis justi, ex captivis reddimur absoluti.*

Prædictos duos titulos colendi DEUM expendens Augustinus exclamat: *Domine, qui tibi non servit, quia à te creatus est, infernum meruit: sed qui non servit tibi, quia redemptus est, meretur, ut novus pro illo infernus fiat.* Cæterùm etsi nec creâsset nos, nec redemisset; adhuc per alia, prorsus innumera beneficia, jus in nos acquisivit omnimodum; *Nam qui beneficium accepit, libertatem amisit;* Enimverò, quid rationi magis consonum, quàm animus pro bonis perceptis gratus? hôc quisquis caret, hominem exuisse dicitur. Non aliter autem grati possumus esse DEO, nisi fideliter, constanter & reverenter illi serviendo.

Verùm, sit ita, quòd nihil nobis præstiterit, & præstet boni; ubiq; noster Dominus est & hæres; in ejus manibus sortes nostræ; habet claves mortis & inferni, habet potestatem mittere in gehennam. Hinc S. Paulus dum præcipit Hebr. 12. ut DEO serviamus *cum metu &*

reve-

reverentia; rationem dat: *DEUS enim noster ignis consumens est*: nimirum, ut exponit Cornelius: Punit, urit, consumit eos, qui non serviunt illi cum metu & reverentia. Ideo Propheta quoq; monet Psal. 2. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore; nè quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.*

At si nec hæres esset, nec Dominus noster, nec metuendus; omnem ei deberemus reverentiam & obsequium. Nam & viris illustribus inservimus, quòd id postulet eorum dignitas; quàmvis jus nullum in nos habeant. Ita Ruth servivit Noemi suæ *Ruth 1.* Non est indignũ exhibere dignis obsequia. Imò S. Ambrosius censet quòd *dignitas est servũ esse potentis*. Quãta ergo dignitas est, servũ esse omnipotentis? 2. Omnis quidem servitii, sed vel maximè Divini præcipua proprietas est *timor Domini*, quẽ scripturæ tantopere cõmendant. Hunc si filialis est, ad Charitatẽ refert S. Thomas 2.2.q. 19. a. 6. *Utpote quem timorem*, inquit Cassianus Coll. 11. c. *non pænarum terror, non cupido præmiorum; sed amoris generat magnitudo; quo vel filius indulgentissimum Patrem, vel frater fratrem sollicito reveretur affectu; nè erga se quantulùmcunq; fervor dilectionis intepescat.* Proinde sicut ex amore, sic ex timore tali, fluunt proprietates aliæ.

Et imprimis fluit impletio Divinæ Volunta-

tis, ex qua rursus pleraq; promanant officia servitii. Nimirum, ait S. Cyprianus De Orat. Domin. *Humilitas in conversatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis justitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina: injuriam facere non posse & factam posse tolerare; cum fratribus pacem tenere; DEUM toto corde diligere, amare in illo, quod Pater est; timere, quod DEUS est: Christo nihil omnino præponere; quia nec nobis ille quidquam præposuit; charitati inseparabiliter adhærere; cruci fortiter & fideliter & assistere, quando de ejus nomine & honore certamen est, exhibere in sermone custodiam, quâ confitemur; in quæstione fiduciam, quâ congredimur; in morte patientiam, quâ coronamur. Hoc est, voluntatem Patris adimplere.*
3. Quod nos à ferventi Divino retrahit obsequio, *1mum* est, quòd aure surda Divinos excipimus affatus, seu instinctus. At hos, qui non audit, audiet illud Isaiæ 65. *Vocavi & non respondistis mihi; locutus sum, & non audistis: ecce ululabitis &c.*

2dum: quòd vitia radices egerint. At cur radicata? cur hactenus non evulsa? evelli nequeunt, si non incipiant evelli: radicabuntur altiùs, si non incipiant mox evelli.

3tium est pusillanimitas. At quantô animô contra proximum insurgis? imò contra DEUM, quoties peccas? cur non eodem insurgis animô contra mundum, carnem, dæmonem? ha-

besne

besne his immitiorem hostem? Deinde: Miles es, quid mereberis, si tantum animi non habes, ut contigas? athleta es; si luctari metuis, quomodo coronam speras? Ille nonnisi, qui vicerit, *non lædetur à morte secunda*; hoc est à peccato, ùt Rupertus explicat; vel *ab inferni pœnis;* ùt explicant communiter alii.

4tum. Est, ætatis vel virium ratio: Eccur hæc non impedit, quin servias diabolo, cujus gravius est jugum, quàm Christi? O quot infirmi, pueri, senes, damnabunt in judicio DEI tam ineptam & frivolam causam tuam? *5tum* Sunt socii perversi, qui pervertunt: At Socius tuus debet esse JESUS, cùm tu sis JESU Socius: versare cum hoc sancto, & sanctus eris. *6tum*, sunt exempla prava. At nec ad statum hunc, nec in mundum venisti, ut ad aliorum exempla vivas; sed ad hoc exemplar, quod tibi monstratum est in monte Calvariæ. Deinde, sequi placet exempla prava; cur sequi displicet exēpla sancta?

7mum sunt humani respectus: At hi respectus sunt despectus DEI; quia DEUM postponunt homini. Posside omnem æstimationem & corda hominum: quantùm hoc tibi proderit ad salutem? an non oberit? *Quicunq; voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus DEI constituitur.* Jac. 4.

IV. Ad hoc ut fideliter DEO servias, tot impri-

imprimis sunt media, quot sunt opposita tum allatis modo, tum aliis impedimentis. Efficax item est medium *Timor DEI*, præsertim filialis. Nam ut ait Chrysostomus Hom. 2. de incompreh. DEI nat. *Qui metuit, non scrutatur; sed colit, observat, adorat, honorat, glorificat, laudat, commendat.* Nec minùs efficax est jugis & accurrata consideratio principiorum quorundam spiritualium. Ex his, omnibus communia sunt.

1mum: Omne cogitatum, dictum, factum æternum est. *2dum:* Tempus fugit, mors insequitur, mundana transvolant, æternitas appropinquat. *3tium.* Quam dabit homo commutationem pro anima sua? *4tum:* Servus inutilis sum, quod debui facere, feci. *5tum:* Ex R. Achabia: Considera tria: 1mum, unde venisti? 2dum: quo vadis? 3tium: cui redditurus es vitæ rationem? Unde venisti? ex materia fætida. Quo vadis? ad locum cineris & vermium. Cui reddes rationem? Regi regum, Sancto & benedicto. *6tum:* Non decet sub spinoso capite membrum esse delicatum. *7mum:* Dignus est DEUS, ut propter illum hoc agam, vel patiar; non attingam sublimitatem dignitatis ejus. *8vum:* Potuerunt hi & hæ, & tu non poteris?

Principia propria Religiosis: *1mum:* Ad quid venisti? cur sæculum reliquisti? ad hoc utiq;

ut

ut tibi mundus sit crucifixus, & tu mundo: *2dum:* Et Senatorem amisisti, & monachum nõ fecisti. *3tium.* Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno DEI. *4tum:* Dignè ambuletis vocatione vestra. *5tum:* DEUS non irridetur; meliùs erat ei non promittere, quàm promissis non stare. *6tum:* Ego & asinus pares sumus, paleæ mihi debentur & verbera. *7mum:* Non decet Religiosum plebeium esse DEI servum. *8vum:* Non degenerandum ab excelsis cogitationibus Patrum nostrorum.

Concludat S. Bernardus Serm. 20. in Cant. *Valde omnino mihi amandus est, per quem sum, vivo, & sapio. Si non amo, ingratus sum, & indignus. Dignus planè est morte, qui tibi Domine recusat vivere, & mortuus est. Et qui tibi non sapit, desipit; & qui curat esse, nisi propter te; pro nihilo est, & nihil est. Deniq; quid est homo, nisi quia tu innotuisti ei? propter temetipsum DEUS fecisti omnia, & qui esse vult sibi, & nõ tibi; nihil esse incipit inter omnia. DEUM time, & mandata ejus observa; hoc est omnis homo. Ergo si hoc est omnis homo, absq; hoc nihil est omnis homo. Inclina tibi Domine modicum id, quod me dignatus es esse; atq; de mea misera vita suscipe obsecro residuum annorum meorum: pro his verò, quos vivendo perdidi, quia perditè vixi; cor contritum & humiliatum DEUS non despicias.*

DIEI

MEDITATIO II.

De fine Creationis.

Punctum 1mum. Audiam Deum Isaiæ 44. *Formavi te, servus meus es tu.* Cogitabo *1mò*: Format opus artifex, servit ipsius usui; formavit me Deus, illius servus esse teneor. Nam licèt poterat me non formare, non poterat tamen me formare alio fine, quàm ut servus ejus sim. Quia, ut nihil DEUS non ad suam creet gloriam, hoc ejus perfectiones exigunt. Cogitabo *2dò*: Creari hominem est arborem plantari; quæ si fructum non fert, maledicitur. Quid, si virulentas baccas pariat? *3tiò*: Servit mercenarius pro denario, & ego non serviam pro anima & corpore? *4tò*: si alio fine creâsset me Deus, quàm ut ipsi serviam; tenerer utiq; servire illi: sicut teneor servire Parentibus, & si non propter illos, sed quia ab illis editus sum, nunc autem, cùm à Deo, & propter Deum creatus sum; cur illi non servio? cur excussi jugum ejus, & dixi: non serviam? Dixi verò toties, quoties illi non obedivi. Cui hactenus servivi? quam ab illo mercedē spero? Quanta bonitas tua Deus! quis herus foveret famulum sibi prorsus inutilem? tantò magis læsivum sui, & injurium sibi? Ah Domine pudet me prioris vitæ. Dixi: nunc cæpi.

Punctum 2dum Audiam Job Cap. 10. *Manus*

tuæ

tuæ fecerunt me & plasmaverunt me totum in circuitu. Cogitabo *imò.* Si me non produxisset Deus quò ad corpus, sed quòad solam animam; deberem esse totus Dei: sicut artefactum totum est artificis, licèt materiam ejus non produxerit. Cùm verò, tam quò ad corpus, quàm quòad animam à Deo sim; rectè inferam cum Bernardo: *Ille me totum sibi exigit, quò totum me fecit.* Væ mihi! quia partior me carni & mundo, o quanta hæc injuria legitimi Domini mei! *2dò* Non solùm totum, sed etiam omni momentô producit me Deus; quia omnî momentô me conservat: jam autem conservatio est continuata productio; ut ajunt Philosophi. Proinde totũ me & omnî momentô Deus exigit. *3tiò:* Non solùm totum & continuò me producit, sed & omnia mea, itaq; omnia mea DEI sunt, Dei credita sunt, deposita DEI sunt meæ custodiæ commissa, ad meum lucrum concessa. Hinc horum omnium rationem justè à me exiget. *4tò:* Licèt autem me totum, & omnia mea exigit; tamen adhuc modicum nimis exigit: nam quantula sunt ista mea *omnia*? quanta verò pro illis merces! Exigit Deus me, & mea; dat mihi seipsum, & sua; ô felix commutatio! Exigit â me unam & alteram diei horam, reliquas donat mihi; & pro hac, quam exigit, hora, æternitatem sanctam rependit. Opera mea resignat meo commodo temporali vel æ-

terno;

terno; sibi ex illis solam vendicat gloriam; & pro hac ipsa gloria, sanè levi, vult me beare totâ Cælesti gloriâ.

Punctum 3tium. Audiam Christum Apoc. 1. *Ego sum principium & finis.* Cogitabo *imò*, Sicut est impossibile, ut Deus non sit principium meũ, & actionũ mearum; ita impossibile est, ut non sit finis ultimus. *Quia omnia propter semetipsum operatus est Prov. 16.* Quare ideo unicè sum, ut sim totus Dei; si non sum totus Dei, frustra sum, *& in vanũ accepi animam.* 2*dò.* Consequens est, quôd mearum actionum non est hic scopus, ut perficiam desideria carnis, sectando illecebras, honores, res caducas, fluxas, evanidas, etenim hæ possunt animam irritare, decipere, perturbare, inficere; sed non possunt satiare. Sic de divitiis Bern. ait: *Sicut aër inflare potest, satiare non potest; ita divitiæ tumere possunt, implere non possunt.* Quia cùm *anima nostra* inquit S. Augustinus: *sit capax infiniti boni*, nequit impleri ullo finito bonô. 3*tiò.* Prosequi autem omnibûs actibûs Deum, & simul istas respicere vanitates, & insanias falsas, an non est, non toto corde amare Deum; sed partiri cor inter Deum & vanitates? an non est, Christum sociare Beliali, arcam Dagoni, lucem tenebris? an non est, tanti habere vanitates, quanti Deum, seu *consortem Christi facere diabolum*; ut inquit S. Aug. Itaq; anima mea, morem gere S.

An-

Anselmo: *Quid vagaris per multa? quære unum bonum, quod est omne bonum; & sufficit tibi.* Dispice potentias internas & externas, an non devient à sua meta, hoc est à summo bono; deplora errores, age gratias pro tam sublimi fine tuo; ad quem Cælites, Christus, & ipse Deus tendit.

Colloquium. Næ ego saxô durior, quod tanto nisu fertur ad suum centrum; næ frigidior aquîs, quæ tanto impetu rapiuntur ad suum principium; nempe ad mare. O Bonitas! o Dignitas! o Deus! totum me tibi debeo, toto me teneor ad te ferri; & ego totus aberro à te. Tam parum à me exigis, & omnia tibi nego, mundus omnia à me exigit, & nihil ipsi nego; O iniquitas mea! Tu ex his, quæ gratis contulisti, modicum exigis; mundus, quæ conferre nullatenus potest, exigit omnia; tu pro modico, quod exigis, promittis æterna bona; mundus pro omnibus, quæ exigit, promittit æterna mala. Ego mundo offero, quæ non sunt mundi, sed tua: tibi propter mundum eripio, quæ sunt tua. Ut hosti faveam infensissimo, Patri amantissimo tantam injuriã infero. O quanta mea Cæcitas! Abhinc in æternum dono tibi totum me, qui totum plasmâsti me, ut in æternum amem, reverear, & laudem Te.

Pater. Ave. Anima Christi.

Thom. à Kempis lib. 3. cap. 38.

Tessera. *Dic, quæso, omnibus istis laboribus, quò ambimus pervenire? quid quærimus? cujus rei causâ militamus? majorne esse potest spes nostra in palatio, quàm ut amici simus Imperatoris? & ibi quid non fragile, plenumq; periculis? & quot per pericula pervenitur ad grandius periculum? & quamdiu istud erit? amicus autem Dei, si voluero, ecce nunc fio.* S. Aug. lib. 8. Confes. c. 6.

Vide homo, dicit mundus, quomodo amavit te, qui propter te fecit me. Servio tibi, quia factus sum propter te; ut servias illi, qui fecit & me, & te, me propter te, & te propter se. Si sentis beneficium, redde debitum; si accipis benignitatem, redde charitatem. Hugo Vict.

REFLEXIO
Supra Religiosum Creaturarum usum.

I. *Omnis creatura ingemiscit* apud S. Paulum Rom. 8. quod ei vim inferas; dum avertis à fine, quem appetit, ad quem est condita, scilicet à Dei gloria; Convertis autem ad vanos fines, & usus illicitos. Ingemiscit, & clamat apud S. Antoninum p.2.sum. Theol.tit. *2.c. 9. Accipe, redde, fuge; accipe beneficium, redde debitum, fuge supplicium.* Accipe beneficium animô gratô, humilî, pavidô: redde debitum amoris, laudis, obsequii; fuge pænas decretas, & paratas abusui beneficii. Ingemiscit & clamat apud S. Chrysost. *Pareo tibi, obtempero, servio:*

pareo rebelli, obtempero procaci, deservio contemptori. Quis talis es, qui in tali contemptu persistis? qui creaturæ imperas, & Creatori non servis; qui dominatum exerces, & Dominum non agnoscis? Time Dominum patientem, ne severum sentias Judicem: corrigat dilatio differentis, ne censura puniat Judicantis. Cogita quod olim eas, quibus nequiter utimur, creaturas armabit Deus ad ultionem Sap. 5. Audi S. Greg. hom. 35. in Evang. *Namque, quæ ad usum vitæ accepimus, ad usum convertimus culpæ: sed cuncta, quæ ad usum pravitatis inflexmus, ad usum nobis vertuntur ultionis. Ergo restat, ut simul nos omnia feriant, quæ simul omnia vitiis nostris male subacta serviebant: ut quot prius in mundo habuimus gaudia, tot de ipso deinde cogamur sentire tormenta.* Itaque Vide

II. *1mò: An Invisibilia Dei*, seu attributa (ut explicat Corn) *per ea, quæ facta sunt*, agnoscis, admiraris, adoras, laudas? Etenim *quæ facta sunt*, speculum sunt, in quo relucent perfectiones Dei. Nam si pulchra sunt, *quantò his dominator eorum speciosior est! Sap. 13.* Si fortia sunt in operando, *quantò qui hæc fecit, fortior est illis!* Ex perpetuitate Creaturarum intelligitur Creator æternus; ex magnitudine Omnipotens; ex ordine, & dispositione sapiens; ex gubernatione bonus; inquit S. Aug.

2dò: Eccli. 42. *Creaturæ sunt scintillæ*, quæ nos accendunt ad amandum Deum. Et te num ac-

cendunt? num accendunt ità, ficut Augustinum accendebant. L. 10. Conf. c. 6.?

3tiò; An cor umbratico bono non affigis? hoc esset cum Æsopico cane prosequi carnis umbram, & ipsam carnem amittere; pro gutta vel rivulo privari fonte. Porro juxta S. Anselmum; *Rivuli bonorum concupiscibilium diversi, fons omnium est Deus; sed melior fons, quàm rivulus.* Proinde *Si aliquid diligo, quia bonum; quod millies melius, magis amare debeo.*

4tò. An propter bonum transiens, jacturam æterni boni non subis? Audi S. Augustinum: *Peccans animam suam vendit diabolo, acceptâ, tanquam pretiô, dulcedine voluptatis temporalis.*

5tò. An citra salutis quidem periculum, avidè tamen non sectaris temporalia? *Quid per multa vagaris homuncio. quærendo bona animæ tuæ, & corporis tui? Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit, S. Aug. de Spir. & an. c. 54.*

6tò. An ultimò creaturarũ usum ordinas ad cultũ Dei? secus, Creaturæ Dei factæ sunt in muscipulam pedibus insipientium. Quod S. Thomas 1. 2. q. 79. art. 1. ad 2. exponit ità; *Qui scilicet per suam insipientiam utuntur creaturis ad aliud, quàm ad quod factæ sunt.*

III. 7mò. An habes aliquid absque licentia? S. P. N. in primis regulis manu propria scriptis vetuit: *Nè sinè facultate quis accipiat rem aliquam ab aliquo, vel aliquid ad domum pertinens,*

valo-

valoris etiam unius pennæ. Testatur P.Lanc. tom. 1. opusc. 2. c. 6.

8vò. An non uteris præsumpta facultate dādi vel accipiendi, dum commodè potest expressa peti? Talis enim facultas tantùm valet, quantum nulla; Lugo de Just. d. 3. n. 125. vide La Croix tom. 1. L. 4. n. 110.

9nò: An licentiam non expalpâsti, vel rationibus fictis non evicisti, vel importunè non extorsisti?

10mò: An quasi cum facultate non habes superflua. Trident. S, 25. c. 2. *Melius est minùs egere, quàm plùs habere.* inquit Aug. de regul. Lib 2. contra Jovin. Mirabilis hoc in puncto fuit Diogenes Ethnicus, teste S. Hieron. qui videns puerum manu concavata hauriendo aquam bibere; suum lignum cavatum, quod ad potandum adhibebant, elisit in terram, dicens: *Nesciebam, quod natura haberet poculum.*

IV. *11mò:* An ex necessariis non habes pretiosā? quia tam superflua, quàm pretiosa violant essentiam paupertatis; quod permittendi nullus Superior potestatem habet; quia nullus habet potestatem rescindendi sinè causa votum Deo factum legitimè. Viles S. Catharinæ Vasten. vestes apparebant per miracula pretiosæ: ùt scribitur in ejus vita.

12mò: An ex necessariis non eligis pulchriora? *Pulchritudines istæ, & forenses honestates, cita*

virile propositum enervant, & masculum animum effœminant; ait S. Bern. Vit. Solit.

13tiò: An tibi persvasisti, *quod ea quæ vilissima sunt domi, Exam. c. 4. §. 26. tibi tribuentur?*

14tò: An non solùm acceptas, sed etiam amas viliora? Id S. Marcellam docuit S. Hieronymus.

15tò: An etiam vili rei non adhæreas affectu nimiô, sicut adhærebat ille famosus Eremita suo cato? S. Dorotheus Dositheo cultelli usu interdixit, quod ad eum affectu videbatur adhærere.

V. *16tò:* An etiam in vilibus non quæras mundanam elegantiam? S. Basil. Const. mo. c. 31. statuit: *Vestimenta calceamentave, non ea exquirenda nobis sunt, quæ sunt elegantiora, sed quæ viliora, ea eligenda; ut in hac re etiam animi nostri humilitatem significemus.* Refert Cæsarius L. 4. c. 12 quod Galliæ Rex monachum questum, à milite quodam omnis monasterii res esse raptas ita pupugit: *Apparet in calceis vestris; si aliquid dimisisset vobis corii, non essent ita stricti.*

17mò. An rerum necessariarum defectum sustines? *Qui nihil vult sibi deesse, & tamen vult Religiosus haberi; decipitur.* dicebat P. Balt. Alvarez Vit, c. 5. pag. 50.

18vò. An ex amore Matris paupertatis, amas & sorores eius, nempe famem, sitim, frigus, contemptum? aliàs de paupertate tibi non

blandire; dixit P. Druzb. in m. S.

19nò: An rebus tanquam commodatis uteris? proinde an curas restituere mundas, integras, illæsas? S. Basilius Epist. ad Canonicam. *Diligentiam in omnibus vel utendis, vel conservandis, eam adhibe; quam in Dominicis rebus adhibere par sit.* S. Petrus Damianus præscribit suis: *Libros ità custodiat, ut nunquam super literas manum teneat.* In Instit. Congr. c. 18.

20mò; An res domesticas hìc & nunc tibi non necessarias, forsan autem necessarias aliis; non retines? S. Zeno apud Theodoret. *Unum librum accipiens, eum totum legebat, & eô priùs redditô, alium accipiebat.*

21mò. Quô sustines animô, si re priveris aliqua. Eône quo S. Job? eône quo S. Elisabeth Regis Hungariæ Filia? an in hoc casu lætaris?

22dò. An si quid restet post usum rei, non disponis pro libitu? non enim habes dominiū rei, sed solum usum Vide Busenb. l. 4. c. 1. d. 4.

DIEI PRIMÆ LECTIO SECUNDA
De mediis ordinis superioris ad finem Creationis.

I. *1mum* ejusmodi medium est *Christus Dominus*. Venit ille, quærere & salvum facere, quod perierat. Quæsivit annis ampliùs 30 per

doctrinas, exempla, consilia, præcepta, gratias. Quæsivit figuratus Gen. 37. Joseph fratres suos; o quanto labore, quanto amore! Quæsivit in humili præsepio, in Ægypto, in fame, in siti, in incommodis, in horto Gethsemani, in vinculis, flagellis, spinis, ludibriis, Golgotha. Tandem invenit in Dothain, hoc est: in *adimpleta lege*; dum omnem legem de se scriptam ad minimum apicem implevit in funesta cruce. Permisit æstimari se vilî pretiô, vendiqúe non Ismaëlitis, sed suis hostibus. Promeruit nobis, non jam terram Gessen, sed terram viventium, Cælum. Implevit figuram Joseph, ut inquit S. Ambr. c. 3. de Joseph: *Hoc scriptum de Joseph, impletum in Christo.*

Quid multa? Dilexit me & tradidit semetipsum pro me; ad Gal. 2. Totum se dedit in pretium, & medium salutis meæ. Et ego multum arbitrer me præstare, si me totum illi dedero? Amavit me plùs, quàm se; nam ut me perditum inveniret, propriam dignatus vitam perdere: & ego non redamabo sic amantem? Ad hæc, fratrem se fecit nostrum, igitur amandus. Si *amandus*? igitur imitandus; amor enim imitator est amati, imò transformat in *amatum*. Ex amore mei, similis ille mihi factus: cur ego similis illi non sim, ex Ejus amore? præsertim cùm in hac similitudine consistat perfectio, & salus mea. *Domine volunt*

omnes

omnes te frui, sed non imitari: cupiunt consequi, sed non sequi; ait Bern.

II. Alterum medium est; *Virgo Deipara*. Hæc, ab una parte, desiderat ardenter salutem meā, divinam avertit iram, occasiones amovet peccandi, gratias auxiliantes impetrat, ad DEUM, cælumq; manuducit, ità curat me salvum fieri, ac si nihil aliud illi curæ foret. Ab altera parte, judiciô S. Bonav: *Potest omnia per Filium suum, potest omnia cum Filio suo, potest omnia apud Filium suum*. Cùm ergo & velit, & possit per opem suam me salvum facere; an non est efficax medium salutis meæ? Opponam sanè justitiæ Filii misericordiam Matris. Poterítne Filius aliquid negare Matri, qui ei seipsum dedit? Vitam ille fudit propter occisores, quomodò non præstabit minus propter Matrem, ex qua vitam hausit? Majoresne vires habebunt delicta mea ad Filii justitiam irritandam, quàm præces Matris ad illam placandā? Plúsne evincet servi nequam indignitas, quàm Matris dignitas; quæ juxta S. Thom. est aliquomodò infinita? Exclamabo cum S. Anselmo: *O felix MARIA! sicut omnis à te aversus & despectus, necesse est, ut pereat; ità omnis ad te conversus & respectus, impossibile est, ut pereat*. Cogitabo *imò*: Quantùm in me succrevit amor erga Deiparam conceptus in annis teneris. *2dò*: quomodò tam efficaci mediô deinceps utar ad salutem.

III. *3tium* medium est *Custos Angelus*. Immensa DEI Bonitas Angelum tam sublimem spiritum, tam beatum, quàm proximè sibi cohærentem, & verè domesticum suum misit in ministerium, & medium salutis meæ. Hic me tuetur & regit; arcet à malo, trahit ad bonum, lapsum erigit, titubantem sustinet, ab hoste protegit, bona impetrat; ut ego securus dormiam, ipse pervigilat. O quantam illi debeo reverentiam pro præsentia, devotioné pro benevolentia, fiduciam pro custodia! Id ipsum DEUS præcipit Exod. 22. *Observa eum & audi vocem ejus*. Enim verò præsentia Principis inclinat me ad ejus reverentiam: quidnî inclinet Angeli præsentia, qui Principibus terræ supereminet? Imò ipsa imaginatio, quòd adest homo, præsertim gravis; coërcet alios ab indigno facinore: quidnî coërceat oculus cælestis Principis? Si Principem etiam non præsentem, etiã dyscolum, etiam non faventem revereor; quia dignus est: quidnî reverear præsentem, Tutorem meum; quia dignior est: quia cæli hæres est? quia me portat in manibus, nè offendã ad lapidem pedem meum?

At quibûs officiis eum colere queam, ac demereri? Hæc juxta S. Bern. sunt. *sobrietas, paupertas, crebri in cælum gemitus, orationes cum lachrymis*. *Attamen*, inquit S. Doctor, *super omnia hæc unitatem & pacem à nobis exigunt Angeli pacis*

cis; è contra verò nihil æquè offendit, & ad indignationem provocat eos, quomodò dissensiones & scandala.

IV. *4tum medium* sunt Sacramenta Eucharistiæ & pænitentiæ. Nam purgant peccata, retrahunt à noxis, abducunt ab occasionibus peccandi, avellunt à terrenis rebus, conjungunt DEO, radicãt virtutes, augent vires advincẽdas tẽtationes, passiones frænant, restinguunt concupiscentiã. Ex tam frequenti eorũ usu, collegine fructus istos? sin minùs? videbo, an id non proveniat ex eo, quòd forsitan illis non, ùt par est, utar. Usûs istius autem ectypum est factum David 2. Reg. 12: *Deprecatus est David Dominum, & jejunavit jejuniô, & ingressus seorsum jacuit super terram: post dies septem surrexit de terra, & lotus unctusq; est; cumq; mutâsset vestem, ingressus est domum Domini, & adoravit: deinde petivit, ut ponerent ei panem, & comedit.*

Itàq; videbo, an Davidem imiter? num *seorsum amotus* ab aliis negotiis, *ingredior me ipsum*, ac seriò discutio conscientiam? num ex animo *deprecor DEUM*? per actus requisitos à Tridentino ad justificationem? num *demitto me, non tam in terram*, quàm in abyssum mei nihili? num præmitto his Sacramentis, si non *jejunia*, saltem alias *mortificationes*, quibus inimicam animæ carnem coërceam? num inconcussa & in particulari concipio proposita vitæ

meli-

melioris? num adhibeo deinde media, ad illa exequenda? num conor *surgere* post lapsum, & non adhærere terræ, terrenisq; rebus, quæ cor avocant à cælo, illiciunt ad vana?

Num *mutor* tam interiùs, quàm exteriùs? nũ *lotus* in Sanguine Agni, ad antiquam cloacam non redeo? num *unctus unctione* Spiritûs Sancti tanquam athleta, viriliter luctor cum passionibus? num cum S. Aloysio, *septem dies* impendo præparationi, ad sumendum Panem cælestem? totidem utiq; dies oravit, & jejunavit David, antequam peteret, ut *ponerent ei panem*. Qua humilitate, quô ardore *descendo in domum Domini*? quantô desideriô anhelo ad Panem Angelicum? quos actus elicio? quo fervore? Quantâ reverentiâ antecedente, comitante, & subsequente sumo cælestem escam? num enixè studeo post singulas Communiones extirpare aliqua certa vitia?

V. 5tum medium sunt gratiæ DEI. Sanè ità sunt medium salutis meæ, ut pro ea simul mecum laborent. Ità laborant mecum, ut eis potiore titulo tribuatur salus mea. Etenim illæ sommolentum excitant, frigidum inflammant, cæcutientem illuminant, desidem urgent, labentem sustinent, lapsum erigunt, errantem dirigunt. Sunt locutio DEI ad cor meum: quomodo illam audio? sunt amica DEI visitatio, quomodo illam recipio? sunt meritorum

prin-

principium, pietatis fontes, semen beatitudinis. Ergo rejicere illas, an non est meritorũ, probitatis, beatitudinis exsortem esse velle? an non est mereri, ut subtrahantur? quô quid horribilius? O quoties illis restiti? quoties non obedivi? proinde ò quàm rigidam illarum rationem olim reddam?

VI. *6tum* medium est status meus. Est enim terra sancta, & Sanctos germinans, est sacrarium virtutum, est templum sanctitatis, est juxta S. Ambrosium *arx contra hostes animæ.* Munivit hanc arcem DEUS tam validò, ut in eam nullus hosti pateat aditus; nisi meâ sponte illum aperiam. Arcis hujus arma sunt: meditationes, examina, lectio sacra, exempla proborum, exercitia spiritualia, colloquia salutaria, orationes, regulæ, avulsio ab occasionib9 delinquendi, temporis divisio talis; ut horã non habeam ad peccandum, si agenda, ritè velim agere Hæc omnia S. Antoninus *scandulas* vocat *scalæ cœlestis.*

VII. *7mum* medium sunt res adversæ. Quia ex sensu S. Greg. l. 29. moral. c. 15. *Mala, quæ nos premunt, ad DEUM ire compellunt.* Nam ingerunt fastidium mundi, tanquam fallacis; uniunt DEO, conformant Christo, debita extinguunt, accumulant præmia, docent virtutes, & roborant. *Quid ergo, infert August, non misericorditer præstatur à DEO, à quo etiam tribula-*

bulatio beneficium est. Nam res prospera, donum est consolantis; res autem adversa, donum admonentis DEI. Quòd adversitates excitent ad virtutem, pulchrâ similitudine probat S. Greg. l. 6. ep. 191. *Studium*, inquit, *bonæ operationis ipsa adversitas auget. Sic semina messium gelu cooperta, fertiliùs germinant; sic ignis, flatu premitur, ut crescat.*

Enimverò, gravat incommoda valetudo? *Virtus infirmitate perficitur.* Premit infamia? fimus glebam reddit fertilem; carcer seu cavea cicurat aves, & impinguat. Affligit inopia? sed beatum facit. Math. 5. S. Aug. sent. 186, ait: *Non queratur homo, quando in his, quæ justè habet, patitur aliquas adversitates; per amaritudinem enim inferiorum, docetur amare meliora; nè viator tendens ad patriam, stabulum pro domo diligat.*

Hinc Cænobitæ veteres, ut expeditiùs ad cælũ & perfectione contenderent; eligebant ad hunc terminũ viã crucis, viam arctã, viam angustam. Illorum vita fuit, inadversis vivere; illorum gloria, contemni; illorum divitiæ, nihil habere. De his S. Nazianz. Orat. 1. de pace: *Vita eorum sunt opes in egestate; possessio in peregrinatione; gloria in contemptu; patientia in infirmitate: qui delicias aspernari, pro deliciis habent; qui regni cælestis causâ humilitatem amplectuntur; qui*

qui in mundo nihil habent, & mundô superiores sunt: qui cùm in carne sint, extra carnem tamen vivunt; qui pro portione Deum habent, qui propter regni spem inopiâ laborant, & propter inopiam regnant.

Ejusmodi vivendi rationem didicisse videntur à S. Paulo, cujus tota felicitas erat, pati; tota gloria, ferre crucem. Sic enim ad Gal. 6. scribit: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri JESU Christi.* Quod pertractans Augustinus Serm. 20. de verb. Apost.; inquit: Poterat Apostolus gloriari in Sapientia Christi, & verum diceret: poterat in Majestate, poterat in Potestate; & verum diceret: sed dixit: *in Cruce.* Ubi mundi Philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum reperit; ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Quo Domino? Christo Crucifixo. Ubi humilitas, ibi majestas; ubi infirmitas, ibi potestas; ubi mors, ibi vita. Si vis ad illa venire, noli ista contemnere; ideo in fronte, tanquam in sede pudoris, signum crucis accepisti. Et S. Bern. Serm. 25. in Cant. de eodem Apostolo dicit: *Nihil sibi gloriosius putat, quàm Christi portare opprobrium. Grata ignominia crucis ei, qui Crucifixo ingratus non est.*

VIII. Præstas largiter DEUS optime, quæ conferunt ad salutem meam: facis misericors abunde, quod est de te; at ego non præsto, quod est mearum partium. Tu in meum negotium totus incumbis; ego mei negotii, & tanti

tanti negotii, prorsus incurius. *Tu muro tuo inexpugnabili circumcingis me, & armis tuæ potentiæ instruis me*; ego hæc arma negligo. Abjicere illa & ærugini dare, gravis est insania; quanta est, illa frangere, vel seipsum illis conficere? vel sic armatum sponte hosti subjici, te desertô! quanta tandem dementia, te tuis armis aggredi, ac impetere! O quanta bonitas tua! o quanta malitia mea! quanta mihi debentur pænæ, quòd non utar, vel abutar tantis mediis! Quanquam sufficeret ad pænam, per neglectum eorum displicere tibi; per quorum usum possem placere tibi. Dum continget, me plecti à te; in quem refundam causã mali mei, nisi in meipsum? Ah contingat, me salvari à te; non in alium refundam causam boni mei; nisi in te ipsum.

DIEI PRIMÆ MEDITATIO III.

De Mediis inferioris ordinis ad finem Creationis.

Punctum 1mum: Audiam S. Paulum 1. Cor. 3. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi*. Considerabo bona naturæ omnibus communia, ut cælos & singula elementa, eorum perfectiones & fructus. His DEUS non indiget, ad meum

illa

illa fecit usum; ut mihi serviant ad agnitionē, admirationem, æstimationem, amorem, obsequium, laudem divinæ excellentiæ, Omnipotentiæ, Sapientiæ, pulchritudinis, bonitatis, dominii. Quomodo ex illis proficio? heu quomodo illis abutor ad offensam DEI! O malitiā meam! ipsa beneficia DEI converto in jacula, quibus illum feriam. *Verè vanitati subjecta est creatura non volens Rom. 8.* nam ad vanitates meas creaturas cogo servire mihi: quibus non aliter mihi licet uti, quàm ad obsequium & laudem DEI. Utinam abhinc ità ego *sim Christi,* sicut *omnia mea sunt*! Utinam ità constanter & fideliter serviam Creatori, ut creaturæ mihi serviunt, lucendo, fovendo, alendo, vestiendo, medendo. Imò, utinam ità serviam Creatori, sicut in illis facio servire mihi Creatorem, etiam ad ejus injurias!

Punctum 2dum: Audiam eundem S. Paulum Rom. 1. *Servierunt creaturæ potiùs, quàm Creatori.* Creaturæ sunt scalæ ad cælum, sunt gradus ad DEUM, sunt radii, qui trahunt ad solem; sunt rivuli, qui me rapiunt ad oceanum: hoc est, sunt pura media ad laudem DEI. Quid ego? ego miser inverti ordinē à DEO cōstitutum; converti media in finem: hæc, quæ DEUS subjecit sub pedibus meis, supra caput extuli, de illis nimis sollicitus! imò præposui DEO! servivi creaturæ potius quàm Creatori;

idolis

idolis istis labores, vires, vitam, conscientiam immolavi. Immolavi me vilioribus me, factis propter me. An non hoc est laudare *Deos aureos, & argenteos, æreos. ferreos, ligneos, & lapideos*? Dan. 5. An non hoc est umbram soli præeligere? o fatuitas! non est, qui malit aream impleri fimô, quàm aurô; & est, qui malit cor impleri creaturâ, quàm Creatore! Non est, qui magis limosam, & putridam aquam appetat, quàm purum fontem; & est, qui sitiat magis aquam turbidam de via Ægypti; hoc est, res viles: quàm DEUM, purissimum omnium bonorum fontem. Non est, qui malit esse miser, quàm beatus; & est, qui malit ea, quæ affligunt & perdunt; quàm æternam beatitudinem DEUM.

Punctum 3tium: Audiam Christum Luc. 19. *Negotiamini, dum venio.* Considerabo bona naturæ mihi propria; *1mo.* bona animæ, ùt ingenium, vim apprehensivã, memoriam, prudentiam, voluntatis proclivitatem ad honesta. *2dò* bona corporis, ùt integritatem sensuum, membrorum proportionem, valetudinem, vires. *3tiò* bona famæ, ùt æstimationem mei, respectus humanos, amicitias, genus, honores. *4tò:* bona fortunæ, præterito, præsenti, futuro meo usui provisa. Hæc omnia credita DEI sunt, quibus me negotiari oportet. Anima mea: credísne, hæc non aliunde, quàm è manu DEI pro-

profluxisse? credísne, non aliâ lege profluxisse, nisì ut colas & ames DEUM? Si aliâ lege hæc ante profusa essent; deberes pro illis omnem laudem, & obsequium DEO tantopere in te liberali. Cùm verò hôc unicè titulô in te sint profusa; ut eum ames, illiq; servias: putâsne te esse excusabilem à servitio & laude DEI, ab ingrati animi labe, à pœnis debitis villico iniquitatis, dissipanti bona Domini sui? Erubescam, proponam, petam gratiam.

Colloquium: DEUS meus, cælum & terra, & omnia, quæ in eis sunt; undiq; mihi dicunt, ut amē te: at surdo canunt. Omnia clamant, ut tibi serviam; at incassum. O Pater misericordiarū! instruxisti me tot mediis ad meum finem, ad tuam gloriam: sed effectu nullo. Hæc non exigua sunt portio substantiæ meæ; sed prodigo collata filio. Illâ cumulâsti me, quò expeditior tendam ad te, pertingam ad te, affigar tibi: ego deserui te Patrem, ut adhærerem porcis; ut pascerer siliquîs, amplam hæreditatem sprevi. Tandem ad te redeo, sed iratum invenio, infelicior filiô prodigô. Quid agam? *non est, quò fugiam à te irato, nisì ad te placatum.* Quē vindicem timeo, deprecor offensum, in Patre spero.

Thom. Kemp. lib. 3. C. 10.

Tessera: *Omnia propter semetipsum operatus est.* Prov. 16,

Mi-

Minùs te Domine amat, qui & amat te, & aliquid præter te amat, quod propter te non amat. S. Aug.

Creaturæ DEI factæ sunt in laqueum, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium. Sap. 14. v. 11.

DIEI SECUNDÆ MEDITATIO I.

De malitia peccati mortalis.

Punctum 1mum expendit malitiam peccati ex ratione DEI offensi.

I. Audiam David Psal. 112. *Quis sicut Dominus DEUS noster.* *Cogitabo 1mò;* DEUS est magnus Dominus, & magnitudinis ejus non est finis; qui sicut unô verbô creavit omnia, sic unô verbô potest omnia retrudere in abyssum nihili. Magnus Dominus, qui respicit terram, & facit eam tremere. Magnus Dominus. *quis restitit ei & pacem habuit?* Semel restiterunt tam sublimes creaturæ, Angeli; sed *rudentibus inferni detractos, tradidit ad tartarum cruciandos* 2. Petr. 2. Quid est peccatum? est auersio à tanto DEO, læsio tanti DEI, rebellio contra DEUM, crudelitas in DEUM & tyrannis. Est itaq; malum ipsius DEI. Est, juxta ascetas, tantū malum DEI, quantum bonum est DEUS. Est tantum malum, ut illo majus scientia DEI concipere nequeat. *Cogitabo 2dò;* Ex una parte,

nonne Deus eſt meus Creator, Redemptor, Conſervator, Præſervator, Juſtificator, Pater; qui me cumulat bonîs animæ, corporis, famæ, fortunæ? Propter quod horũ bonorũ ipsũ lapidare, & quantũ eſt in me, deſtruere velim? O me jumentũ bene paſtũ, quod recalcitrat Domino ſuo! At durum eſt mihi, contra ſtimulum calcitrare. Itàne procederem cum homine amico? Itàne cum benefactore? Ergone ſolus eſt DEUS, cujus beneficiis ingratum me eſſe non pudeat? Ex altera parte eſt meus Dominus, Judex meus, in manibus ejus ſortes meæ. Ergo Si non amo Benefactorem & Patrem, cur non timeo juſtiſſimum damnatorem?

II. *Punctum 2dum* expendit malitiam peccati ex ratione hominis peccantis.

Cogitabo 1mò: Quid eſt homo compoſitus DEO? Homo natus de muliere, id eſt fætor de fætore, nihilum de nihilo; *brevi vivens tempore*, nec unius diei, horæ, momenti certus; *repletur multîs miſeriîs*, uti delictîs, paſſionibûs, fragilitate, anguſtiîs; impendet abyſſo peccatorum & pænarum, ac nonnisi à ſolo DEO, quem offendit, ſuſtinetur. Vexatur fame, ſtringitur frigore, diſſolvitur calore, enervatur morbîs, deficit ipsîs annîs, nec ad momentum ſibi ſufficit. Tandem cadit miſer ſive ad auſtrum ſive ad aquilonem. Dignumne ducis magne DEUS *ſuper hujuſcemodi aperire oculos tuos*? Et ecce

hæc miſeria levavit calcaneum ſuum contra DEUM! Quid hìc mirandum magìs, an malitia, an ſtultitia? *Cogitabo 2dò*: Si totum Regnum, ſi tota Europa, ſi totus mundus, inſurgeret contra DEUM, quanta foret hæc dementia! *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei.* Iſaiæ 40. Quanta tandem erit inſania, dum unus homuncio tetendit manus ſuas contra DEUM, & contra Omnipotentem roboratus eſt! O novum gigantem, væ quia non fabuloſum, ſed verum! Quid igitur anima mea? ſi non meretur DEUS reverentiam omnem & amorem, inſurge in eum! ſi in hoc duello potes ſperare victoriam, aude ipſum aggredi.

III. *Punctum 3tium* expendit malitiam peccati ex ratione ipſius peccati.

Audiam David Pſal. 9. *Propter quid irritavit impius DEUM?* Illud certè non eſt bonum *honeſtum*; aliàs nec DEUM irritaret, nec hominem afficeret pudore. Si eſt bonum *utile*; valetne tantum, quantum DEUS? quantum æternitas? An valet tantum, quantum infelix æternitas & æterna infelicitas! Quid autem prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? quid ſi patiatur animæ interitum? Si eſt bonum *delectabile*; decepit Evam & nos pomum viſu delectabile. Ad hæc: maledictum bonum,

num, quod momentô delectat, æternùm cruciat: imò & tunc cruciat conſcientiam, cùm delectat ſenſum. Quin imò cruciat per totam vitam; nam qui peccavit, angitur continuò dubius, an illi remiſſum peccatum, an elicuit actus ſalutares ad juſtificationem requiſitos, qui actus non ſunt in ejus poteſtate; an non complevit menſuram peccatorum, quæ quãdoq; completur per unicum peccatum. Sic Heli ſanctè vixit, & pro uno peccato damnatum eſſe dicunt S. Hieronymus, Baſil. Greg. Chryſoſt. Maledictum bonum, quod me facit hoſtem DEI, qui metuo hominem pati hoſtem. Maledictum bonum, quod infinitè miſericors DEUS cogitur vindicare in hac vita malis corporis, famæ, fortunæ, quin & animæ: quia in pœnã uniꝰ peccati permittit labi in alterũ; in pœnam alterius, in tertium; & ſic ulterius. In altera verò vita, cogitur illud vindicare pœnîs; ſempiternîs & nondũ condignè vindicat. Maledictũ bonum, quod nec ſempiternæ pœnæ omnium purarum creaturarum poſſent expiare; ſed eo fine DEUS incarnatus, tam indigna paſſus, tam indignè mortuus. Maledictum bonum, quod eſt unicum malum. Nam cætera mala DEUS amare poteſt, quia ſerviunt ejus Juſtitiæ, & in hac vita ſaluti noſtræ, peccatum verò ſic odit, ut ceſſaret eſſe DEUS, ſi ceſſaret illud odiſſe.

Colloquium; Itáne viluisti mihi dignitas infinita, ut tibi præferam unam nugam? Itáne odibilis es mihi DEUS purissimum summumq; bonum, ut tibi præeligam summum & purum malum? Heu! quis odibilis? cui odibilis? cur odibilis? Egone non pejor Judâ? hic argenteîs Christum postposuit, qui fructum ipsi aliquem afferre poterant; ego postposui malitiæ, ex qua necessariò debent provenire incommoda, quibûs majora cogitari nequeunt, & nullus fructus. Egone non malitiosior Judæîs, qui Christo prætulerunt Barabbam? qui utiq; saltem id habuit boni, quod ad tuam imaginem factus sit, & capax amandi te? semel illi sic errârunt, at ego quoties! quoties me lavisti sanguine Filii tui! quoties ego redii ad cloacam! quasi ideo me lavisses toties, ut audaciùs redirem ad volutabrum. O bonitas! o Misericordia! ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me! propono &c.

Thomæ à Kempis Lib. 3. c. 5.

Tessera; *Peccator omnino vellet, DEUM peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut nescire; vult ergo DEUM non esse DEUM.* S. Bernard,

Quia optimus DEUS ad pœnitentiam tempus indulget, quod tamen humana malitia ad usum suæ iniquitatis intorquet, justô DEI judiciô augeri culpa permittitur, ut ad feriendum altiùs quandoq; cumuletur. S. Greg. *O quan-*

O quantum monstrum, Religiosus & peccatum mortale! dicebant P. Sebastianus Barradias, P. Antonius Padillius, P. Balthasar Alvarez.

Ego ex hoc mundo decedo, antequam possim, vel potuerim comprehendere, quomodo una creatura velit offendere Creatorem, & patrare peccatum mortale. S. M. Magd. Paz.

DIEI SECUNDÆ LECTIO PRIMA
De proxima causa peccatorum seu De Tepiditate.

I. Inter pessimæ matris acediæ filias non absimiles, teporem ponit S. Thom. 2. 2. q. 35. a. 4. Hunc S. Bern. Serm. 5. in Quadr: sic describit: Desidiam facimus, quando per torporem langvidi, ea, quæ DEI sunt, operamur. Et de Pass. Dom. c. 19. ait: Illum esse *vitium, vi cujus exercitia Spiritualia quasi insipida videntur, & in grave tædium convertuntur. De quo tædio dicitur: dormitavit anima mea præ tædio: Item: omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquaverunt usq; ad portas mortis.* Alcazar ex Cassiano coll: 4. c. 12 inquit: Tepidus est, qui DEUM quidem non audet mortaliter sciens & volens offendere; ideoq; se putat justum, sed

sed purioris & perfectioris vitæ studium negligit: unde se facilè concupiscentiis permittit, & quævis peccata devorat, quæ sibi tantū venialia videntur.

II. E numero talium erat Episcopus Laodicensis, cui dictum est Apoc. 3. v. 16. *Utinam calidus aut frigidus esses! sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Arabicus legit; *Utinam esses aqua frigida, aut calida.* Sicut nec aquam calidam, nec frigidam, per os expellit Stomachus; sed tepidam: ità nec calidus, nec frigidus homo evomitur ex ore DEI; sed tepidus. Majorem enim emendationis spem præsefert frigidus, quàm tepidus. Unde Glossa dicit: *Non optat eum frigidum simpliciter, sed talē, de quo major spes habeatur.* Confirmat Gregor. 3. parte Pastor. adm. 35: *Quoniā frigidus ante tepore in spe est; tepor autē post calorē, in desperatione: id est; qui adhuc in peccatis est, conversionis fiduciam non amittit; qui verò post conversionem tepuit; simul spem, quæ esse potuit de peccatore, subtraxit.*

III. Prædictus Laodicensis Episcopus sequenti versu 17. sic arguitur: *Dicis, quia dives sum; nullius egeo; & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper & cæcus, & nudus.* Inde colliguntur proprietates teporis. *1ma* Est, superba *præsidentia in seipso*; quia ùt inquit Rupertus, tepidi persvadent sibi, se esse bonos & securi vivunt, quasi nullius egentes, nihil timen-

mentes. *2da* Proprietas est; quòd tepidus nesciat se esse *miserum & miserabilem*; quia non considerat ruinam suæ domûs interioris: ùt in persona pigri S. Bern. ait de inter. dom. c. 11. *Pergens totus in ea, quæ foris sunt, & ignarus interiorum meorum; sicut aqua effusus sum præteritorum oblivìscens, præsentium negligens, futura non providens.* *3tia* Proprietas est: quòd sit *pauper*: hoc est, ut exponit S. Greg. l. 34. moral. c. 3. *Virtutum divitias non habet.* Verè egestatem operata est manus remissa Eccli 4. *4ta* Proprietas; quòd sit *cæcus*; quia, ùt ibidem ait Greg. *nec paupertatem, quam patitur*, videt. Adeoq; vel excæcatus est, vel excæcationi proximus. *5ta*: Quòd sit *nudus*; *quia primam stolam perdidit*; *sed pejus, quia nec perdidisse se cognoscit*: ùt idem S. Doctor explicat.

IV. Super eundem versum 16. Alcazar inquit: *Assero imò: Vomitûs metaphoram non esse referendam ad æternam damnationem; hæc enim non solis tepidis sed omnibus peccatoribus à DEO intentatur; verùm ad id, quod eam præcedit; scilicet ad derelictionem DEI. 2dò Assero: vomitûs metaphorâ repræsentari irreconciliabilē detestationē. 3tiò Assero: tepidum tunc aptissimè dici à Christo evomi; cùm induratur in peccato. & quodam modo projicitur extra curam Divinæ Providentiæ. Hujus autem comminationis particula (quæ propter venialem etiam teporem meritò timeri debet) est; privari iis*

auxi-

auxiliis, quæ non conceduntur omnibus justis, sed iis solùm, quos DEUS majori favore prosequitur. Quantum verò periculum immineat labendi in peccata lethalia, ac tandem in veram obdurationem! id spiritualium Virorum considerationi relinque. 4tò *Assero: comminationem hanc explicatam esse, respectu teporis; & per ipsam doceri fideles: teporem esse ipsissimam viam ad obdurationem in peccato. Quâ sententiâ nihil aptius potuit proponi tepidis; utpote qui putant se valde alienos esse ab hac obduratione.*

V. Ex his liquet, quòd multò pejor & periculosior sit status tepidi quàm frigidi. Nam *1mò:* Tepidus homo, quasi Absalon, pendet inter cælum & terram: si terræ insisteret, forsan effugere posset interitum, nunc autem dæmonum patet lanceis, audacter impetitur, vincitur facilè, sternitur graviter, perditur infeliciter, tanquam viribus & calore destitutus, langvidus, ægrè hians. Proinde Pimænius Abbas, in vitis PP. lib. 7. c. 39. ajebat: *Sicut ad succensam ollam muscæ non appropinquant; si verò tepida fuerit, insident eam, & faciunt vermes: sic & Monachum succensum igne Divini Spiritûs, dæmones fugiunt; tepidum verò illudunt.*

VI. *2dò:* Derelinquitur à DEO, privatur gratiîs efficacibûs, relinquitur in manu consilii sui, seu (ùt Syrus vertit) *appetitus sui;* permittitur ire in adinventionibus suis, in pecca-

ta gravia ruere; de quibus ægrè surgere potest, tanquam paralyticus. Quod quid aliud est, quàm obdurari? quid aliud, quàm uno tantum passu distare à porta inferi? Rectè S. Bernardus: *Pigri, si diu in suo torpore permanserint; aut opprimuntur sub pondere, & succumbunt; aut quodam modo in inferno sunt, ut nunquam ad plenum respirent in lucem miserationum Domini.*

VII. *3tiò:* Tam tepido quidem, quàm ei, quem culpa lethalis onerat, est commune; quòd ex suis actibus fructum non percipiant, ac in Danaidum dolia amphoras effundant, seu, ùt ait Aristoteles lib. 1. Æcon. c. 6: *Cribrô aquam hauriant*, & retî venentur ventos, solúmq; ludant, & perdant operam. Oeno planè similes, de cujus opere quidquid contextum est, devorat assistens asina, id est pigritia, vel peccatum. Cæterùm tepidi deterior est conditio; nam is insuper peccat, & pœnas meretur, etiam agendo bona. Meditatur? peccat; orat? peccat; communicat? peccat; imò accusat sese Confessario de tepore? peccat; quia hæc omnia tepidè peragit. Quod igitur ex negotiatione sua lucrum, quem ex vita sua fructum offeret DEO, Domino & Judici? Quantus hinc in morte metus! quàm exigua spes! quàm incerta salus! imò fortè, quàm certa damnatio! Nam, nisi discredis S. Bernardo Serm. 51. de modo bene viv: *Qui in bonis operibus sunt*

tepi-

tepidi, non habebunt locum in Regno DEI.

VIII. *4tò:* Tepidus difficiliùs multò sanari potest. Imprimis enim, juxta gnomen asceticam; *tepidorum medicina non est, nisi gravis ruina,* Hoc est: tunc primùm, quasi ex lethargo expergiscuntur; cum in gravia peccata se lapsos advertunt. O medicinam pejorem omni morbô! Deinde, alios ex abysso peccatorum extrahit ipsa eorum conside atio: tepidus nec considerat, nec sentit, nec agnoscit malum suum; quasi lethargicus. *Verberaverunt me & non dolui; traxerunt me, & ego non sensi.* Prov. 23. Advertit huc S. Bern. Serm. 4. Quadr. *Tepidus otiosa verba, & vanas cogitationes, noxias esse non conspicit: sed cùm animus à torpore mentis evigilaverit; ea, quæ levia æstimabat, confestim quasi contraria & horrenda pertimescit.* Tandem alia peccata vitantur, occasiones eorum amovendo: tepiditatis autem occasiones amoveri nequeunt; aliàs ipsa opera bona, ut oratio, meditatio, zelus, omitti deberent, nè tepidè fiant. Concludit Cassianus coll. 4. c. 19. *Frequenter vidimus de frigidis atq; carnalibus ad spiritualem pervenisse fervorem; de tepidis verò atq; animalibus omninò non vidimus.* Poteſtne cogitari quid horribilius de tepore, quàm, quòd & exemplô sanationis, & spe sanitatis careat; ùt censet S. Greg. cit. n. 2.

IX. Effectus & signa tepiditatis enumerat S. Ber-

S. Bernardus Serm. 6. de Ascens. Invenire est, inquit, homines, *1mò* pusillanimes & remissos: *2dò*: deficientes sub onere. *3tiò* virgâ & calcaribûs indigentes. *4tò* quorum remissa lætitia, pusillanimis tristitia est. *5tò*: quorum brevis & rara compunctio. *6tò*: animalis cogitatio. *7mò*: tepida conversatio. *8vò*: obedientia sinè devotione. *9nò*: sermo sinè circumspectione. *10mò*: lectio sinè sui ædificatione. *11mò*: quorum oratio sinè cordis intentione. *12mò*: quos vìx gehennæ metus inhibet. *13tiò*: Vix pudor cohibet. *14tò*. vix ratio frænat. *15tò*: vix disciplina còërcet.

X. P. Fylkowski in soliloq: prax. 3. fol. 793. hæc addit signa: *In communi*. *1mò*: Rarò & cum tædio orare. *2dò*: Perfunctorium examen. *3tiò* Agere, quia talis consvetudo. *4tò*: Contemptus venialium, & casisticus modus agendi: *Hoc non est mortale, ergo faciam*. *5tò*: Aversio à Superioribus, & per consequens à disciplina; nam hæc conjuncta in fervente. *6tò*: In oculis Superiorum modestiam simulare, & coram similibus sui esse dissolutum. *7mò*: Ea ad quæ ex regula vel mandato tenetur, negligere: quæ ipse constituit, ferventer agere; & in hoc scrupulîs angi, & non in illo: quod est idolum propriæ voluntatis, emendareq; regulam.

Signa *in incipientibus*. *1mò*: Non desiderare puri-

puritatem animæ. *2dò*: Venialia non æstimare. *3tiò* Non mortificare passiones, & externas mortificationes negligere. *4tò*: Præsidere in tētatione, nec occasiones fugere. *5tò*: Instinctus & monita differre, vilipendere. *6tò*: Effundi in actiones externas, otium amare, vix se colligere. *7mò*: Jocari, & alienos mores liberè taxare, colloquia spiritualia contemnere. *8vò*: Recreationes, cibum, potum appetere. *9nò*: Examina leviter facere. *10mò*: Confiteri ex usu.

XI. *In illuminativa via*, signa. *1mò*: Mediocri virtute esse contentum. *2dò* Non elicere frequenter actus internos virtutum. *3tiò*: Et externos sinè intentione elicere. *4tò*: Non contendere ad perfectam observationem regularum, & votorum. *5tò*: Non curare purissimam intentionem. *6tò*: Non appetere officia vilia. *7mò*: Otium amare, labores fugere. *8vò*: Otiosè tempus perdere. *9nò*: Non esse indifferentem. *10mò*: Examen particulare non seriò instituere.

In unitiva via. *1mò*: Communionem Sacramentalem, aut spiritualem languidè obire. *2dò*: Librum spiritualem aut omittere, aut leviter legere, spiritualia colloquia non quærere. *3tiò*: Rarò se supra actiones suas reflectere, raræ jaculatoriæ, & memoria præsentiæ DEI. *4tò*: Actus internos, potissimum amoris DEI, & pro-

proximi, frigidè instituere. *5tò:* Actus externos virtutum sinè fervore *6tò:* Purissimam intentionem non habere. *7mò:* Zelum animarum relinquere saltem in exemplo, oratione, monitis. *8vò:* Langvere in affectu erga B. Virginem, Crucifixum, Sacramentum SS. *9nò:* Velle mediocriter esse perfectum.

XII. Media ad excutiendum teporem hæc proponit Ludovicus de Ponte de Christ. Perf. Tract. 4. c. 15. Jubet singulis operibus addi sex alas Seraphim, ut evolent in cælum. *1ma:* est memoria præsentis & spectantis DEI. S. Cyprianus tract. de zelo ait: Cogita, sub oculis DEI nos stare; spectante ac judicante ipso, conversationis ac vitæ nostræ curricula decurrere; pervenire nos tunc demum posse, ut eum videre contingat; si ipsum nunc videntem delectemus actibûs nostrîs. *2da:* Pura intentio gloriæ Divinæ; quia, ùt asserit Bern. Serm. 4. in Cant. *Ex bona intentione rectitudo operis, sicut ex facie pulchritudo corporis æstimatur.* Porro, qui malam intentionem præfigit operi, similis est illi, qui ad orientem cùm tendere debeat; tendit ad occidentem. Qui præfigit mistam, seu ex bona & mala conflatam; similis est illi, qui simul eadem via tendere vult ad orientem & occidentem. Qui nullam præfigit, similis est illi, qui viam ingreditur, nesciens, quò sit percecturus. Nam intentio est oculus dirigens

ope-

operantė, *quia cognitionem præsupponit, per quam proponitur voluntati finis, ad quem movet; sicut oculô prævidemus, quò tendere corporaliter debeamus;* inquit. S. Thom. 1. 2. q. 12. a. 1. ad. 1. Ascetæ reprehendunt illos, qui contenti virtuali intentione, actualem sæpius non renovant. *3tia* ala est: Invocatio DEI: ideo, ex mente S. Thomæ, Ecclesia præcipit ante horam quamvis canonicam, repeti: *DEUS in adjutorium meum &c.* S. Dyonisius monet. l. de Div, Nom c. 3. *Omnis actio ab oratione nobis inchoanda est: 4ta:* Fiducia in DEO. Quare Jac. 1. dicitur: Postulet in fide, nihil hæsitans. *5ta;* Fortitudo in aggredienda & vincenda difficultate. Vide S. Thom. 2. 2. q. 137. a. 1. ad 3. *6ta.* Perseverantia usq; in finem, in toleranda molestia. Vide S. Thom. 2. 2. q. 23. a. 10.

XIII. Causam teporis *1mam* assignat gulam S. Greg. inquiens. *Filia gulæ est acedia. 2da est,* ignavia naturalis. *3tia* consvetudo negligenter operandi. De his lect. de otio n. 10. *4ta.* causa est: effusio sui ad exteriora. De hac lect; de medit. n. 9. in fine. *5ta.* negligentia in discutienda conscientia. De hac lect. de Exam. *6ta;* metus imaginariæ difficultatis, & periculorū in vincenda acedia, & seipso. De hac S. Greg. lib. 30. moral. c. 13. *Multos sæpe videmus, vitam quidem sanctæ conversationis appetere; sed nè hanc assequi valeant, modò irruentes casus*

modò,

modò futura adversa formidare; qui incerta mala, dum quasi cauti prospiciunt, in peccatorum suorum vinculis detinentur; multa enim ante oculos ponunt, quæ si eis eveniant, subsistere se non posse formidant. De quibus bene Salomon ait; Iter pigrorum quasi sepes spinarum; Prov: 15. nam *cùm viam* DEI *appetunt, eos velut spinæ obstantiū sepiū, sic formidinum suarum suspiciones pungunt.* Hæc S. Greg.

CONCLUSIO.

XIV. Anima mea! *in omnibus operibus tuis præcellens esto* Eccli. 33. *Instanter operare.* Ecclæ 9. seu prout legit Tigurina: *Quantum potes, agito pro virili tua portione.* Perpende *1mò*: Quàm sollicitè DEUS agat, quæ tua sunt. S. Aug. medit. c. 10. ait de illo; *Totum ad mei custodiam occupatum video, quasi omnium oblitus sit, & mihi soli vacare velit.* Quidni tu sollicitè agas, quæ DEI sunt? Quidni tuis in actionibus soli DEO vaces; præsertim, cùm omnes & singulas ille tecum exerceat?

Perpende *2dò*: quanta sit ejus dignatio, quòd tanta Majestas opera tua desideret, expectet, exigat. Si fervida forent & perfecta; quid forent respectu bonitatis, dignitatis, dominii, beneficiorum DEI? quid respectu peccatorū tuorum? Quid tandem erunt, si torpida sunt, si non plena, si mortua?

Perpende *3tiò* quod Alvarez Paz lib. 5. part. 3. de docum: perfect. c. 31. asseverat; *Opera*

re-

remiſsè facta, imò; DEUM non placant: 2dò, Angelis & Sanctis ſtomachum movent; 3tiò; dæmones ad riſum & contemptum provocant: 4tò: operantẽ non perficiunt: 5tò. majorem in dies operandi difficultatem inducunt; 6tò; tempus ſinè fructu conſumunt. Ah tempus! Quodſi Beatis vel damnatis concederetur ad operandum meritoriè, quomodò illud redimerent? quomodò operarentur?

Perpende *4tò;* quod Zeuxes, apud Plutarchum, æternitati pinxit. Opera tua, juxta Bernardum, verè ſunt ſemina æternitatis. Juxta Auguſtinum; Omne cogitatum, dictum, factũ, æternum eſt. Omne, quod humanô modô cogitas, dicis, facis; vel æternam ſui laudem, vel æternum feret opprobrium. Nonne honeſtiùs, utiliùs, delectabiliùs erit; illud æternùm æſtimari, quàm æternùm damnari? felici potiùs æternitati pingi, quàm infelici?

DIEI SECUNDÆ MEDITATIO II.

De peccato Veniali.

Punctum 1mum. Audiam Joſeph. Gen; 39. *Quomodo poſſum hoc malum facere?* Cogitabo: Peccatum veniale dicitur *leve*, ſolùm reſpectu mortalîs; in re autem eſt grande malum. Sicut ſi ſputum ejicerem in faciem Regis, eſſet

leve

leve respectu occisionis Regis, in se foret ingens crimen. Hinc S. Basilius: *Quis est, qui peccatum ullum, cujuscunq; modi sit, leve audet appellare?* Grande malum peccatum veniale! *imò:* Comparatè ad beneficia DEI mihi collata. Quis enim leve crederet, tam benefico DEO ingratum esse? illum uni nugæ postponere? *2dò:* comparatè ad dignitatem & Bonitatem DEI: Quo titulo superat omnia cogitabilia mala, etiam interitum universi. Quia omnia cogitabilia mala totius universi, sunt inferioris Ordinis, quàm minimū malum, quod DEUM attingit. *3tiò:* comparatè ad pænas, quibûs vindicatur. Nam si viderem vivum cremari reum, censeremne leviter deliquisse? Dicamne leves veniales culpas, pro quibus amici & filii DEI, purgatoriîs ignibûs justissimè crucian-tur â DEO tam misericorde? Jam teste S. Thomâ, minimū in purgatorio tormentū gravius est, quàm omnia mundi mala. *Quartò:* comparatè ad circumstantias: nempe, quod in oculis DEI Judicis & vindicis peccem: quòd tunc peccē, cùm me DEUS amat immensè, beneficiîs cumulat, in manibus gestat & conservat; quòd peccando cogo DEUM, ut mecum concurrat ad offensam sui. *Servire me fecisti in peccatis tuis.* *5tò:* quòd tūc, dū pecco, pænasq; mereor acerrimas; possem mereri Cælum, & interim malo gratiam DEI in me vacuam esse. Ergo au-

 diam

diam S. Bernardum: Sermone 1mò de Convers: S. Pauli: *Non est magnum, dicis; Si in his maneam venialibus minimisq; peccatis: Hæc est dilectissimi impænitentia, hæc est blasphemia in Spiritum Sanctum irremissibilis.*

Punctum 2dum: Considerabo Absalon pendulum è crinibus interfici à Joab. 2. Reg. 18. & cogitabo: Peccata venialia censentur modica velut capilli; se ipsis non perimunt animam; faciunt tamen illam perire. Quatenus eam, quasi mediam inter Cælum & terram detinent, ne totaliter adhæreat DEO suo fini, effundendo se ad fines varios. Per quod minuitur fervor charitatis, ùt docet S. Thomas. Unde fit, ut familiaritas inter DEUM & hominem, quæ in mutuo ac frequenti consistit alloquio, intercipiatur; dum videlicet DEUS, ob culpas veniales, rariùs mentẽ hominis illuminat, nec ità plenè cordi ejus illabitur. Et vicissim homo, rariùs ad DEUM per affectus & aspirationes convertitur. Proinde in virtutũ exercitio langvet, tepor subrepit, desipiunt spiritualia & æterna; creata mentẽ avocant & occupant, ac ipsa charitas constituitur in proximo periculo, ne pereat. Sicut qui frequenter deliquia patitur, constituitur in proximo periculo, nè ex improviso moriatur. Peccata enim venialia, præsertim frequentata, disponunt animã ad mortalia; sicut vulnera disponunt corpus ad mortem. Circa quod, sit.

Pun-

Punctum 3tium. Audiam Christum Dominũ: Luc: 16. *Qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est.* Hoc est: Qui non obedit DEO prohibenti parva, eâdem audaciâ, non obediet DEO prohibenti magna. Et sic sensim culpæ parvæ ad maximas disponunt, idq; duobus modis: *1mò.* directè & per se, *2dò.* indirectè & per accidens. Disponunt *directè & per se*, partim ex eo; quia rerum Divinarum neglectum inducunt, quem ordinariè sequitur gravis lapsus. Partim ex eo, quia sæpiùs iterata venialia, præsertim in una materia, producunt habitũ, seu facilitatem; quâ animus ad omnia ejusdẽ speciei peccata, etiam gravia facilè inclinatur; & interdum etiã ad peccata diversæ speciei, acquisitô & habitô contemptu in universum peccatorum venialium. Per accidens disponunt peccata venialia ad mortalia; partim ex eo, quia removent id, quod est impedimentum speciale peccati mortalis, scilicet fervorem charitatis. Removent item specialia auxilia, quibûs aliàs homo fuisset coërcitus à mortali. Hinc cum S. Cypriano & Bernardo plerique docent: quòd aliquando propter peccata venialia deserat DEUS: hoc est: in pænam peccatorum venialium subtrabit gratias efficaces, quibus destitutus homo, pondere suo ruit in peccatum mortale.

IV. Partim ex eo disponunt peccata venialia ad mortalia, quia minuunt & impediunt timorem DEI, promptumq; usum virtutum, corrumpendo vel minuendo earum habitus acquisitos: dum scilicet talia peccata inducunt oppositum habitum malum, amoto illius contrario. Placetne consulere saluti, & inchoatam cum DEO amicitiam conservare? Si placet, *Fugiamus modica mala, magna siquidem ab illis nascuntur.* ait S. Chrysost: Caveamus, ne istæ modicæ scintillæ magnum excitent incendium; ne ex his atomis grandes tumescant montes; ne ex his tenuibus filis rudentes inferni nectantur.

Colloquium. Expergiscere anima mea! torporem excute! tempus breve est; dum tamen adhuc est, medelā adhibe tantis malis, tāq; certis malis. *Præcavisti magna,* inquit Augustinus, *de minimis quid agis? Projecisti molem; vide, ne arenā obruaris.* Considera, quàm carò constitit Christo gratia excitans te ad fervorem. Vide, ne in te sit vacua. Putemne leve, magne DEUS, quod Tibi displicet? Putemne leve, quòd pro salute universi neutiquam committendum foret? Sanè sit leve! vel ideo illud non committam, quia leve est. Cur enim in re levi me non vincam propter Te, qui tam gravia pertulisti propter me. Propono. &c.

Thom: à Kemp: L. 1. c. 22.

Si in domo parum stupæ accensum viderimus, conturbamur, & tumultum movemus; non enim attendimus initium, sed ex initio finem considerantes, movemur & concurrimus, ut totum caminum extinguamus. Hoc igne vehementiùs exedit animam peccatum. S. Chrysost:

REFLEXIO
Supra Confessionem Sacramentalem.

Quos effectus præstat conversio Filii prodigi, (Luc: 15.) eosdem præstat Confessio. *imò:* Elongatos à Deo facit amanter suscipi. Imò lautiùs prodigum filium reducem tractat Pater, & *tam copiosam ei exhibet misericordiam, cui posset & ille, qui nunquam à Patre discesserat, Filius senior, invidere;* inquit Bern. L. de ingrat. *2dò:* Avellit à porcis, hoc est à brutis actibus & peccatis. In hoc enim aliqui Sacramentalem reponunt gratiam, quam confert Confessio. Avellit, inquam, quia hominem roborat, *dæmonem flagellat,* ùt ait Bonav. Serm. 2. in Rogat, & *caput ei præsecat,* ùt dicit Chrysost: præfat: ad Isa. Hoc ille fassus Astioni; *O Astion, confessio tua magnas vires meas contrivit! In vit. S: Epretet. & Astion. 3tiò* Mentem prodigi lætā efficit. Hinc August. In Psalm 66. *Confitere, exeat in confessione, & defluat omnis sanies; jam*

exulta, jam lætare. 4tò: Per illam prodigus in se revertitur; hoc est; cognoscit imperfectum suum. Ex cognitione verò sui nascitur humilitas: *Non sum dignus vocari filius.* Hæc autem est radix, basis, & custos virtutum, juxta Bern. 5tò: Stolam primam restituit, id est: gratiam; & chirographum mortis æternæ delet. *Quod ibi scribit transgressio, hic delet confessio;* inquit idem S. Doctor. de inter. dom. c. 37. 6tò Meretur osculum Patris, quod pacem redintegrat tam cum Deo, quàm cum conscientia. 7mò; *Dat annulum in manu,* quia poculatorem ignobilē, mutat in nobilem. Imò in regem; nam inter tot reges Matth. 1. unicus David *Rex* vocatur, propter illam confessionem: *Peccavi Domino:* ùt ait Mendoza. 8vò: Calceat prodigum, nam ex nudipede, id est: servo diaboli, reddit hæredem Dei & cohæredem Christi. 9nò; Pro siliquis offert vitulum saginatum, qui juxta Hieron: est Christus Eucharisticus. 10mò. Deo gaudium affert, quia filius ejus *mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus est:* Affert eidem laudem, velut Sacrificium; illud enim Psal; 49. *Immola Deo Sacrificium laudis;* Hebræus legit; *Sacrificium confessionis.* Et Josue 7. *Fili da gloriam Domino, & confitere.* 11mò, Apparat festivum epulum Angelis, quos per servos Evangelici Patris intelligit Theophyl. Et sic lachrymæ pænitentium sunt vinum Angelorum. Vide 12mò;

1mò: An expendis effectus istos confessionis, ut eam appreties? Simplicem confessionem culpæ, magni faciebant ethnici. Seneca de moribus: *Ubi est confessio, ibi est remissio.* Arist: *Non multùm ab impeccabili distat, qui peccatum, ùt decet, confitetur.* Quantò magis æstimanda sacramentalis confessio, in qua Christus inclusit sua merita?

2dò: An intentionem confitendi non vitias aliquô motivô vanô? *ne in ipsa pænitentia fiat, quod postea indigeat pænitentiâ;* inquit Ambros. de pænit: L. 2. c. 11.

3tiò; Quantô desideriô flagras, per confessionem ablui Christi sangvine? tantone saltem, quantô ad balneum anhelant pædidi, vel ad thermas morbidi?

4tò; Quàm exactè discutis conscientiam? itane scrutaris & colligis omnia; sicut æconomus, rationes domino redditurus?

5tò: An ad justificationem te disponis per actus fidei & spei, quales exigit Tridentinum. s. 6. c, 6, Catechism. Rom. de Sacram Pæn. c. 1. n. 3. S. Ambros. de pæn: l. 1. c. 1. S. Thom. in 4. dist: 14. q. 1. a. 2. & communis TT. apud Lacroix: p. 1. l. 2. tr; 1. c. 1? De actu charitatis dicit Concilium, quòd peccatores, ubi credunt, & in spem eriguntur, *Deum omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.* Ex quo textu Clerus Galliæ in Conventu generali annô 1700.

in declarat: de dilect: Dei in Sacram. pænit:, ſic ait: *Ne quisquam putet, in utroq; Sacramento* (Baptiſmi & Pænitentiæ) *ſecurum ſe eſſe; ſi præter fidei & ſpei actus, non incipiat diligere Deum, tanquam omnis juſtitiæ fontem.* Quamvis enim Tridentinum nec neceſſitate medii, nec neceſſitate præcepti, requirat ad confeſſionem actum amoris; cùm ſufficiat attritio; ex s. 4. c. 4: tamen optat, iſtam præſtantiſſimam diſpoſitionem ad cõfeſſionem fieri; *quò ſecurior ſit* pænitens de juſtificatione (ut dicit conventus Galliæ) quam adfert & ipſe actus ſupernaturalis amoris.

6tò: An curas quàm intenſiſſimum dolorem elicere, ut facienti quod eſt de te, Deus non deneget gratiam; ad dolendum ſupernaturaliter? Vide Magdalenam, Petrum, Hieronymũ, & illos pænitentes, quos deſcribit S. Climacus gr. 6, apud P. Tylkowſki ſoliq. 19. Vide te ipſum, quomodo deploras unam rem caducam, unam nugam, unam vanitatem.

7mò: An ſatagis contritionis perfectæ? An illam extendis ad omnia peccata?

8vò: An non differs dolorem ad ipſum abſolutionis actum? id eſſet in periculum conjici, faciendi Sacramentum irritum; adeoq; peccare graviter.

9nò: Quàm firmum emittis propoſitum non peccandi? Eligereſne potiùs mortem, imò cum

S. An-

S. Anselmo & Catharina Senensi, potius infernum, quàm offensam Dei?

10mò: An vitioso pudore non retraheris à confitendo? Audi S. Chrysostomũ Præfat: ad Isa. *Cùm nôsset satanas, quia peccatum verecundiam habet, pænitentia fiduciam; ordinem reprobus permutavit & invertit: pænitentiæ dedit verecundiam, fiduciam peccato.*

11mò: An cum salutari verecundia reverenter accedis ad tribunal pænitentiæ? hoc enim svadet Tridentinum. Et S. Ambros. L. 2. de Cain. c. 7. *Erubescere debemus peccata, non defendere; quoniam pudore culpa minuitur, defensione cumulatur.*

12mò: An cogitas, te non tam cum vicario Christi, quàm cum ipso Christo Judice, rem actură, rem tanti momenti, & in conspectu totius cæli?

13tiò: An non ægrè fers confessiones aliorum longiores? an illos non judicas temerè?

14tò: Quantâ compunctione noxas exponis? Defectus levissimos exponendo, viribus deficiebat S. Aloysius. S. Pater tanto dolore vitæ secularis actus Parisiis confessus; ut confessarium alioquin improbum, ad pænitentiam & meliorem frugem reduceret.

15tò: An explicas expressè, clarè, totũ, nihil celando; quidquid pungit conscientiam? *Quia simulata confessio non est confessio, sed duplex confusio;*

sio; inquit S. Bernardus inter; dom. c. 37. Nihil item extenuando præ rubore; de quo S. Aug. l. de visit; infir; c. 5. *Heu, quid erubescis confiteri, quod facere non erubuisti? melius est coram uno aliquantulum ruboris tolerare, quàm in die judicii coram tot millibus hominum gravi repulsa denotatum erubescere.*

16tò. An declaras numerum etiam venialium, præsertim graviorum? id enim multùm confert ad ea cavenda.

17mò; An declaras circumstantias etiam illas, quæ peccatum aggravant; nedum illas, quæ speciem ejus mutant?

18vò: Quo corde suscipis injunctam pænitentiam, & monita confessarii?

19nò: An sub absolutione renovas actum doloris?

20mò: An mox à confessione properas ad Christum, agendo gratias pro emundatione tui à lepra peccatorum, exemplô illius, (Luc. 17.) qui videns, quia mundatus est; ad ipsum regressus cecidit in faciem suam, gratias agéns? An agis gratias pro institutione Sacramenti pænitentiæ, & pro tot idoneis confessariis?

21mò; An quàm primùm potes, impositam imples pænitentiā; ne per ejus oblivionem Sacramentū mancum facias?

22dò; Curasne frequenter confessione mundare conscientiam? S. Borgias mundabat ter in diem.

diem. Quò sæpius purgatur domus, eò mundior. Quò longiùs confessio differtur, eò magis invalescunt vitia. Norimbergam inundârunt scelera, dum exularet inde confessio. Quare Carolo V. Supplicavit, ut illam per decretum restitueret. Refert Dom: Soto. in 4. Dist: 18. q. 1. art. 1.

23tiò: Si peccatô contingat infici, studesne virus istud quàm primùm ejicere? *Qui post peccatum, in eo impudens perseverat; non tam in cadendo miser est, quàm in jacendo post casum.* Ait S. Chrysost. hom: 8. in 1. Cor.

24tò: An post quamlibet confessionom eradicas aliquod vitium? *Qui pectus suum tundit, & se non corrigit; peccata solidat, non tollit.* S. Aug. Deprecari Deum, & iterum offendere; non est aliud quàm illudere Deo.

25tò. An tibi pro delictis imponis pænas? quia *non sufficit, in meliùs mores mutare; nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo.* Idem S. Doctor. Int. hom. 50. hom. ult. cap. 15.

DIEI SECUNDÆ LECTIO SECUNDA De Pænitentia.

I. *Pænitere*, inquit S. Thomas, *est de aliquo priùs à se facto dolere.* Dolor hic importat *Imò* cessationem à peccando. Unde S. Gregorius

hom.

hom. 34. in Evang: *Pænitentia est, præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere.* 2dò importat detestationem peccatorum, ut definit Tridentinum. 3tiò; Propositum firmum, non peccandi uti rursus declarat idem Conciliũ. 4tò. importat Confessionem ex institutione Christi. 5tò importat Castigationem commissorum. Hinc juxta Clim. gr. 5. *Pænitentia est corporeæ consolationis perpetua & jugis repudiatio: est voluntaria earum rerum omnium, quæ affligunt, toleratio: est cruciatuum sibi semper opifex; est valida ventris afflictio, animaque in sensu firmissimo jugis reprehensio; abyssus humilitatis.* Et juxta Aug: *Est quædam dolentis vindicta; semper puniens in se, quod dolet commisisse.* Hic actus spectat ad justitiam vindicativam, cujus est pars quasi potentialis; inquit S. Thomas 3. p. q. 85. ar. 3.

Hæc omnia breviter expressit Spiritus S. Eccli. 38. *Averte à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor.* Nam *averti à delicto*, est aversari & detestari delictum. Unde fluit propositum non delinquendi. *Dirigere manus* ad opera satisfactoria, est punire delictũ. *Mundare cor ab omni delicto*, est confiteri delictũ, ab illoque cessare.

II. Proprietates Pænitentiæ sunt: 1ma, quòd non patiatur *differri*. Quis hostem intra mænia, viperam in sinu, pestem in corpore, & peccatum prudenter alat in anima? quare clamat

mat Spiritus S. Eccli: 5. *Non tardes converti ad Dominum, nec differas de die in diem; subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Audi S. Greg hom. 12. in Evang: *Qui pænitenti veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit.* Et S. Aug: in Psal. 114. *DEUS pænitentiæ tuæ indulgentiam promisit; sed huic dilationi tuæ crastinum non promisit.* Item lib. 6. Confess. c. 11. & lib. 8. c. 5. & 7. *Ipsa res est, quæ multos occidit; dum dicunt: Cras, cras; & subitò ostium clauditur: remansit foris cum voce corvina, qui non habuit gemitum columbinum.*

At quantò turpiùs & periculosiùs errat, qui eluendas animæ labes ad senium differt, vel pænæ reatum diebus committit ultimis detergendum? quis Nathan revelavit tibi, quòd ante mortē Dominus transferet peccatū tuū? quis promisit campum dolendi, *prout oportet ad salutem*? quis Confessarium? quis confessionē? quis integram? quis actus salutares ad illam requisitos; præsertim inter acerrimos dolores animam pellentes è corpore, inter dæmonum extremos impetus? RectèS. Aug. h. 50. hom. 41. de pænitentis ejusmodi salute dubitat: *Agens*, inquit, *pænitentiam ad ultimum, & reconciliatus; si securus hinc exit, ego non sum securus.* Nam non otiosè minatur DEUS Proverb. 1. *Tunc invocabunt me, & non exaudiam.* Super quod S. Fulgent. *Qui de iniquitatibus suis recede-*

cede-

cedere nolunt, & sibi indulgentiam repromittunt; nonnunquam ità præveniuntur repentino DEI furore; ut nec conversionis tempus, nec beneficium remissionis inveniant.

Itaque si te argueret Basilius orat. 4. de pænit: *Quid facis o homo! cùm multùm valeas in agendo, juventutem tuam in peccatis traducis; ubi verò in labore fracta fuerint instrumenta; tunc ipsa ad DEUM adducis, cùm illorum nullus sit usus; sed necessariò labant, ac torpent ob longi temporis tabem?* Quid si Ambros. de brevit. vit. *Quid potest habere laudis, si effætum corpus voluptatibus, & jam senectutis gelu frigidum, ad sera devotionis officia, deposito jam senior vigore, convertat?* Quid si ethnicus Philosophus: *Non pudet te reliquias vitæ tibi reservare, & id solum tempus bonæ menti destinare, quod in nullam rem conferri possit? Quàm serùm est, tunc primùm vivere incipere, cùm desinendum est!* Quo reprehensiones istas ferres animo? quo tandem feres, cùm te districtus Judex DEUS arguet, & multò acriùs?

III. 2*da* Pænitentiæ proprietas est *Constantia*, quòd debeat relapsu non temerari; utpote, qui gravior est, & periculosior, quàm lapsus. Hoc fusè deducit S. Greg. 3. p. Past. adm 31. At clarè patet ex verbis Christi Joan. 5. ad cæcum sanatum: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare; nè deterius aliquid contingat tibi.* Quibûs verbîs, ait S. Cyrillus, *significavit, per pec-*

cati iterationem hominem in deteriora prolabi mala. Quid prodest, obsecro, studiosè vestes abluere, & lotas rursum lutô inquinare? quid, lavare manus, & ablutas iterum contaminare sordibus? sicut sus lota, dicit sapiens, in volutabro luti; ità stultus, qui iterat stultitiam suam. Nam incassum sumitur medicina, si post instauratam sanitatem, per vitæ incontinentiam, qui convaluit, in pristinum incidit morbum. Quin imò relapsus in ægritudinem periculosior esse solet, & exitio propior; quàm ille prior langvor: & quos prima valetudo adversa non extinxit, sæpius iterata post incolumitatem ægrotatio sustulit è vita. Haud secus, frustra pænitentiæ medicamentum sumitur, si post eam peractam ad præteritæ vitæ sordes reditur. Hactenus S. Doctor. Non minùs sapienter Chrysost. postquam dixerit: *Noli peccare post veniam, noli vulnerari post curam, noli sordidari post gratiam:* reddit rationem singulorum dicens: *Cogita, graviorem culpam esse post veniam; renovatum vulnus plùs dolere: molestiùs hominem sordidari post gratiam. Indulgentiæ ingratus est, qui post veniã peccat; sanitate indignus est, qui se ipsum, postquam curatus est, vulnerat; nec mundari meretur, qui se ipsum post gratiam sordidat. Grave est, hominem instructum delinquere; graviùs, absolutum peccare: servô pejor est, qui Patronum post datam libertatem offendit.*

Confirmat hæc S. Bern. Serm. 54. in Cant: *Timeas quidem pro accepta gratia, ampliùs pro amissa,*

missa, longè plùs pro recuperata. Hoc tertiũ probat; *Si gratia recuperata redierit, multò magis tunc timendum; nè fortè contingat recidivam pati, juxta illud: jam ampliùs noli peccare, nè deteriùs tibi aliquid contingat. Audis, Reincidere, quàm incidere, esse deteriùs? Proinde invalescente periculô, invalescat & metus.*

Invalescit autem in relapso periculum; quia, cùm ingravescat ingrata pro delicti remissione protervia; DEUS illum vehementiùs aversatur, meritóque deserere potest: homo ipse redditur debilior ad surgendum; voluntas proclivior ad malum; dæmon audacior & potentior ad opprimendum; passio robustior, infirmior gratia; Hinc sapienter monet Liciniũ S. Hieron. epist. 28: *Sodomam reliquisti, ad montana festinans; post tergum nè respicias: nè aratri stivam, nè fimbriam Salvatoris, nè cincinnos ejus, noctis rore madefactos, quos semel tenere cæpisti, aliquando dimittas; nè de tecto virtutis, pristina quæsiturus vestimenta, descendas; nè de agro revertaris domum; nè campestria cum Loth, & amæna hortorum diligas, quæ non irrigantur de Cælo, ut terra sancta; sed de turbido flumine Jordanis, postquam dulces aquas, maris mortui commixtione mutavit.*

Tandem, constans vir à proposito sit immobilis, oportet. Socrates apud Stobæum ait; *Ut statua basi, ità vir bonus instituto innixus honesto, nullatenus dimoveri debet.* De fabricio apud Plu-

Plutarchum dictum: *Faciliùs est, solem à suo cursu, quàm Fabricium à suo proposito deducere.* Quantò magìs à proposito melioris vitæ, immobilis quisque deberet esse!

IV. *3tia* Pænitentiæ proprietas est, quod *dignos fructus* exigat; ad quos compellit Præcursor Domini Luc. 3. Facite fructus dignos pænitentiæ. Fructus isti consistunt in eo, ut quantô studiô serviebatur vanitati; tantô serviatur Deo; quantô peccatis, tantô virtuti. Hoc enim est, ad quod stimulat Isaias c. 31. *Convertimini, sicut in profundum recesseratis:* Sive prout inquit Cyprian: *Quàm magna deliquimus, tam granditer deflemus: Pænitentia crimine non sit minor.* Et ad Rom: 6. *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ità nunc exhibete membra vestra servire Justitiæ:* Seu ùt explicat Origenes: *Hoc saltèm obsequii impendatis Justitiæ, quod priùs impendistis iniquitati.*

At plus videtur requirere S. Bern: *Multò magìs anhelet mens ad cælestia, quàm priùs terrenis incubuerat.* Idque in fundamento Baruch c. 4. *Sicut fuit sensus vester, ut erraretis à DEO, decies tantùm iterum convertentes, requiretis Eum.* Cæterùm si vel millies tantùm pænitens requirat DEUM, quantùm erravit ab eo; modicū adhuc præstat respectu malitiæ unius etiam peccati, quatenus hoc est offensa personalis

DEI, ùt docet S. Thomas. Attamen cùm non possimus offerre pro peccato pecus, offeramus turturem vel columbam: nempe, præstemus, quantùm possumus, cùm nequeamus præstare, quantùm debemus.

O quantùm præstabant alii! Fabiola genere conspicua, quòd primô repudiatô virô nupserit alteri, *publicam egit pœnitentiam, omnibus collachrymantibus, quòd sparsum crinem, ora lurida, squallidas manus, sordida colla submitteret. Sic dolebat, quasi adulterium commisisset, & multis impendiis medicaminum, unum vulnus sanare cupiebat;* dicit Hieronymus. Sic enim præscripsit Tertullianus lib. de pænit. c. 9. *Exomologesis de ipso quoque habitu, & victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere; illa, quæ peccavit, tristi retractatione mutare; pastum & potum purâ nôsse; non ventris, sed animæ causâ; jejuniis preces alere, ingemiscere, lachrymari, & mugire, dies, noctesque ad Dominum.*

Quòd tam dirè vindicanda sint delicta lethalia, non est mirum; hæc enim æternas merentur pœnas. Sed quòd etiam levia puniantur à sanctis acriter, id parem admirationem, ac imitationem poscit. Sanctam Paulam in ejus epitaphio sic laudat Hieronymus: *Mollia, etiam in gravissima febre lectuli strata non habuit; sed super durissimam humum stratis ciliciolis quiescebat,*

scebat. Si tamen illa quies dicenda est, quæ jugibûs orationibus dies noctesque jungebat; in qua fontes crederes lachrymarum: ità levia peccata plangebat, ut illam gravissimorum criminum crederes ream. Cùmque à nobis crebriùs moneretur, ut parceret oculis; ajebat; Turpanda est facies, quam contra DEI præceptum purpurissâ, cerussâ, & stibiô sæpè depinxi. Affligendum est corpus, quod multis vacavit deliciis. Longus risus perpeti compensandus est fletu. Mollia & serica pretiosissima, asperitate cilicii commutanda. Quæ viro & sæculo placui, nunc Christo placere desidero.

V. *4ta* Pænitentiæ proprietas est, quòd debeat esse *continua.* S. Greg. l. 6. epist. 22. respondit Gregoriæ, quæ fuit à cubiculis Imperatricis: *Secura de peccatis fieri non debes, nisì cùm jam in die vitæ tuæ ultimo, plangere eadem peccata minimè valebis; quæ dies quousque veniat, semper suspecta, semper trepida, metuere culpas debes, atque quotidianis fletibus lavare.* S. Aug. epist. 108. ad Seleucian; *Pænitentia bonorum, & humilium, pæna quotidiana.* Chrysost. monet, ut sicut faciem quotidie lavas, sic & animam quotidie lachrymis abluas.

Præivit hâc viâ Petrus, qui quoties audiit galli cantum, pectus tundebat, procidebat in genua, fundebat lachrymas, quæ canales in genis excavârant; ùt testatur S. Clemens ejus Discipulus, & ex eo Niceph. l. 2. c. 7. Præi-

vit Paulus, de quo S. Greg; *Jam ad tertium Cœlum ascenderat, in Paradisum quoque ductus fuerat, arcana verba audierat: & tamen adhuc trepidans dicebat:* Castigo *corpus &c. Adhuc timet, qui jam ad Cœlum ducitur; & timere non vult, qui in terra conversatur!* Præivit David, qui licèt certus à Propheta redditus, quod Dominus transtulerat peccatum ejus, tamen Psal. 6. *per singulas noctes lachrymîs, lectum suum rigavit.* Præivit S. Maria Magdalena, S. Maria Ægyptiaca, S. Pelagia &c.

Præivêre tot, de quibus Clim. gr. 6. Cùm pervenissem, inquit, ad Pænitentium monasterium, vidi revera res, & verba, quæ DEO vim inferre possent. Quosdam ex reis illis vidi noctibus totis usque sub diem stare pervigiles, pedesque immobiles tenere; contra somnum vim naturæ inferre; nullam sibi requiem indulgere; sed seipsos increpare. Alios in Oratione, reorum more, vinctîs post terga manibûs, humi luridas facies suas inclinantes, indignos se, qui Cælum aspicerent, vociferantes; tacitam, mutamque DEO mentem offerentes, confusione plenam. Nonnullos in pavimento stratô ciliciô & cinere sedentes, & faciem genibus operientes, & frontem in terram collidentes. Alios pectora jugiter tundentes, animamque suam ac vitam suspiriô ingenti revocantes. Alios lacrymantes, alios,

quòd

quòd id non possent, lamentantes. Vidi nonnullos veluti æneos ex mærore effectos, & insensibiles ad omnia. Alios fixis obtutibus in terram, caput assiduè movere, & leonum rugitum edere. Vidi in illis æstuantes lingvas, instar canum, ex ore procedentes. Ex his alii sub ardentissimo solis æstu seipsos cruciabant: alii acerrimo frigore se affligebant; quidam modicum aquæ gustantes, nè omninò sitî arescerent, ità quiescebant: alii, cùm panis exiguum quid accepissent; reliquum, tanquam illo indigni, projiciebant. Quem locum apud illos risus habuit? quem sermo otiosus? quem iracundia? quem furor? ubi tenuis vini cogitatio? ubi pomorum degustatio? Jugiter ad Dominum clamabant, solaque vox orationis audiebatur. De his plura P. Tylkowski soliloq. 19.

VI. Effectus Pænitentiæ hos assignat S. Paulus 2. ad Cor. 2. v. 11. *1mò. Solicitudinem expiandi* offensam. *2dò defensionem*, seu ùt legit Erasmus, *satisfactionem*. *3tiò indignationem* sibi ipsi, quòd peccaverit; *4tò. Timorem*, seu horrorem peccati. *5tò Desiderium* emendationis & satisfactionis. *6tò Æmulationem* seu juxta Chrysostomum & Anselmum; *Zelum gloriæ DEI. 7mò: Vindictam*, seu castigationem sui. Sic hunc textum explicant Ambr. Thom. Theophylac. Theodoret.

Caſſianus l. 9, c. 11. hos tribuit effectus Pænitentiæ; *Obediens eſt, affabilis, humilis, manſveta, ac patiens; utpote ex DEI charitate deſcendens, & ad omnem dolorem corporis, ac ſpiritûs contritionem infatigabiliter ſemetipſam deſiderio perfectionis extendens; & quodammodo læta, ac ſpe profectûs ſui vegetata, longanimitatis retinet ſvavitatem, habens in ſemetipſa omnes fructus ſpiritûs S. quos enumerat Apoſtolus: Fructus autem ſpiritûs eſt charitas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, manſvetudo, continentia.* Alii effectus in lect. diei 8. de mortific. extern. n. 11.

VII. Media ad hanc virtutem eadem ſunt, quæ ad mortificationem tum externam à n. 13. tum internam à n. 15.

Impedimenta ejuſdem virtutis ibidem.

Maximum impedimentum eſt, *timor difficultatis:* hoc ſic elidit Spiritus S. Proverb. 20: *Malum eſt, malum eſt, dicit omnis emptor; & cùm receſſerit, tunc gloriabitur.* Quod Hugo Cardin. exponit de illo, qui nummô Pænitentiæ, merces emit cæleſtes. *Malum eſt,* inquit, *id eſt, nimis carum, nimis moleſtum,* pænitere; *& cum emptor, ideſt pænitens, receſſerit à foro pænitentiæ, in domum cæleſtis Patriæ; tunc ſanè gloriabitur, quia bonum forum habuit.*

O pretioſum nummum, quô regnum emitur!

tur! O dulcem luctum, quem gaudia comitantur! O lachrymarum mare vitreum simile crystallo, per quod transitur ad conspectum & sedem DEI! O pænitentiam, quæ in terris cælestis conversationis gustas dulcedinem! Sic ait S. Ephrem: *Scitote, Fratres, non fore in terra quid dulcius gratiâ lachrymarum. Si quis vestrûm expertus lacrymarum dulcedinem, mediante oratione desideraverit elevari è terris: totus hic extra corpus in cælum fertur. Et quid dico: Extra corpus? imò extra sæculum universum totus est, nec ampliùs conversatio ejus invenitur in terris.* Hæc ille.

Concludat hæc omnia S. Bern. *Malum impunitum esse non potest. Non punitur hìc propria voluntate? punietur alibi sinè fine. Misera sanè, & extremæ planè dementiæ commutatio; humanum declinare laborem, & paratum diabolo stridorem eligere sempiternum.*

MEDITATIO III.
De peccato Religiosi.

I. *Punctum 1mum.* Audiam DEUM: Job. 19. *Quem maximè diligebam, aversatus est me.* Cæteris paribûs graviùs læditur DEUS à Religioso, quàm à sæculari. *imò;* quia ille peculiariter est dilectus DEI, cui dicit Jerem. 31. *Dilectione perpetua dilexi te, ideo miserans attraxi te;* nempe

nempe ad Religionem, ad ſtatum dilectorum ſuorum. Eſt Filius DEI, eſt amicus juratus per vota religioſa; eſt ſervus ſpecialiter, & domeſticus DEI, civiſq; Sanctorum. O miſeram ſortem ejus, dum peccat! quia ex ſummè amato, fit ſummè odibilis; ex ſpiritu miniſtratorio, dæmon; ex amico, hoſtis DEI; ex filio DEI, filius Belial, filius iræ & perditionis; ex ſervo bono & fideli, ſervus nequam; ex domeſtico DEI, Iſcariotes! *2dò*: Quia Religioſus & plura, & ſpecialia percipit à DEO beneficia, quæ enumerat S. Bernardus, & cuivis ob oculos ponit conſcientia. *3tiò*: Quia ex ſenſu S. Thomæ, quò clariùs quis cognoſcit perfectiones DEI, eò graviùs illum offendit peccando; quia fortiùs retrahitur à peccando. Jam juxta Bernardum: Religioſus luculentiùs illuſtratur ad agnitionem DEI ſummi Boni, tanquam ſuus dilectus; dum ferè continuò de DEO cogitat, legit, diſcurrit, audit. Nonne turpius eſt, labi in meridie tot illuſtrationum; quàm in nocte, in qua verſantur ſæculares? *4tò propter ſcandalum; quia ad vitam religioſi plures reſpiciunt*; ait S. Thomas l. c.

II. *Punctum 2dum*: Audiā Jeremiam Thren. 1: *Diſſipati ſunt lapides ſanctuarii*. Peccatum Religioſi contrahit ſpecialem malitiam *ex ratione ſtatûs religioſi*, quem penitus diſſipat. Hic enim eſt ſanctuarium DEI, â quo prohibet omne in-

qui-

quinamentum: peccatum facit illum ſpelæum diaboli. Hic eſt terra ſancta, terra Sanctorũ, ſanctos germinans; peccatũ facit illum terram maledictā in opere ſuo, ſpinas & tribulos germinantẽ, in caput Chriſti. Hic, juxta S. Thomam, eſt ſtatus graviter obligatorũ ad ſtudium perfectionis: peccatum perfectionem perdit. Hic juxta Sanctos Patres, eſt campus pænitentiæ & meritorum: peccatũ facit illum campum Galaad, id eſt abjectionis, maledictionis. Hic, juxta Aſcetas, eſt Schola virtutũ, cætus diſcipulorũ Chriſti, terreſtre cælũ, & Religioſi ſunt cælites terreſtres: peccatũ facit illum univerſitatẽ iniquitatis, cætũ proditorum Chriſti, terreſtrem infernũ, & Religioſos peccantes facit dæmones; ùt ait S. Dorotheꝰ. Religioſi peccatũ rem ſacram, hoc eſt, perſonā DEO conſecratā, immolat ſathanæ: & hôc tituló, quod in ſæculari eſt peccatum; in Religioſo eſt ſacrilegium. Hinc S. Bernardus L. 2. Conſid. inquit: In ore ſæcularis nugæ ſunt nugæ; in ore Sacerdotis vel Religioſi ſunt blaſphemiæ.

III. *Punctum 3tium:* Audiam S. Paulum Gal. 5. *Modicum fermenti totam maſſam corrumpit.* Peccatum Religioſi ſpecialem malitiam contrahit *ex ratione Religionis.* Unius enim Religioſi peccatum corrumpit *imò* ſtatum ſpiritualem: tum quia unius exempló pravô, tanquam ſcabioſæ ovis, corrumpuntur alii. Tum quia,

juxta

juxta Suarez. ob unius peccatum subtrahit DEUS communitati toti speciales favores; adeoq; & gratias omnino necessarias ad conservandũ Spiritũ. 2dò; Unius Religiosi peccatum corrumpit statũ temporalẽ; tum quia propter unius peccatum, punit DEUS totam communitatem privatione bonorum temporalium: sic pro peccato David 2. Reg. 24. & pro peccato Achan Jos. 7. totum punivit Israëlem: propter unum Judam, ex sensu S. Ambrosii, omnes Apostoli Luc. 5. propter unum Jonam, omnes nautæ periclitati; Jonæ. 1. Unde S. Doctor ait: *Unius delicto cunctorum merita quatiuntur.* Tum quia cùm uniuscujusq; Religiosi mores, præsertim dyscoli, sint mensura & imago totius Religionis apud externos; hinc ob unius facinus, non solùm ipsi à toto ordine animos avertunt & beneficia; sed etiam apud alios infamant, & odiis exponunt. O infelix Mater Religio! justè quereris Jerem. 1. *Filios enutrivi & exaltavi, at ipsi spreverunt me*, & sperni fecerunt!

Colloquium: Domine, Pater misericordiarum, plantâsti me in terra Sanctorum: ad quid, nisi ut gignam fructus dulces gutturi tuo? Humectas me gratiarum rore, irrigas Sanguine Filii tui. At ego arbor sterilis frustra terram occupo. Ah non sterilis! pro uvis labruscas affero; imò baccas venenum animæ m eæ, amaritiem.

ritiem cordi tuo. Fixi radices vitiorum, ex quibus pullulant ſcandala proximis, infamia Religioni, tibi offenſæ. Quid tandem de me facies? Tuliſti jam decretum; ah horrendum decretum! *In terra Sanctorum iniqua geſſit, non videbit gloriam Domini* Iſaiæ 26: Expecta paululùm miſericors DEUS, abhinc propono &c.

Lectio Thomæ Kempenſis l. 3. c. 14.

Teſſera: *Viſitabo ſuper omnem, qui arroganter ingreditur ſuper limen in die illa: qui complent Domum Domini DEI ſui iniquitate. Soph. 1.*

DIEI TERTIÆ MEDITATIO I.

De Morte.

I. *Punctum 1mum.* Audiam morientem Saul. 2. Reg. 1. *Tenent me anguſtiæ.* Spectabo ægrũ, qui ſuæ ſalutis incurius vixit, poſitum in extremis, de ſpe valetudinis dejectũ, dimiſſum à medico, moneri de vicina morte. O quantîs tenetur anguſtiîs! *1mò:* Durus hic & inſperatus mortis nuntius, quàm acriter percellit illũ, qui minimè de morte cogitabat! *2dò:* Cogitat, ſe avelli à terra, rebuſq; terrenis, quibus viſcosè adhæserat; à mundo, cui ſerviebat; à ſolatiis, quibus inhiabat; à ſenſibus, quos diſſolvebat; à corpore deniq; cui nequiter indulgebat. *3tiò:* Perpendit, defeciſſe vires, evanuiſſe,

quæ

quæ delectant: instare, quæ torqueant; post gaudia non restare nisi luctum. *4tò*: Fortiter apprehendit, animam à se repeti, districtum instare judicium, tempus efflux sse pænitentiæ, januam salutis claudi, æternitatem imminere. Has angustias, nemo satis exprimeret, nisi expertus.

II. *Punctum 2dum.* Audiam Antiochum 1. Machab. 6. *Reminiscor, quanta mala feci, & ecce morior tristitiâ magnâ.* Spectabo eundem ægrũ, proximum agoniæ, tristitiâ & metu prostratum; *imò*: tum ob multitudinem, tum ob gravitatem delictorum. *2dò*; quòd plurima peccata tunc primùm se clarè sistunt memoriæ, quorum antè non meminerat. *3tiò*; quòd illa, quæ olim ex habitu committebat, adeoq; parvi pendebat; apparent grandia & horrenda. *4tò*; quòd dubitet, utrum amore an odio dignus sit? an aliquando perfectam contritioné, imò an alios actus supernaturales requisitos ad remissionem peccati elicuerit? an Sacramentum pænitentiæ validè susceperit? Et sic perturbatus angitur, sideratur, arescit, nescius quô se vertat. Etenim, juxta S. Anselmum: attollit sursum oculos? videt Judicem iratum & minacem: demittit deorsum? cernit feretrũ, sarcophagum, sepulchrum, parata corpori improbè amato; animæ verò abyssum infernalẽ apertam. Convertit dextrorsum? non appa-

ret

ret ullus Patronus, qui opem ferat. Vertit finistrorsum? occurrit præstò turba dæmonum innumera, diductîs faucibûs hiantium, & ardentium devorare animam infelicem. Introspicit conscientiam propriam? advertit innumerabilem criminum vim. Vellet miser fugere seipsum, at hoc fieri non potest: vellet revocare annos transactos, at hoc impossibile: vellet annihilari, sed neq; id obtinere valet.

III. *Punctum 3tium.* Audiam Ezechielem cap. 7. *Afflictio ecce venit, finis venit.* Spectabo afflictionem ejusdem ægri in termino vitæ constituti; videbo faciem mutatam, defluxisse, pallere; os livore fædatum; sensus omnes impotes sui, linguam obriguisse, oculos profundè lapsos, & albugine obductos; aures destitutas officiô, nec Sacerdotis clamorem valentes percipere; pedes frigere, manui algidæ Sacrum cereum intrudi, tempora cava, maxillas simosas; gelido madere sudore corpus; phlegmate densato pectus obrui, ægrè spirare, arteriæ pulsum deficere, cor opprimi. Interim dæmones intellectum perturbant, ac obfuscant; voluntatem tentant graviter, memoriæ objiciunt peccata, de spe dejiciunt, omnes exerunt vires, ut perdant. O mortis horam terribilem! ô momentum horribile, à quo pendet æternitas! In eo Hilariones, Hieronymi, & pleriq; sancti tremunt; & ego non tremam?

in eo, si justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt? in eo, qualẽ me esse vellẽ? in quali statu animæ? Talẽ ergo me, & in tali statu animæ oportet sẽper vivere. Quia *dies Domini sicut fur*, dũ minimè speratur, venire solet.

IV. *Punctum 4tum:* Audiã Spiritum S. Esth. 7. *Festinavit ire in domũ suã lugens.* Anima migrans è corpore trepidat, palpitat, horret. Justum Judicẽ ultionis cernit iratum, & damnantẽ ad habitandũ cum igne devorante, & ardoribus sempiternis: stygii tortores illã rapiunt, æterno includunt carceri, ad infinitas pænas. Considerabo, quid tunc misera cogitet, quantũ doleat, se illa vitia non extirpâsse, illi habitui inhæsisse, illis occasionibꝰ se ingessisse, illa non vitâsse venialia, quæ erant gradus ad mortalia; illa opera bona neglexisse, gratiis divinis non paruisse! Postquam abiit lugens anima in domum suam, domum luctûs, domum infelicis æternitatis suæ, abit in domum suam, & corpus, ah corpus! cui anima stultè parebat, quod animæ gravabat officia, & tandem illam perdidit; hoc corpus, jam putridum, exosum, fætidum, horretur, effertur, tolerari nequit, sepulchro conditur, fit esca vermium & sanies. *Putredini dicit: Pater meus es, mater mea, & soror mea, vermibus.* Noti, amici, sanguine juncti, deposito cadavere, brevi & frigida oratione factâ, domum redeunt, ridentes, jocantes, vix

men-

mentionem facturi de mortuo, simul à corde, ac ab oculis amoto.

Colloquium. Anima mea! altiùs hæc expende, & saltem tunc recogita, dum à mundo, carne, dæmone, ad aliquid illicitum traheris. Expende; si nunc morerer, quo animô mortem subirem? an non vellem me aliter vixisse? an non cuperem redire ad vitam, & illam meliùs instituere? Si redirem ad vitam, quomodo viverem? Ergo nunc ità vivendum. Cur occasiones merendi negligo? cur elabi sino tempus pænitentiæ? cur abutor patientiâ DEI? JESU in infami cruce agonizans, momento agoniæ tuæ, commendo & unio momentum agoniæ meæ. Vide acerbissimam mortem tuam, vide, quòd illā pro me oppetieris! mors tua sit vita animæ meæ, tibi utiq; illam tam carò emisti, tibi illam serva, & salva.

Thomæ Kemp. L. 1. c. 23.

Non tardes converti ad Dominum, & nè differas de die in diem; subitò enim veniet hora illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Eccli. 5.

Quoniā te mors ubiq; expectat, tu quoq; si sapiens fueris, ubiq; eam expectabis. S. Bern. Medit. c. 3.

LECTIO PRIMA
De Præparatione ad Mortem.

Triplex est mors, inquit Hugo Cardinalis.

Na-

Naturæ, Culpæ, & Gratiæ. In 1ma moritur caro, in 2da anima, in 3tia totus homo. 1ma separat animam à carne, 2da dividit gratiam à mente, 3tia sejungit totum hominẽ à curis sæculi. 1ma est omnium, 2da est malorũ, 3tia est bonorũ. Mortui *1mâ morte sepeliuntur in mundo, 2di in inferno cum divite epulone, 3tii in Cælo cum Lazaro.* 1ma est præveniẽda, 2da vitanda, 3tia curanda.

1ma est *prævenienda*, nè minimè sperata præveniat imparatũ & perimat; tanquã dũ improvisus hostis irruit in incautos. Augustinus Serm: 120. *monet: Præveniendus est dies, qui prævenire solet.* Et ethnicus Philosophus ità vivendum svadet, ut occurrere venienti possimus morti.

I. Porro ultimum prævenire diem, est, ad illum sollicitè præparari. Istam verò præparationem in tribus Christus collocat. 1mò ut sint *lumbi præcincti.* 2dò ut sint *lucernæ ardentes in manibus.* 3tiò ut *vigilemus Lucæ 12. Lumbos præcingere,* juxta S. Augustinum, *est expeditum esse ad iter in Cælum.* O quàm longum iter! P. Clavius demonstrat, Cælum Empyreum à terra distare plùs, quàm ducentis millionibus milliarium. Quantô proinde virtutum commeatu, quantâ passuum acceleratione, quantâ contentione cursûs opus est? Unde Barlaam apud Damasc. Hist. c. 45. docet suum Josaphat: *Longum iter vobis ineundum est, quodq; multô hujus vitæ viaticô opus habeat; ut ad sempiternum*

num locum, in quo mansiones multæ sunt, perveniatis.

Idem iter non levibus periculis est obnoxium: illud maligni Spiritus *quasi quidam latrunculi obsident*, inquit S. Gregorius homil. 11. in Evan; crebris non vacat obicibus, tenuatur angustiis ultra modum, totum interjacet ac imminet præcipitiis. Unde Chrysostomus monet homil. 22. ad popul: *Quemadmodum super funem extensum ambulantibus, non licet vel parũ negligentes esse, nã parũ illud, magnũ illis malũ generaret; mox enim submersi deciderent & perirent; ità neq; nobis pigrescere licet. Viam enim incedimus angustam, & utrinq; præcipitiis obnoxiam, pedumq; simul duorum non capacem. Vides, quâ nobis opus sit diligentiâ.* Et infra: *Magna sunt præcipitia, densæ subjectæ sunt tenebræ, angustiam observemus, cum timore & tremore ambulemus.*

II. *Lucernæ ardentes in manibus* continuum bonorum operum significant exercitium; ùt Cælestinus ait: *In lucernis ardentibus boni fulgor operis indicatur. Ad Episc. Gall. Epist. 2.* Ad cælestem patriam quasi in nocte tendimus; ergo nisi nos hæ lucernæ ducant, errabimus: nisi lampades istæ fulgeant, claudetur Cæli janua: nisi tanquam Gedeonis tædæ complosæ fulgurent, non vincem9 stygios Madianitas Math. 25. Judic' 7.

III. *Vigilare*, juxta S. Basilium, *Est quotidie ad migrandum ex hac vita paratos esse, & nutum*

Domini fidis oculis expectare. Sicut ſupplicio addictus continuò proſpicit, an apparitor non appropinquet, qui rapiat eum ad pænas. Pulchrè Ammon Abbas: in vitis PP. l. 5. Libello 3. de Compunct. n. 2. Cogita, ſicut faciunt iniqui; qui ſunt in carcere: illi enim interrogant homines, ubi eſt judex, & quando veniet; & in ipſa expectatione pænarum ſuarum, plorant. Ità & monachus debet ſemper ſuſpectus eſſe, & animam ſuam objurgare; Væ mihi! quomodo habeo adſtare ante Tribunal Chriſti, & quomodo habeo actuum meorum ei reddere rationem?

Militia eſt vita hominis: ùt milites in 4. vigilias noctem ſecant: ſic ætas humana dividitur in puerilem, adoleſcentem, virilem, & ſenem. In his omnibus vigilare nos Dominus admonuit, & orationum aſſiduitate detentos, omnibus præceptorum ſuorum operibus inhærere. S. Hilarius in Math. Cap. 26. Vide, quomodo ſe vigilâſſe narrat Seneca epiſt. 49. *Non me ad eum diem aptavi, quem ultimum mihi ſpeſ avida promiſerat; ſed nullum non tanquam ultimum aſpexi.*

O diem ultimum, diluculum æternitatis, mane vel immenſi boni, vel immenſi mali; meridiem clarum conſcientiæ, in quo perſpicuè patent omnia horrenda; veſperam meritorum & pænitentiæ! O diem, propter quem Auguſtinus obſervari jubet omnem diem! O diem,

diem, quem, ut lætus aſpicias, deſudandum eſſet omni die. Enim verò:

IV. Quàm grandibûs perſæpe curîs conſtant modica! Quantô ſtudiô præparat omnia belli Dux, ut victoriam lucretur; judicandus, nè causâ concidat; Athleta, ut frangat alterum. Et hi labori nulli parcunt, ut palmô terræ, ut umbrâ vanæ gloriæ, ut honoris punctô, vel excoctæ per ſolem terræ particulâ potiantur. O curas hominum! o quantum eſt in rebus inane!

Quod verò majus negotium putes, quàm ſanctum imponere vitæ finem? Tanti profectò ponderis eſt, ut tota vita ſtudium illius eſſe debeat. Unde Pythagoras, vitam, palæſtram vocat moriendi. Et Seneca monet: *Vivere, totâ vitâ diſcendum eſt, &, quod magis fortaſſe miraberis, totâ vitâ diſcendum eſt mori.*

Etenim *imò:* Qualis mors, talis ſors. Quales nos reperiet hora ultima, tales excipiet æternitas: quia qualis tunc in nos cadet ſententia, talis & in extremo judicio; qualis in extremo judicio; talis perennabit, donec durabit immortalitas animæ. Auguſtinum audi Epiſt. 80. *In quo quemquè ſtatu invenerit ſuus noviſſimus dies, in hoc eum comprehendet mundi noviſſimus dies: quoniam qualis in die iſto quiſque moritur, talis in illo die judicabitur.* Hinc infert: *Vigilare debet omnis Chriſtianus, nè imparatum eum inveniat*

adventus Domini. Imparatum autem inveniet ille dies, quem imparatum inveniet vitæ suæ ultimus dies. Et Hieron: in c. 2. Joël. *Quod in die judicii futurum est omnibus, hoc in singulis die mortis impletur.*

2dò: Quia *mors omnium terribilium terribilissimum*; inquit Aristoteles; idq; tum ob acres insultus dæmonum, tum ob cruciatus conscientiæ, tum ob imminentis æternitatis horrorem. Tũ quòd sit inevitabilis ex decreto DEI. Hebr: 9. Tum quòd sit unica cujusvis hominis. Si pluries daretur mori, forsitan unâ perfuncti morte, studiosiùs nos disponeremus ad alteram: at nequit hìc error corrigi; semel errâsse, est pro semper periisse. Tum quòd sit quò ad circumstantias incertissima. Quare Thomas Kemp. Lib. 1. c. 23. ait: *Ah stulte, quid cogitas te diu victurum, qui nullum diem habeas hìc securum.* Tum quòd sit amarissima, ob memoriam præteritorum, ob amissionem præsentium, ob metum futurorum.

Metus hic etiam sanctos percellit. Fatetur S. Bernardus Serm. 56. in cant. *Dissolvi non cupio; sed formido.* Moriens Agathon rogatus: *Nunquid & tu times Pater?* Respondit; *Quantùm potui, mandata DEI servare studui; sed unde scio, opera mea placuisse DEO? Alia sunt hominum, alia Dei judicia.* Flevit S. Arsenius 120 annorum senex; & similiter quærenti dixit. *In veritate*

ritate timeo: & iste timor, qui nunc mecum est, semper in me fuit, ex quo factus sum monachus. Tremuit P. Antonius Padillius, licèt innocens; nam interrogatus: num sibi culpæ gravioris esset conscius? Respondit: *O JESU bone, quantum monstrum hoc esset, Religiosus & peccatum mortale!* Ergo stude nunc ità vivere, ut in hora mortis valeas potiùs gaudere, quàm timere: monet Thomas Kemp. Porro.

3tiò; Quàm est jucundum, lætum expectare beatam spem, & adventum magni DEI; intrepidum præstolari mortem pretiosam, quæ juxta S. Bernardum, est finis laborum, victoriæ consummatio, vitæ janua, & perfectæ securitatis ingressus! Horâ fatalî securum occinere cum Paulo 2. ad Tim. 4. Bonum certamen certavi, cursum consummavi; in reliquo reposita est mihi corona! Item: *Mihi vivere, Christus est; & mori lucrum.* Ridere in die novissimo cum muliere forti, seu muliere virtutis, ut quidam explicant apud Salazar. P. Joanni Morawski idem fuit exire de corpore, quod aliis ad hortum egredi. Quia vitam sanctam mors non perimit, sed coronat. Quin & Cicero de se scripsit Lib. de Senect; Ex ista vita discedo, tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo: commorandi enim natura diversorium nobis, non habitandi locum dedit. O præclarum diem, cùm in illud anima-

rum concilium cætumq; proficiſcar, & cùm ex hac turba & colluvione diſcedam! Utinam tam hilaris occumbat Chriſtianus! At *venientem nemo hilaris mortem excipit; nisi qui ad illam diu ſe ſe compoſuerit:* Seneca.

V. Media præparandi nos ad mortem.

Qui curat in judicio lucrari cauſam, *1mò:* removet omnia, quæ poſſent eam dejicere; vel infirmare. *2dò:* illam aſſiduâ mente volvit. *3tiò:* ludi, cibi, potûs, nugarum, obliviſcitur. *4tò:* immo ſeponit & ſeria negotia, ut iſti vacet. *5tò:* patronos comparat. *6tò:* labori non parcit, & ſumptui. *7mò:* ſimiles aliorum cauſas ſollicitè promovet. *8vò:* omnia ſic agit, ac diſponit; ac ſi mox judicandus foret.

Ità, qui diſceſſum præparat è vivis, *1mò:* ſeriò diſcuſsîs omnibûs conſcientiæ latebrîs, quidquid illam gravat; mox amoveat per confeſſionem. S Franciſcus Borgias quotidie, ſaltèm manè & veſpere, hoc Sacramento animam expiabat. Quia, ùt ait S. Leo: *Non manet judiciô condemnandum, quod fuerit humili confeſſione purgatum. 2dò:* continuò cogitet, ſe moriturum. S. Marcella, teſte S. Hieronimo, Epiſt. 6. ad Principiam laudabat inde Platonem, quòd *Philoſophiam meditationem mortis continuam eſſe dixit; & præceptum Satyrici; Vive memor*

mor

mor lethi, fugit hora. Sic ergo vixit, ut ſemper ſe crederet eſſe morituram: Et ſic implevit illud Senecæ: *Effice tibi mortem cogitatione familiarem; ut ſi ità ſors tulerit, poſſis illi obviàm exire.* Severus Imperator in conclavi ſervabat ſarcophagum, quem ſæpe contrectans dicebat: *Tu virum capies, quem orbis capere non potuit.* Carolus V. quoquò ſe contulit, urnam ſecum, & funebrem apparatum portabat.

3tiò: Quantum natura patitur, neget corpori placentia. Hoc enim incraſſatum & impingvatum, non capit anguſta via, quæ ducit ad cælum. *4tò*: Aliis negotiis tantùm ſe commodet, mortis negotio totum ſe donet. Plus requirit Thomas Kemp; Serva te tanquam peregrinum & hoſpitem ſuper terram; ad quem nihil ſpectat, de mundi negotiis. Ut peregrinus vixit S. Gregorius Thaumat: qui nullum poſſidere locum, & in alieno ſepulchro condi voluit. Niſ. in ejus vita. *5tò*; Cauſæ tantæ maturè comparet Patronos; ùt monet Thom: Kemp; Fac nunc tibi Patronos, venerando Chriſti Sanctos; ut cùm defeceris in hac vita, recipiant te in æterna tabernacula.

6tò: Non ſolùm labori, verùm nec ſumptui parcat; ſed *eleemoſynis redimat peccata.* *7mò*: Juvet moribundos orando, ſolando, monendo. Hoc enim eſt excellens charitatis opus; porro S. Hieronymus inquit; *Non memini me*

legiſſe,

legisse, malâ morte mortuum; qui libenter opera charitatis exercuit. 8vò: Sic vivat, quasi quotidie moriturus. Verba sunt prædicti S. Doctoris. Et S. Antonii: *Tu hoc anno, die fortè morieris: sic ergo vive, quasi hodie moriturus.* Sic Barlaam instruebat suum Josaphat: Hodie te vitam Religiosam inchoâsse cogita, hodie finiturum. Damasc. Putet Christianus, unum se esse de illis animalibus ad flumen Hypanim nasci solitis; quæ tantùm unico die vivunt: ut ex Aristotele scribit Cicero. Tusc 1.

Impedimenta.

VI. Quòd frigidè nos ad ultimũ diẽ disponimus, *1ma* causa est, secundùm Idiotam Lib. 1. de contemplat. mort: quòd illum ùt longè distantem apprehendimus; contra quàm moneat Philosophus Lib. 17 Ep. 102. *Nemo scit nostrûm, quàm procul versatur terminus; Sic itàq; formemus animum, tanquam ad extrema ventum sit.* *2da* causa est; quòd curæ tantum impendimus vanitati; ut vix aliquid restet utilitati. O quantum veri lucraremur boni hac operâ, quam exhauriunt fucata bona! Quàm utilior esset cogitatio mortis, quàm cura caducæ vitæ! Sed *anni nostri meditantur, sicut aranea.* Quid meditatur aranea? ut ex imis visceribus educat fila. Quo fine? ut ex illis contexat telam. Ad quid? Ut muscam capiat.

S. Gre-

S. Gregorius Lib. 4. Dial. cap. 10. refert, quòd Spes Abbas, post 40. cæcitatis annos, in morte visum recepit. Et tibi mors aperiet mentis oculos, dum oculos claudet corporis. Aliter tunc videbis omnia. Ergo *fac modò, quæ quondam facta fuisse velis:* hortatur Thomas Kemp. Imit Lib. 1. c 23. Compone rationes cum Deo, dum tempus favet. *Nam incertum est, quo loco te mors expectat: tu quoque omnî locô illam expecta.* Seneca ep. 26.

MEDITATIO II.

De judicio particulari.

Punct. 1. Audiam S. Paulum Rom. 4. *Omnes stabimus ante tribunal Christi.* Imaginabor, quòd anima mea migrat è corpore, pallet, tremit, arescit præ timore; trahitur ad tribunal Christi; tanquam sponsa ad sponsum, quem toties perdere voluit; tanquam miles proditor ad ducem; tanquam villicus iniquitatis ad dominum, cujus bona dissipavit; tanquam servus nequam ad herum, cui manus injecit, cui machinatus est necem. Quantus pavor, quantæ angustiæ me corripient! Certò id eveniet: & tunc clarè cognoscam, *imò:* magnitudinem & dignitatem Dei, quem contempsi. *2dò;* justitiam infinitam, cujus iram merui. *3tiò:* respectuum, plausuum, honorum, commodorū,

crea-

creaturarum omnium, & meam vilitatem ac vanitatem. *4tò* cognoſcam titulos omnes, quibûs ob igatus fui Deo. *5tò;* cognoſcam omnes actus totius vitæ meæ. *6tò:* Cognoſcam ac ſtupebo & ingemiſcam, quòd ille, qui erat Redemptor, qui erat ſervator, qui erat Pater; ille, qui pro me, ex amore mei mortuus: ille factus ſit judex diſtrictus, & vindex ſeveriſſimus, exacturus à me rationem ſangvinis, quē pro me fudit; beneficiorum, quæ mihi contulit; rationemq́; totius vitæ. Heu ubi me abſcondam à facie iræ tuæ? quò ibo à ſpiritu tuo & quò à facie tua fugiam?

Punct. 2. Audiam Eccleſiaſticum Cap. 11. *In fine hominis denudabuntur opera ejus.* Imaginabor ſtare me jam ante judicem Chriſtum. Aſſiſtit mihi à dextris cuſtos Angelus, ſed à longè, ſed mæſtus. Aſſiſtit à ſiniſtris dæmon, monſtrans grandem elenchum meorum criminum. Chriſtus, juxta Innocentium papam, oſtendit cicatrices vulnerum & plagarum. exigit rationem *imò:* omnium factorum, dictorum, cogitatorum, cujusvis verbi otioſi. *2dò:* malorum exemplorum, quò ad domeſticos & externos. *3tiò;* omiſſionum bonorum operū, & occaſionū merendi neglectarū. *4tò:* judicat juſtitias, nempe uſum Sacramentorum, orationum, mortificationū, zeli, &c. Horum omnium excutit intentiones, attentiones, fervores,

&

& omnes circumſtantias. ſtò; excutit uſum talentorum naturæ, uſum gratiarum, & favorum gratis datorum, dicitq; vide, quot mihi intuliſti mala! vide, quot tibi contuli dona naturæ & gratiæ! redde rationem villicationis tûæ. Putabas, hæc tua, non mea fuiſſe? putabas, in te caſu quodam & nullo fine à me projecta, meq; horum prodigum cogitabas? Serve nequam, ſciebas, ideo te unicè conditum & conſervatum, ac tot donatum bonîs; ut in omnibus & per omnia mihi ſervires, meæq; ſtuderes gloriæ; ſciebas, te de omnibus judicandum! redde rationem! Poſt tot benefacta, inter tot gratias, & auxilia, itane te vixiſſe decuit? Urgebit diabolus, & dicet; juſte judex, judica juſtè; en iſte tantas bonitatis tuæ divitias contempſit in gratiam mei, quem ſciebat juratum tuum, immò & ſuum hoſtem; te contemptô adhæſit mihi; judica, cui adhæſit? quem contempſit? Egoné Creator ejus, Redemptor, Conſervator? Ah mi Deus! quid mihi tunc animi? non reſpondebo tibi unum pro mille. Quid ſum miſer tunc dicturus, quem patronum rogaturus? quæro patronos? nullus adeſt: etiam Mater Judicis prohibita intercedere.

Punct. 3. Audiam S. Paulum 2. Cor. 5. *Manifeſtari me oportet ante tribunal Chriſti; ut referat unusquisq; prout geſſit, ſive* bonum, *ſive malum.*

lum. Cogitabo; post examinata rigidissimè ac discussa omnia etiam minutissima, succedet decretum. Ah decretum, sinè appellatione, irrevocabile, immutabile in æternum! Ah decretum, quod me faciet, aut in æternum miserum, aut in æternum beatum! Hoc cùm me lateat, cur securus, ac sinè metu vivo liberè? cur seriam pænitentiam differo? immò cur accumulo peccata peccatis? cur non placo judicem, cùm placari potest? Heu scio venturũ diem, quô futurus est implacabilis! Quis mihi spopondit habiturum me postea opportunitatem ipsum placandi? nunquid placabilior erit, dum illum diutiùs offendam? quis mihi spopondit, me miseratione dignum fore, si hanc præsentem conciliandi mihi ejusdem judicis occasionem neglexero? si nunc mihi, ùt par est, non prospiciam; fortè nunquam prospiciam. Anima mea, si nunc in jus vocareris; quam sententiam expectares? quid Christo reponeres exprobranti? Non allegares defectum gratiarum: nam has in copia percipis, at spernis. Non fragilem naturam: quia tot alii similis naturæ te damnarent. Non passiones: quia sub te est appetitus tuus, & tu dominaris illius. Non difficultates: quia volenti nihil difficile; præsertim, dum agitur de Cælo, quod violenti rapiunt. Ergo perditio tua foret ex te Israël. Juste judex ultionis, donũ fac &c. *Punct.*

Punct. 4. Audiam Ezechielem cap. 33. Quomodo ergo vivere poterimus? Sententiam vitæ æternæ obtinendi, hi ſunt modi: *1mus:* Contemnere humana de nobis judicia, ut ajebat Apoſtolus. *Mihi pro minimo eſt, ut à vobis judicer, aut ab humano die;* quia unicum judicium Chriſti eſt, cujus ſemper debet haberi ratio. *2dus:* Continuò cum D. Hieron. extimeſcere illud judicium; & cum Job, quaſi tumentes ſuper ſe fluctus, iram Dei; Quid dicam, cùm inſurrexerit adversùm me Dominus? *3tius:* Non eſſe præcipitem in cenſurandis, minùsq; condemnandis aliis; nec eos futilibûs onerare ſuſpicionibûs. *Non judicate, & non judicabimini.* *4tus:* Ipſi nobis auſteri ſimus judices; juxta illud Pauli: *Si nos judicaremus, non utiq; judicaremur à Domino.* *5tus* eſt ex verbis Chriſti: Eſto conſentiens adverſario tuo in via; id eſt: conſcientiæ recta ingerenti, tuisq; paſſionibus adverſanti. *6tus:* Placare Matrem Judicis.

In colloquio, *1mò;* Serius dolor, quòd hactenus Judicem Chriſtum non placaverim. *2dò:* Agendæ ipſi gratiæ, quòd mihi conceſſerit tempus pænitentiæ. *3tiò;* Elicienda contritio perfecta. *4tò;* Firmum propoſitum expiandi, quidquid in judicio metum mihi poſſet incutere. *5tò;* Statuenda media expiandi. *6tò:* Imploranda auxilia. *7mò;* Deprecandus Judex,

dex, & per illud decretum mortis, quod propter me acceptavit, orandus; ut, dum venerit judicare, nolit me condemnare.

Thom; Kemp; L. 1. c. 24

Teſſera. *Magnus dies Domini, & terribilis valde, & quis ſuſtinebit eum?* Joëlis 2.

Præſentis temporis ſic age lætitiam, ut nunquam amaritudo ſequentis judicii recedat à memoria. S. Gregorius.

O anguſtia! hinc erunt accuſantia peccata, inde terrens juſtitia, ſubtus patens chaos inferni, deſuper iratus Judex, intus urens conſcientia. Et, ſi juſtus vix ſalvabitur; peccator ſic depreſſus, in quam partem ſe premet conſtrictus? Ubi latebo? ubi apparebo? latere erit impoſſibile; apparere intolerabile. Quid dormitas o anima tepida, & digna evomi? qui non expergiſcitur, qui non tremit ad tantũ tonitruũ; non dormit, ſed mortuus eſt. S Anſelmus.

REFLEXIO
Supra Communionem Sacramentalem.

I. Effectus Euchariſtiæ eosdem eſſe dicit S. Thomas p. 3. q. 79. quos Paſſionis Chriſti. Hos ibi numerat. *1mò;* Confert & auget gratiam ſanctificantem art. 2. ad 2. *2dò*: Confert actuales gratias, illas excitat, fervoremq; devotionis accendit. Ibid. *3tiò;* Excitat virtutes ad

ſuos

ſuos actus. art. 4. C. *4tò:* Præſervat à peccatis. art. 6. C. quod & Trident. docet. Seſs. 13. c. *2.* *5tò:* Nam interiùs animam roborat, ſicut panis, vel medicina roborat corpus: exteriùs autem vincit tentationes, & tentatorē. Ibid. *6tò:* Delet peccata venialia. art. 4. C, idem definit Trident. Seſs. 13. c. *2.* *7mò:* Delet mortalia, quorum quis non habet conſcientiam, nec affectum, art. 3. C. *8vò:* Delet pænam debitam peccatis, ſecundùm menſuram devotionis, art. 5. C. S. Bonaventura dicit: *ſecundùm menſuram Charitatis.* Lib. de perf. ad ſoror. *9nò:* Confert dulcedinem, & ſvavitatem ſpiritualem. art. 8. C. In Chronicis Ciſterc. Monachus triduô totô poſt Communionem, mellis dulcedinem in ore ſentiebat. Id ipſum de P. noſtro Salvatore Piſqueda ſcribit in ejus vita Nierembergius. *10mò:* Minuit fomitem peccati, art. 6. ad 3. *11mò:* Communicantem in Chriſtum convertit, ùt docet S. Thom. 4. ſent. diſp. *2.* q. 2. art. 1. Auguſtino Chriſtus dixit: *Nec tu me convertes in te, ſicut cibum carnis: ſed tu mutaberis in me.* Iſta converſio conſiſtit in conformatione morũ ad mores Chriſti.

II. Cur hos effectus non percipias: cauſam *1mam* aſſignat Rhodez Diſp. 1. q. 3. Sect. 1. §. 3. de Euch. ſcilicet *occultas mortales culpas necdum ſublatas.* Nam non tolluntur per Eucha-

ristiam, si communicans non sit attritus supernaturaliter. Item in sententia docente, quòd Eucharistia deleat mortalia per causatam à se contritionem in communicante; non tolluntur; si communicans non disposuit se ad contritionem per actus fidei & spei, saltem virtuales. *2da causa* sunt peccata venialia, quæ licèt augmentum gratiæ non impediant, ut inquit S. Thom ar. 8. effectus tamen alios impediunt Sacramenti: quia reddunt nos indignos specialibus DEI favoribus. *3tia* causa est negligentia, tum antecedens, tum concomitans, tum subsequens in usu Sacramenti hujus. Proinde vide.

III. *1mò:* Quantô ad illud te disponis studiô? quia cum S. Bonaventura communiter censetur, quòd *effectus Sacramentorũ solet esse secundùm dispositionem suscipientis.*

2dò; An præmittis dispositionem remotam, quæ stat in hoc: *ut totâ vitâ, & maximè totâ septimanâ rectum vivendi modum serves:* inquit M. Avila, tom. 2. Epist.

3tiò; An *probas*, hoc est: an examinas te ipsũ, antequam edas de pane cæli? à Christo probationem hanc institutam esse docet Trident, Sess. 13. Can. 7. S. Leo Epist 91. Cyprian. Serm. de laps.

4tò: Si quid gravius advertis, an non contentus contritione, confessione diluis? id enim

statuit

ſtatuit Trident. l. c. dicens: Probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumvis contritus videatur; absq; præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad Euchariſtiam accedere debeat. Aliàs *reus erit Corporis & Sanguinis Domini, ac ſi Dominum occidiſſet, & Chriſti Sanguinem fudiſſet*; addit Chryſoſt.

5tò; An etiam venialia tergis, nè irreverentiam irroges Sacramento?

6tò: An ità te probas; ùt etiam radices venialium evellas? Sic enim hunc Apoſtoli textum explicant Ambros. & Chryſoſt.

7mò: An inordinatos animi motus comprimis, ùt plenè pacatus ſuſcipias Regem pacificum?

8vò: Quantùm te mortificas? Exod. 12. Agnum & azymos panes oportuit edi *cum lactucis agreſtibus*: hoc eſt; *cum amaritudine*, prout exponit Ambros. Suarez maximè linguam ſvadet mortificandam, quòd hæc prima Chriſtum ſuſcipiat.

9nò; Quantum excitas in te deſiderium epuli ſacri? Tantùmne ſaltèm, quantum famelicus cibi corporalis? Definit Florent. Concil. *Quòd ſicut panis corpus ſuſtentat, roborat, nutrit, auget; ſic animam Euchariſtia.* Idem docet S. Thom. p. 3. q. 79. a. 1. C.

10mò; Quantam excitas fidem, ſpem & vel maximè charitatem? quia *juxta menſuram cha-*

ritatis percipitur effectus hujus Sacramenti. ait S. Laurent. Justin.

11mò; Quantam humilitatem? Ipse Christus ante sacram cœnam ad pedes Judæ se demisit.

12mò; Quantum huic proximæ præparationi tempus impendis? S. Cajetanus 8. horas, S. Aloysius triduum impendebat. P. Didacus Martinius 200. actus amoris & adorationis præmittebat Missæ. At S. Bonaventura dicit: *Licèt mille millibus annorum te ad hoc Sacramentum præparaveris; nihil esset ad condignam susceptionẽ.*

IV. *13tiò.* Quàm purâ conscientiâ DEUM suscipis? *Pura est, quæ non habet de præterito justam accusationem; de præsenti injustam delectationem: de futuro injustam voluntatem:* inquit Hugo Victorinus.

14tò: Quantâ reverentiâ, timore, contritione? Exclamat Ambros. Orat. ante Miss: Quãtâ cordis contritione, & lacrimarum fonte, quantâ reverentiâ & tremore, quantâ corporis castitate, atq; animi puritate, illud divinum & cæleste mysterium est celebrandum!

15tò; An observas, quæ Paschalis Agni figurat esus? Exod. 12. Audi B. Algier. Algier. l. 1. de Sacram. alt. c. 22. *Lex dedit in calceamentis cautelam, nè à vitiis fallamur; in baculo disciplinam, qua perpetrata corrigamus; in lactucis compunctionem: in festinatione, desiderii ardorem; quô ad cælestia suspiremus; in accinctis renibus continen-*

tinentiam & castitatem. An hæc statuis in agni mystici sumptione?

16tò: An non crudum agnum comedis? *Crudum agnum comedit, qui non considerat ejus dignitatem, & bonitatem DEI, qui nos suo corpore pascit;* inquit S. Gregor.

17mò; An os illius non confringis? Ossa sunt sanctæ intentiones & proposita; dicit S. Bern. Vide an sanctas intētiones, proposita generosa, votaq; renovas, promittisq; te illa nō fracturū?

V. *18vò;* Quibus actibus, quo fervore, quādiu gratias agis pro cælesti mensa? Pleriq; cum P. Petro Fabro totam diem: S. Aloysius totum triduum illi tribuebat. Saltèm tamdiu conversandum esset cum tanto Domino, donec digerantur species Eucharisticæ.

19nò; Quid præcipuum offers tanto hospiti? exigit ille cor tuum; ergo præbe illi cor tuū, præbe potentias omnes, & quidquid judicas ei gratū fore. At præcipuè sic communica, quasi foret ultima communio; ùt multi faciunt exemplô P. Drużbicki.

20mò; Quàm frequenter communicas? Panis hic est animæ vita, est & vita corporis. Sinè alio cibo servabat S. Catharinam Sen. Ludgardem, Mariam Ogniac: & per triennium Joannem Abbatem, cui dixit Angelus: *Christus tibi verus erit cibus.* Refert Pallad.

21mò; Quoties in diem visitas hunc amoris

vinctum? S. Borgias ubiq; secretam curabat habere cellam, ad latus aræ maximæ, in qua crebrò cor effundebat ante DEUM. P. Jacobus Salesius singulis horis, S. Aloysius ferè singulis, P. Valerius Reginaldus ante quodvis opus notabilius, P. Lessius, quoties è cubiculo prodiît; Eucharisticum Numen invisebat. S. Xaverius in Sacrario noctabat crebrò, quò faciliùs & sæpius Eucharistiam adiret noctu: Vit. L, 6. c. 1.

22dò: Quâ reverentiâ genuflectis ante Venerabile? hoc dum ad infirmum portaretur, P. Sylvester Landinus in luto fixit genua; nec ullam reperit in veste maculam. In simili casu, grex asinorum ex utroq; viæ latere, pulchro stetit ordine, tamdiu, donec rediret Sacerdos, ac eos data benedictione dimitteret. Hist. Soc. p. 1. l. 2. n. 27.

LECTIO SECUNDA
De Examine Conscientiæ.

I. Modicum sanè B. Pater N. 4. p. const. c. 4. à nobis exigit, dum exigit binum quadrantem horæ, quo post distractiva negotia redeamus ad nos, & vocemus ad calculum diurnos actus. At hoc modicum maximi est momenti. *Imprimis*, quia spondet Apostolus 1. Cor. 11, quod, *si nosmetipsos dijudicaremus*, seu

ſeu examinarêmus, (ùt cum Cajetano legunt alii) *non utiq; judicaremur*. Amat enim Deus confitentibus parcere, & eos, qui ſemetîpſos judicant, non judicare; inquit S. Aug. Sent. 210. Quid etenim tribunal Chriſti ventilabit, & vindicabit; niſi delicta noſtra? frequens autem & accurata conſcientiæ diſcuſſio nos à delictis arcet, ac velut infractus agger aquā iniquitatis cohibet, detinet á lapſib9. Hoc affirmat Seneca de ira lib. 3. c. 36. *Deſinet ira, & erit moderatio; quæ ſciet, quotidie ſibi ad judicem eſſe veniendum*. Quod Philoſophus de ira, hoc de quovis vitio ſentit Chryſoſtomus.

Et ratio eſt: nam qui non oſcitanter excuſſit animum, culpas agnovit, ritè perpendit, ſincerè planxit, ſeverè caſtigavit, firmiter vitare ſtatuit; ad illas non facilè redibit. Deus quoq; iſtam animæ curam gratiîs præmiat efficacibûs, nec eas denegat facienti, quod eſt in ſe. Sicut è diverſo, quandoq; ſubtrahit easdem gratias, propriæ ſalutis incurio.

2dò: Idem examen, ubi reperit peccata, delet illa per contritionem, ſi perfecta ſit: de quo vide Trid. ſ. 14. de pænit. c. 4. S. Thom. p. 3. q. 85. a. 6. & q. 86, a. 3. in Corp.

3tiò: Juxta S. Dorotheum, paſſiones frænat; quæ niſi domentur, in non leves impellunt noxas.

4tò: Præparat ad integrā & exactā cōfeſſionē

ſacramentalem. Quia, qui non ſegniter init ſuorum defectuum rationem; illorum, præſertim proximè confeſſurus, non meminiſſe nequit. Quippe, ùt ait quidam Philoſophus, eorum, quæ ſeriâ mente volvimus, tenaces ſumus. Econtrario, dicit S. Bern: *Computatio dilata multa facit oblivisci.*

5tò; Somnium conciliat ſecurum, pacatum, ſvavem. Ità Seneca l. c. *Quid ergo pulchrius,* inquit, *hac conſvetudine excutiendi totum diem? Qualis ille ſomnus poſt recognitionem ſui ſequitur! quàm tranquillus, altus, ac liber!*

6tò: Gaudium eſt Angelis Dei, gaudium ipſi Deo ſuper peccatore peccata ſua recognoſcente, deflente, puniente, efficax adhibente medium ad eradicandum illa. Hæc autem præſtat omnia, qui ſuas actiones examini ſubjicit exacto. Illud Aſcetæ vocant *ſarculum animæ,* quô niſi purgetur; erit velut ager, per quē tranſivit Salomon Prov: 24: *Et ecce totum repleverunt urticæ, & operuerunt ſuperficiem ejus ſpinæ, & maceria lapidum deſtructa erat.*

Rectè prædictus Philoſophus, iſtam aſſignat defectuum noſtrorum cauſam, quod non deſcendimus in nos per ſeriam noſtri diſcuſſionem; ac dicit lib. 12. Epiſt. 84. *Hoc nos peſſimos facit, quòd nemo vitam ſuam reſpicit. Quid facturi ſumus, cogitamus; & id rarò: quid fecerimus, non cogitamus. Atqui conſilium futuri ex præterito venit.*

Id ipſum S. Climacus probat ſimilitudine providi Mercatoris, qui quotidie diei lapſæ ſupputat lucra & damna; atq; hæc omnî ſtudiô reſarcire ſatagit. Quod ſi negligat, actũ eſt de bonis ejus. Idem probatur & ex eo: quòd vita noſtra ſit velut corpus morbidum: ſi non perquiratur morbus, non agnoſcitur: ſi non agnoſcitur, quomodo pelletur?

Eandem vitiorum noſtrorum cauſam adfert S. Bern., quòd nimirum nos non introſpicimus, non perſcrutamur, non diſcutimus; & quantum intus virus alimus, ignoramus. Audi S. Doctorem Serm. 2. Quadrag. Miſer homo, qui totus pergens in ea, quæ foris ſunt, & ignarus interiorum ſuorum, putans aliquid ſe eſſe, cum nihil ſit; ipſe ſe ſeducit. Exteriorem quippe ſuperficiem intuens, ſalva ſibi omnia ſuſpicatur, non ſentiens vermem occultum, qui interiora corrodit. Manet tonſura, veſtis nondum mutata eſt, jejuniorum regula cuſtoditur, ſtatutis pſallitur horis: ſed cor longè eſt à me, dicit Dominus. Attende ſolerter, quid diligas? quid metuas? unde gaudeas, aut contriſteris? & ſub habitu Religionis animum ſæcularem, ſub pannis converſionis invenies cor perverſum.

II. Si non omnibus, certè pleriſq; ſanctis uſui crebro fuit, & cordi hoc ſanctum exercitium. S. Dorotheus Serm. 11. ait: Quò pa-

cto

ꝼto quotidie nos purgare, & propemodum expiare debeamus; exactiſſimè docuerunt Majores & Patres noſtri: nimirum, ut veſperi quisq; perquirat, quomodo pertransîerit diem: rurſus manè, quomodo peregerit noctem? S. Ephrem tom. 3. ſerm. de Aſcens: Veſpere & manè conſidera, quo pacto ſe habeat negotiatio tua, ac mercimonii ratio. Et veſpere quidem ingreſſus cubiculum cordis tui, examina te ipſum, & dicito: Putaſne, hodie in aliquo Deum exacerbavi? nunquid verba otioſa protuli? num per contemptum negligentiamq; peccavi? num in re aliqua fratrem irritavi? num alicujus famam laceravi? &c. Et factô jam diluculô tecum meditare: Quomodo, putas, iſta nox mihi pertranſiit? nunquid improbæ ac ſordidæ cogitationes invaſerunt me? &c. S. Bern. lib de vit. Solit: Manè præteritæ noctis fac è te ipſo exactionem, & venturæ diei tu tibi indicito cautionem. Veſpere, diei præteritæ rationem exige, & ſupervenientis noctis fac indictionem. Sic diſtractô nequaquam tibi aliquando laſcivire vacabit.

Similia ſtatuunt S. Baſil. hom. 1. de inſtit. Monach. S. Aug. in reg. S. Antonius Abbas, S. Bonavent. Tract. 2. Epiſt. 25. Et S. Pater Ignatius tam ante prandium, quàm ante quietem iſtud examen jubet inſtitui. Ipſe verò ſin-

ſingulis horis diſcutiebat ſeſe; ut ſcribit Maffeus lib. 3. vit. c. 1. Ribad L. 5. c 1. De S. Xaverio Turſelin. lib. 6. vit. c. 6. *Sæpiùs in die conſcientiam excutiebat ſuam, & cæteros ad idem faciendum magnopere hortabatur; in eo perfectæ vitæ cardinem verti ratus*. Idem de S. Franc. Borgia ſcribitur lib. 4. vit. c. 4.

Immò tam ſalutare opus etiam ethnicis uſitatum fuit, uti Senecæ, Epicteto, Plutarcho. De Pythagora teſtatur S. Hieron, quòd ille ſuis intimabat diſcipulis: *Duorum temporum quàm maximè habendam curam, manè & veſperi; id eſt eorum, quæ acturi ſumus; & eorum, quæ geſſerimus*. Tria verò potiſſimum diſcutienda docuit: *Quid feci? quomodo id feci? quid agendorum omiſi?* Id Phocylides ter in die præſtabat; teſte Stobæo. Galenus ſæpiùs præſtari jubet. De Sextio ſcribit Seneca lib. 3. de Ira c. 36. *Animus quotidie ad rationem reddendam vocandus eſt. Faciebat hoc Sextius, ut conſummato die, cùm ſe ad nocturnam quietem recepiſſet; interrogaret animum ſuum: Quod hodie malum tuum ſanâſti? cui vitio obſtitiſti? quâ parte melior es?*

III. Hoc examen complectitur 5. partes, quarum ſingulæ in ſingulis Chriſti vulneribus transfigendæ; vel ſub pedibus crucifixi; vel ſiſtendo nos, tanquam reos, coram Deo Judice; vel tanquam ægros coram medico; vel tanquam ſervos nequam coram Domino. *1ma*

pars

pars eſt *Gratiarum actio* pro beneficiis generalibus & particularibus, præſertim hac die à Deo collatis; maximè verò, quæ poſtulavimus hodie. Id enim, ſicut eſt pergratum Deo, ſic ad majora ejus beneficia viam ſternit; ùt patet in humanis. Proinde S. Baſil. in conſtit. Monach. c. 2. monet: *Orationem ordiendam eſſe à gratiarum actione.*

2da pars eſt *Petitio luminis*, ut ſeriò inquiramus, & clarè cognoſcamus delicta. Nam, ùt ait Plato lib. 5. de Leg: *Amor proprius excæcat nos, ac aliter depingit, præſentatq; nobis defectus noſtros, quàm ſint in ſe.* Sicut vitrum viride vel rubeum repræſentat res virides vel rubeas, quales in ſe non ſunt. Indiget ergo intellectus illuſtrari deſuper; ut clarè videat defectus, & eorum circumſtantias. Iſtud proinde lumen debet expeti.

3tia pars eſt: Ut nos ſtatuamus tanquam reos coram Deo, vel coram nobis, tanquam judicibus à Deo conſtitutis; prout monet S. Auguſt: *In tribunal mentis aſcende contra te, & reum te conſtitue coram te. Noli te ponere poſt te, nè Deus te ponat ante ſe.* Tum ſeriò coram oculis Dei viventis & videntis diſcutienda cõſcientia, quoad omnia, quæ attingunt Deum, proximum, nos ipſos; quoad præcepta Dei & Eccleſiæ; quoad regulas; quoad officium proprium; quoad ſenſus corporis, quoad potentias ani-

animæ, quoad intentiones, intensiones & alias circumstantias: quoad omissiones item &c.

4ta pars consistit in humili culparum agnitione, earum quàm maxima detestatione, deprecatione Divinæ Majestatis, dolore quàm intensissimo, petitione veniæ. S. Catharina Senen: & S. Maria Ogniacensis, aliiq; sancti sic leves deplorabant imperfectiones; ac alii gravissima peccata.

5ta pars est; firmiter ac in particulari seriam emendationem proponere; ad eam providere media, imponere sibimetipsi pœnā vindicativā; delictorū emēdationis impedimēta submovere.

Hæc omnia discere possumus à Seneca lib. 3. Epist. 28. dicente: *Qui peccare se nescit, corrigi noñ vult. Deprehendas te oportet, antequam emendes. Quidam de vitiis gloriantur. Tu existimas, aliquid de remedio cogitare; qui mala sua virtutum locò numerant? Ideo quantùm potes, te ipsum argue, inquire in te. Accusatoris primùm partibus fungere, deinde judicis, novissimè deprecatoris; aliquando te offende.* Consideranti patet, quòd hìc omnes ferè partes examinis expresserit Philosophus.

IV. *Impedimenta* examinis sunt; *1mum;* Violatio silentii, quæ facit, ut extrahatur in confabulationibus tempus examini consecratum. Contra hoc impedimentum exstant remedia in lectione de silentio. *2dum* impedimentum

est,

est, negligentia in observando ordine temporis & actionum. Propter hanc differuntur opera, *vg.* officium Divinum; & peraguntur sub tempus perscrutandæ conscientiæ. *3tium* est: privatis orationibus obrui; quas ut persolvas, tempus examinis illis impendis; contra quam clamant omnes Ascetæ: satiùs privatas devotiones omittendas esse, quàm præscriptas.

Concludit S. Chrysost. hom. 33. in Joan. Vos hortor, dilectissimi, ut, etsi nemo opera nostra videat; singuli suam conscientiam ingrediantur, & judicem sibi rationem constituant, errata sua in medium adducant: nisi velint, in die illa horrenda universo orbi ea manifestè patere.

MEDITATIO III.
De pænis Purgatorii.

Punct. 1. expendit acerbitatē pænarū Purgatorii. Audiā Deum dicentē Apoc. 21. *Tempus illorum erit in stagno ardente igne & sulphure.* Anima mea, descende cogitatione in stagnum Purgatorii: perpende, quanto ardeat igne & sulphure: perpende abyssalem ejus profunditatem, perpende incendiorum diluvium, fluctus flammarum, animas tanquam pyras flagrantes. Quid putas: quàm acerba sit illa

pæna?

pæna? *Ibi erit una hora gravior in pæna, quàm hìc centum anni in gravissima pænitentia* inquit Thom. Kemp. De Imitat: l. 1. c. 24. Immò S. Thomæ & communis sensus est, quòd unica Purgatorii poena excedat omnes poenas, quas unquam homines passi sunt, aut pati possunt. Plùs asserunt alii cum S. Cyrillo, cui hoc retulit quidam redux ex Purgatorio; si omnes, quæ in mundo *cogitari* possunt poenæ, tormenta, afflictiones, minori, quæ in Purgatorio habetur, poenæ comparentur, velut solatia erunt: mallet enim quilibet viventium, si eas experientiâ nosceret poenas, usque ad finem mundi omnibûs hìs simul, sinè remedio cruciari poenîs, quas omnes homines sigillatim ab Adamo usque huc pertulerunt: quàm uno die in Purgatorio, minori, quæ illic habetur, poenâ torqueri. Hinc S. August. & S. Cæsar. Arelat: iisdem verbîs dicunt: *Ille purgatorius ignis durior erit, quàm quot potest pænarum, in hoc sæculo aut videri, aut sentiri, aut cogitari.* Nam *imò;* id utique sentis de pænis inferni: Porrò, excepta temporalitate, eædem sunt poenæ in Purgatorio, quæ in inferno; ut docet S. Gregor: L. 4. Dialog: c. 26. & S. Thom. in 4tum. Distin. 21. a. 1. Immo quandoque majores in Purgatorio; qui enim pro uno peccato damnatus est ad infernum, leviùs patitur, quàm ille in purgatorio, qui immediatè ante mortẽ dele-

delevit plura mortalia, quoad ſolam culpam. 2dò: quia, ſi nunc, dum eſt *tempus* miſericordiæ, tam dirè Deus punit peccatum veniale; ût conſtat ex ſcripturis: quomodo punit tunc, dum eſt tempus *ſolius juſtitiæ*?

Pun. II. Expendit diuturnitatem poenarum purgatorii. Audiam Chriſtum Dominum Math. 5. *Non exibis inde, donec reddas noviſſimum quadrantem.* Anima mea: vidiſti, quàm acerbæ ſint poenæ ergaſtuli purgatorii; vide, quàm inſuper longæ ſint. In hac vitâ, *Nemo poteſt multùm dolere & diu*, inquit Seneca; quia multus dolor inducit mortem, & cum ea deſinit. Jam purgatorii tormenta, licèt graviſſima, mortem non afferunt; ideoq; durant, donec miſera anima ad noviſſimum quadrantem exſolvat debita. Ah debita! aliqui cenſent, pro uno veniali peccato torreri animam anno uno; cæterùm ex vitis Patrum conſtat, monachum quinquenniô arſiſſe, quòd quinque piſorum grana neglectim amiſerit: alium, quòd ultra neceſſitatem unum foco lignum appoſuerit; alium quindecim annos vapulâſſe, quòd non deſideraverit ardenter, videre Sanctiſſimam Trinitatem. At ſi pro quovis veniali unicâ tantùm horâ patiendum foret; in quot annos cruciatus excreſcerent! Tandem in purgatorio brevis alioquin poena, apparet animæ longiſſima; ùt S. Gregor. teſtatur

de

de quopiam milite; & in annal. Frater Constantinus à salvatore de se ipso retulit hæc: *In purgatorio triduanas poenas absolvi, quæ trium millium annorum supplicia mihi visa sunt.* Cogita jam: si unum diem, calculi, vel dentium, vel colicum dolorem ferre grave; immo insomnia per unam noctem, etiam in molli lecto, gravia sunt; quomodo per plures annos ferre poteris tormentum, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascẽdit; idq; sinè ulla intermissione, sinè ullo levamine, sinè ullo solatio, ac in tædio prope immẽso?

Pun. III. expendit inutilitatem poenarum purgatorii. Audiam Deum supra Sap. 3. *Labores sinè fructu, & inutilis opera eorum.* Cogitabo: Quanta infelicitas animæ piacularibus suppliciis addictæ! Deflet peccata, gemit, ejulat; nihil meretur. Amat Deum, amat ardenter; lucratur nihil. Ardet desideriô videndi Deũ, & amandi beatificè; sed sinè fructu. Inter hæc omnia, tolerat acerrimas poenas, & immensa tædia: per hoc nec unicum gradum gratiæ promeretur, aut levamen poenæ. Planè similis mancipio, quod laborat & patitur; interim præ fame moreretur, nisi gratis ipsi aliunde succurratur. Similis egeno, in extrema necessitate posito; qui sibi ipsi prodesse nequit, quantumlibet laboret & patiatur. Vide jam anima mea, quò tendas per peccata venialia?

nialia? Compara ſtultum illud commodum, quod ex illis percipis, cum tantis damnis, quæ tibi inferunt. O damna! Subjici tantis ærumnis! o damna! privari, idq; per plures annos, viſione & amore beatifico! auderemne peccare, ſi ſcirem, me propterea vivum cremandū, & amiſſurum valetudinem ad tempus? Et ecce, quoties me reſolvo ad peccandum, etiam venialiter; toties ad millies majora me ſupplicia reſolvo, & ad amiſſionem ad tempus, quandoque longum, illius boni, cui par in hac vita nullum eſt; ſcilicet ad privationem beatitudinis, cujus unicum momentum prævalet totius mundi bonis. O fatuitas mea! Heu quot annorum in purgatorio poenas jam promerui! Adhucne ignibus illis addam pabulum? An non ideò conſervor à Deo, ut eos extingvam? & ecce quotidie augeo. An non credo dari purgatorium? Væ mihi! quia credo, & ità vivo, quaſi non crederem!

Modi breviandi purgatorii poſſunt eſſe iſti: *1mus*: Libenter dimittere offenſas: *Dimittite, & dimittemini.* Luc: 16. *2dus*: Sacramentorum exactus uſus, ut cum Bellarmino communiter docetur. *3tius*: Uſus accuratus indulgentiarum. quia S. Mariæ Magdalenæ de Pazis revelatum, monialem, quòd eum accuraverit, ſolùm 15. horas detentam in purgatorio. *4tus*: Amor Dei intenſus. *Dimittuntur ei peccata multa,*

ta quia dilexit multū Luc: 7mo: 5tus: Orare pro defunctis, immo omnem fructum satisfactorium illis donare. *Quâ mensurâ mensi fueritis, eâdem remetietur vobis* Luc: 6to: 6tus Adversa christianè perferre; quia nemo bis punitur in id ipsum. 7mus. Conciliare sibi Jesum Crucifixum, Matrem ejus, Custodem Angelum, Sanctos.

Colloquium: O quàm terrent me Domine, peccata mea! sed erigit in spem misericordia tua. At & ipsa misericordia terret me. Tamdiu me pateris, tādiu expectas, tādiu vocas ad curā salutis! Curas Babylonē, & non sanatur; misereris impio, & non discit justitiā. Ergo illuc mihi differs pænas, ubi non est locus misericordiæ. Patiar igitur, ut inde tibi proveniat gloria: patiar ex amore tui: patiar, ut me subjiciam tuo dominio: patiar, ut dem gustum tuæ justitiæ; patiar, ut morem geram tuæ sanctissimæ voluntati: patiar, ut tibi aliquatenus restituam honorem, quem ademi. Verùm tamen major utique tibi proveniet honor, si te citiùs incipiam beatificè videre, amare, adorare, laudare. Sed quô me redimam ex illo pænali carcere? Merita Flii tui solvo tibi pro meis debitis. Nonne acceptabis tantum pretium? Præter hæc plus non habeo. Habeo æra duo minuta, corpus & animam; & hæc mitto in gazophylacium cordis tui divini; il-

lic ea reconde in æternum. Thom: Kemp. L. 1. c. 24 L. 3. c. 11. & 12.

Cadit asinus, & omnes eum sublevare festinant: clamat porcus, & cum eo reliqui clamare non cessant: clamat inter tormenta fidelis; & non est, qui adjuvet S. August.

Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius. Gen. 42.

DIEI QUARTÆ MEDITATIO I.

De Inferno.

Punctum 1mum Audiam Job. c. 17. *Infernus domus mea est.* Cogitabo *1mo;* Infernus est damnatorum domus. Heu domus! non hospitiũ, non diversorium. Hæc requies eorũ in sæculũ sæculi, hìc habitabunt, quoniã elegerũt eam! cogitabo *2do*: Si domus aliqua circumdetur ab hoste facibûs armato, claudantur januæ, & omnis exitus prohibeatur; tum ex omni parte accendatur lignea moles illa, concipiat mox & ebulliat flammas, ac tota in pyram vertatur. Quis ibi clamor? quis rugitus? quis furor habitantium in illa domo? Hoc totum fiet cum *habitantibus in regione umbræ mortis.* Ah totum hoc, & longè plus, longè horribilius! Tum quia ignis ille, acrior milli-

millies, quàm hic terrenus; tum quia ignis noſter intra breve tempus omnia depaſcit & conſumit, nec habet ampliùs, quod urat. In illo torrētur damnati, ſed perire non permittū-tur. O domus infelix! ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat; ubi perennis luctus & ſtridor dentium; ubi omnia flamma, & ſulphureus ignis omnia: cubile, ſedes, pavimentum, parietes, tectum, àër ipſe, quô reſpiratur; nîl, niſi gehenna ignis, & ardores ſempiterni. Hæc ſunt, hæc, quæ animam Chriſtiani, uſque ad diviſionem animæ debent pūgere, lancinare, dilaniare. Hîs pupugerat Bernardus ſuorum corda: *Quis ſcit, utrum omnium, quos hic video, nomina ſcripta ſint in cælis?* Heu quis ſcit, quò tandem hoc lignum cadet, an ad Auſtrum, an ad Aquilonem? an in Paradiſum, an in rogum?

Punctum 2dum Audiam Spiritum S. Sap. 11. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* *imò!* Oculi, infauſti illi duces, quid videbunt? videbunt in illo igneo mari fluctus ſulphureos, videbunt erebi monſtra, larvas infernales, inſtrumenta cruciatuum. Videbunt varii ſtatûs, conditionis, ætatis, ſexûs, milliones hominum. Videbunt ſocios, amicos, familiares, cognatos, conſodales ignium æternorum; cū quibus velut canes rabidi, inter flammas colligati, commordebunt ſe ſe invicem; ſed nun-

quam invicem consumetur. De his Isaias dicit: *Erit populus quasi esca ignis; vir fratri suo non parcet, unusquisq; carnem brachii sui vorabit.* 2dò; Aures, quæ libenter vetitis mulcebantur, audient ejulatus terribiles, audient illud carmen; *Pereat dies, in qua natus sum*; audient lamentationes & væ, suspiria & rabiosos singultus, audient blasphemias, & voces desperationis. 3tiò; Gustus habebit suas cupedias; *Ignis sulphur, spiritus procellarum, pars calicis eorum*, fel draconum, lacrymæ damnatorum; bibent pleno haustu de calice iræ Dei, de furore omnipotentis. Hæc sunt convivia eorum, his bellariis post delicias tractat infernus, diabolus, mundus, caro. 4tò; Odoratus hauriet odores sulphureos, & quidquid ei nocentiùs omnipotentia irata apparavit; opplebitur fætore ex halitibus & corporibus damnatorum, de quo S. Bonaventura ait, quòd si vel unius damnati corpus in hunc mundum exportaretur, omnes confestim domos, pagos, urbes, provincias, totum àërem & universum orbem, pestilente lue inficeret; quid facient infinita corpora à tot annis tosta ignibûs post judicium extremum. 5tò: Tactus perfricabitur scorpionibûs, & infernalium belluarum ungvibûs. Ah quis vidit unquam tale, aut quis audivit huic simile? Eja sensus mei, respondete mihi; quis ex vobis habitare pote-

poterit cum igne devorante, & cum ardoribus sempiternis?

Punctum 3tium: Audiam Ezechiam Isa: 38. *Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Pœnæ sensuum umbræ sunt, respectu eorum, quæ damnatus perfert in anima. Recogitat *1mò:* quis olim fuerit? nempe amicus Dei, filius Dei, hæres cæli; nunc hostis Dei, mancipium diaboli, incola Erebi, idq; non ad horam, non ad annum, non ad mille annos, sed in æternum. *2dò:* Recogitat, ubi nunc est? ubi poterat esse tam facilî negotiô; scilicet in deliciis, quas nec oculus vidit, nec auris audivit. *3tiò:* Quid amisit? Deum summum bonum, gratiam ejus, visionem beatam, amorem beatum; omnia bona supernaturalia, immo omnia, quæ possent aliquod afferre solatium. *4tò:* Propter quid hæc amisit? heu illud, quàm erat modicum, quàm vanum, quàm spurcum & breve! *5tò:* Quòd amisit inter tot gratias, atq; eo tempore amisit, quô potuerat lucrari cælum; ad quod possidendū conditus erat à Deo, redemptus à Christo, auctus auxiliîs à Spiritu Sancto. *6tò:* Recogitat, quòd tam miser illius status nunquam deficiet; num enim aliquando deficiet Deus? nū justitia Dei? num decretum? num tortores? num tormenta? num tormentorum locus? num peccatum? num anima? nū æternitas?

Colloquium O JESU! o Salvator! o unica spes! justè monebas sequaces tuos, nè timerent eos, qui occidunt corpus, sed timerent eum, qui & corpus & animam potest mittere in gehennam. Credo immensa supplicia, & ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus: cujus tamen participatio in id ipsum in illis, qui ex patre diabolo sunt. Hinc timor & tremor venerunt super me: nam scio, me peccâsse, timeo æternis me addicendum pænis; nisi te placavero. At quomodo placabo? offeram merita tua, passionem & mortem tuam, offeram sangvinem pro me fusum, qui stygias extingvat flammas. Digna hæc sunt, ut acceptes, digna tuâ misericordiâ, ut mihi parcas. Sed ex amore tui nolo, ut hìc parcas; hìc ure, hìc seca, hìc non parcas, & in æternum parcas: ut in æternum amem & laudem te.

Thomæ Kemp. L. 1. c. 21. L. 3, c. 11.

In quid desæviet ignis ille, nisi in propriam voluntatem? S. Bernardus.

Non sinit in gehennam incidere, gehennæ recordatio. S. Chrysostomus.

Descendant in infernum viventes *Psal; 54.* *Addit S. Augustinus:* Nè descendant morientes.

Ut æterna futura supplicia possis evadere, mala præsentia studeas libenter pro Deo tolerare. Thom. Kemp.

Le-

LECTIO PRIMA
De Meditatione.

1. Doctor mellifluus in ſcala clauſtrali, meditationem à lectione, oratione & contemplatione ſic diſcriminat: Lectio eſt, inquit, ſedula ſcripturarum cum animi intentione inſpectio. Meditatio eſt ſtudioſa mentis actio, occultæ veritatis notitiam ductu propriæ rationis inveſtigans. Oratio eſt devota cordis intentio in Deum, pro malis amovendis, & bonis adipiſcendis. Contemplatio eſt mentis in Deum ſuſpenſa elevatio, æternæ dulcedinis gaudia deguſtans. Beatæ vitæ dulcedinem lectio inquirit, meditatio invenit, oratio poſtulat, contemplatio deguſtat. Unde ipſe Dominus dicit: Quærite, & invenietis; pulſate, & aperietur vobis. Quærite legendo, & invenietis meditando. Pulſate orando, & aperietur vobis contemplando. Lectio quaſi ſolitum cibum ori apponit, meditatio maſticat, & frangit; oratio ſaporem acquirit; contemplatio eſt ipſa dulcedo, quæ jucundat & reficit.

Lectio quaſi fundamentum occurrit primò, & datâ materiâ mittit nos ad meditationem. Meditatio verò, quid ſit appetendum, diligentiùs inquirit; & quaſi effodiens theſaurum, invenit

venit

venit & oſtendit. Sed cùm per ſe obtinere non valeat, mittit nos ad orationem. Oratio ſe totîs viribûs erigens ad Deum, impetrat theſaurum deſiderabilem, contemplationis ſvavitatem.

II. Præſcripſerat S. Pater noſter &c. 4. p. conſt. c. 4. ut Scholaſtici horam integram impenderent recitando Beatiſſimæ Virginis officio, atq; examinandis bis quotidie ſuis conſcientiis, cum aliis orationibus, pro cujuſque devotione. Magnô noſtrô bonô inſpiravit illi ſpiritus S. quòd declaraverit, poſſe has preces in meditationes commutari. Inſtituebatur igitur meditatio à pleriſq; necdum ei deſignatô temporis ſpatiô. Quod dum à Congregatione Generali 2da petebatur longius; res hæc decr. 41. relicta arbitrio Præpoſiti Generalis, qui tunc electus fuit, S. Franciſcus Borgia, mentalis Orationis perquam ſtudioſus. Is itaq; poſtea ſanxit, ut in tota ſocietate integra meditationi impendatur hora, præter binum examen conſcientiæ. Confirmavit hoc Congregatio Generalis 4ta can. 6.

III. Ad id poſtulandũ & decernendũ, permovit Patres noſtros ipſorummet experientia, quòd vix appareat planior & expeditior ad progreſsũ in Spiritu via, quàm meditatio. Hæc enim ait Bern: *regit affectus, dirigit actiones noſtras, corrigit exceſſus.* Ideo dæmon omnibûs viribûs

bûs ab illa retrahit, ùt testantur S. Thomas, Basilius, Cassianꝰ, atq; tot exēpla, tū alibi, tū apud Heribertum Rosveydum in *vita & verbis Seniorum*. Climacus ait, quòd sicut ad campanæ sonum fideles ad Deum precandum in Ecclesia congregantur; ità dæmones ad nos in oratione turbandos conveniunt. Quod accidit S. Marulo Abbati, ùt legitur in prato spirit. Is cùm media nocte ad orandum surrexerit, audiît clangorem buccinæ militaris, respondità; illi diabolus: *Hoc classicô dæmones ad turbandos in oratione servos Dei, exciri.*

Hostis hic noster, tanquam hirundo Tob. 2. oculos mentis nostræ oblinit, & claudit sordibûs vanitatum; nè videamus, quàm modicos & paucos ad perfectionem passus fecimus; quantum vitæ tempus miserè perdidimus, quàm parum pro felici æternitate simus lucrati, quàm indignè vinea animæ nostræ sylvescit, quantæ ascenderunt in ea vepres & spinæ vitiorum: ùt Isaiæ 5.

IV. Qui ità clausos oculos nostros aperiat, unicus Raphaël est *Meditatio*: in ea quippe cernimus, in quo defecimus, quid nobis desit, quare desit, quomodo adesse potest; qui maximè defectus radices agunt, quomodo evellendi, quæ virtutes & quomodo plantandæ. Quod sic declarat S. Bern. Ser. 1. de S. Andr. Ascendendo non volando apprehenditur summitas.

mitas. Ascendamus igitur veluti duobûs pedibûs, meditatione & oratione: Meditatio siquidem docet, quid desit; oratio, nè desit, obtinet. Illa viam ostendit, ista deducit. Meditatione deniq; agnoscimus imminentia nobis pericula, oratione evadimus.

Cæterùm Gerson alph. 34. meditationem non solùm præfert lectioni, & operi cuicunq; manuali, sed etiam orationi vocali. Rationem dat. Quia Oratio, ubi finita fuerit, ampliùs vix adfert fructum; post meditationem verò durantes reflexiones, lumina, proposita fructificant in anima. Ibidem appellat illam sororem lectionis, nutricem orationis, directricem operis, omniumq; pariter perfectionem & consummatricem. Hugo Victorinus negat perfectam posse esse orationem, nisi eam, aut præcedat, aut comitetur meditatio. Quod etiam S. Bern. in scala claustr. non diffitetur.

Idem Hugo Victorinus l. 3. de anima commendat egregios meditationis effectus, quos non præstat vocalis oratio. Redi, inquit, ad cor tuum, & subtiliter discute te ipsum. Considera, unde venis, quò tendis, quomodo vivis, quid agis, quid amittis, quantùm quotidie proficis, vel deficis; quibûs cogitationibûs magis incursaris, quibûs affectibûs tãgeris, quibûs tẽtationibûs à maligno spiritu magìs impugnaris? & cùm totũ interioris & exterioris hominis sta-

ſtatum cognoveris; non ſolùm qualis ſis, ſed etiam qualis eſſe debeas: de cognitione tui poteris ſublevari ad cognitionem Dei.

Cùm hæc arbor vitæ regularis, ejusmodi fructus pariat, quam ſapienter dicit Aug: *Intellectus cogitabundus, eſt principium omnis boni!* nam fundamentum omnis boni ſpiritualis, eſt cognitio æternarum veritatum; hujus autem cognitionis mater eſt meditatio. Hinc S. Thomas 2. 2. quæſt. 180. art. 3. ad 4. dicit: *Ad veritatis cognitionem requiritur meditatio.*

V. Sicut autem omnis boni ſpiritualis principium eſt Meditatio; ſic omnis mali ſpiritualis principium eſt ei, non ùt par eſt, affici. Iſaias cap. 12. unicam ruinæ ſpiritualis aſſignat cauſam, defectum meditationis: *Deſolatione deſolabitur terra, quia non eſt, qui recogitet corde.* Qui à Religione, vel probitate vitæ deficiunt; non negant, quòd ad hanc ruinam primus fuerit paſſus, neglectus hujus ſancti exercitii, quô neglectô, cæco impetu ruitur in peccata venialia; hæc pertrahunt ad mortalia; iſta excludunt à vexillo Chriſti, mancipant vexillo diaboli. S. Athanaſius *contra gentes* advertit, quòd primi Parentes è Paradiſo propter eandē cauſam exciderint. Adā, inquit, quamdiu mentem habuit ad Deum, Deiq; contemplationem intentam; averſus, alienuſq; fuit à corporeis ſpectaculis; ubi au-

tem, ſvaſu ſerpentis, abſtitit à cogitando Deo, ſe ipsũ autẽ conſiderare cæpit; ſtatim in concupiſcentias corporeas delapſus eſt. Cajet: in 2. 2. quæſt. 32. art. 3. cenſet *Religioſum, qui ſaltem ſemel in die diligenter meditationi non vacat*; nec dici, *nec eſſe poſſe Religioſum; eò, quòd ſicut effectus ſinè cauſa, & finis abſq; medio, & portus abſq; navigatione haberi nequit: ità perfectio Chriſtiana, ad quã Religioſus conniti debet, abſque oratione mentali obtineri nequeat.* S. Pii 5tì oraculum fuit: ſinè orandi & meditãdi ſtudio, neq; Pontificatûs, neque privatas animæ rationes ſibi cõſiſtere. Ideo S. Petrus Cæleſtinus elegit Põtificatũ potiùs deſerere, quàm meditationem.

VI. Hæc ut inſtituatur fructuosè, requiritur *imò*; ut præmittatur exacta præparatio. Monet enim Spiritus S. Eccli 18. Ante orationem præpara animam, & noli eſſe, quaſi homo tentans Deum. Quod S. Thom. 2. 2. quæſt. 97. art 3. ſic exponit: *Ille, qui ante orationem animam ſuam non præparat, ad devotionem ſe non diſponendo; non facit, quod eſt in ſe, ut exaudiatur à Deo: & ideo quaſi interpretativè tentat Deum.* Meditatio vocatur utiq; cibus animæ; cibꝰ autẽ nec ſapiet, nec nutriet: niſi debitè paretur priùs. Cornel. quintuplicem præparationem exigit. *1mam* Locat in avocatione mentis ab omnibus curis; ùt docet Chryſoſt. hom. 9. de var. loc. in Math. *2dam* in lectione

one Spirituali; ut ait Suares l. 2, de orat. met. c. 2. juxta illud S. Basilii dogma: *Lectioni succedat oratio.* Ista lectio solet esse præparatio materiæ meditandæ. *3tiam* in contritione: nam eò gratior Deo fit oratio, quò purior orat conscientia: inquit S. Eucher. *4tam* in consideratione Divinæ Majestatis, & tuæ vilitatis, qui cum Deo locuturus es, dicendo cum S. Francisco: *Quis ego, Domine, quis tu? Tu abyssus essentiæ, sapientiæ, bonitatis; ego abyssus nihili, ignorantiæ, malitiæ.* *5tam* in intentione; de qua in lect. de mortif. extern. n. 15.

Requiritur *2dò*: ut mens mox à somno non distrahatur objectîs alienîs, sed ad Deum convertatur, & in eo fixa maneat, saltem ad orandi tempus. Cùm enim juxta Cass. Coll. 9. *Quales orantes volumus inveniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus;* palam est, quòd siquidem in orando volumus immergi Deo; & ante orandum expediat in eo mergi; Proinde requiritur *3tiò*: non differre meditationem; sed quàm primùm instituere; donec animus est quietus. Hoc enim Deus videtur exigere, dum sibi primitias offerri jubet: & dignus est, ut tanquam Pater à filiis quàm primùm adoretur. Sic illum adorabat David: *Prævenerunt oculi mei ad te diluculô, ut meditarer eloquia tua.* Ità præterea docent S. Ambrosius in Psal. 118, S. Dionysius de Div. nom.

c. 1. Imò & Apollonii Thyanæi hoc fuiſſe præceptum, ſcribit Philoſtratus in ejus vita l. 1. c. 12. *Adveniente aurorâ cum Diis eſſe verſandum.*

VII. Requiritur *4tò:* ut præfigatur ſcopus, ad quem tendat meditatio; nempe vitii alicujus evulſio, vel radicatio virtutis. Sic librator tormenti priùs ſcopum prævidet, ad quem illud dirigat, & explodat. Ideo monet Aſceta noſter, ut meditandum, non id arripiamus, quod primò nobis occurrerit; ſed ſtatim conjiciamus oculos in illud, quo potiſſimum egebimus, & meditando quæremus. Ubi etiam ſvadet, ut de eadem materia, & altera, ac tertia inſtituatur meditatio. *5tò;* Igitur expedit meminiſſe, quòd meditatio non ſit finis, in quo ſiſtamus; ſed medium ad aliquam virtutem. Unde S. Ambroſius in Pſal. 118. *meditationis præceptorum cæleſtium, intentio vel finis, operatio ſit.* *6tò;* ut meditaturus ſtatuat ſe firmâ fide, & vivâ imaginatione coram Deo omnia vidente & penetrante. Hoc expreſſè præſcribit S. Pater, & S. Baſilius. Id enim diſtractiones arcet, fervorem accendit.

7mò; cùm diſcurſus tantùm ſit medium ad virtutis deſiderium & affectum; hoc ſubortô, diſcurſus abrumpi debet, affectus autem augeri, & protrahi; in eoq; ſiſtat voluntas, tãquam in termino. Ità docet S. Pater. & M.

Avila

Avila c. 75. *8vò*: Ut porro diutiùs protrahatur & continuetur hic affectus; juvabit repetere cogitationem, quæ illum causavit. Poterit etiam reaccendi, si seriò perpendantur actus illius virtutis, quam per meditationem quærimus. *9nò*: S. Nilus monet: *Si orare desideras, nihil facias eorum* (inter meditandum) *quæ orationi adversantur, ut tibi appropinquet Deus.* *10mò*: M. Avila docet: *Si mens incipit distrahi, ac evagari; abjice te magna humilitate ad pedes Dei; deprecare, si fortè id tuâ culpâ accidit.* Præter alios meditandi modos:

VIII. *1mò*: Usitatum est aliquibus & perutile, ità instituere meditationem; ut ejus puncta respondeant literis initialibus Sanctissimi nominis hujus: *MARIA*. Nempe, ut habens pro scopo meditandi, aliquam virtutem; *1mò* perpendat *M*, sive *motiva* ad eam impellentia. *2dò* A, seu *actus* hujus virtutis. videatq; utrum, & quomodo eos exercet. *3tiò*: *R*, seu *remedia* sive media inveniat, quibûs ad eandem perveniat virtutem. *4tò* *I*, seu *impedimenta* ipsum ab illa retrahentia; eaq; studeat amovere, ac modos amovendi provideat. *5tò* A, seu affectus eliciat doloris, deprecationis, propositi ad certas circumstantias restricti, petitionis gratiæ. Et hic modus optimè servit orationi mentali, quoties à punctis præviè parandis impedimur.

Alter

Alter modus: Recogitare Christi Passionem per illa adjuncta: Quis, quid, ubi, per quæ, quantum, cur &c. Tertium modum affert S. Bernardus; *contemplari*, inquit, *quid in se sit, quid intra se, quid infra, quid supra, quid contra, quid ante, quid postea sit. Hæc consideratio quadripartitum parit fructum; vilitatem sui, charitatem proximi, contemptum mundi, amorem Dei.* Hactenus S. Doctor.

IX. Fervorem & fructum meditationis impedit. *imò*: Ignavia, si non adhibemus ante, & inter meditandum media numerîs immediatîs allata. Sed maximè, si mentem aliena præoccupent objecta; quia *quales herbas in horto cordis tui plantaveris; talia semina germinabunt*; inquit S. Bonaventura de Profec. Relig. L. 2. c. 8, *2dò*: impedit nostra infirmitas, quam deflet S. Bernardus, quòd vix aliquam possimus orationem prosequi, *quin importunîs cogitationibûs turbemur*. Hoc impedimentum tollitur, tum per media supra data, tum per actus ejaculatorios. *3tiò*, impedit hebetudo intellectûs. contra hoc impedimentum proderunt actus ejaculatorii; proderit item, eadem puncta jam decursa, iterum decurrere; tandem proderit, amplam meditandi materiam parare.

4tò: maximum impedimentum venit à malo genio; quia oratio, juxta Augustinum, *est Deo sacrifi-*

ſacrificium, homini ſubſidium,] *dæmoni flagellum.* Unde *1mò:* vix experrectis, mox ingerit cogitationes impertinentes, aut malas; ùt ait Climacus gr. 22. *2dò:* retrahit à præpatatione. *3tiò;* ſvadet orationem in aliud bonum opus mutari. *4tò:* differri. *5tò;* abrumpi. *6tò:* injicit cogitationes pias, ſed alienas à ſcopo meditandi. *7mò;* interdum proponit principia, quæ videntur ſancta; ſed arcent ab inſiſtendo directioni P: Spiritualis. *8vò:* opprimit ſomnolentiâ, prout experiuntur multi, & conſtat ex vitis PP. *9nò;* objecta phantaſiæ præſentat, ad quæ propendet meditans; ùt opes, honores, laſciviam; prout vidit S. Macarius, teſte Heriberto Roſveido in vita & verb. ſeniorum.

MEDITATIO II.
De Judicio generali.

I. *Punctum 1mum:* Expendit antiprologum hujus ultimæ tragædiæ, ſeu præcedentia judicium extremum.

1mò; Tunc erit tribulatio magna, qualis non fuit; erit commotio maris & tempeſtates, terræ motus, terrores de cælo, & ſigna magna erunt. Erũt tonitrua horrifica, & fulmina, quibus Deꝰ faciet areſcere homines præ timore; ſtellæ de cælo cadent, ſeu cometæ, prout exponunt aliqui. Ingemiſcet tunc genus humanum; *Iratus eſt*

contra me furor ejus, & sic me habet, quasi hostem suum. 2dò; Ignis lapsus de cælo æstuant profluvio absumet orbem terrarum, ùt ipse DEUS ait Deut 32. *Ignis succensus est in furore meo & ardebit usque ad inferni novissima.* 3tiò: S. Paulus testatur, quòd in media nocte tuba canet. Audietur ab omnibus nobis hæc tuba, mirum spargens sonum per sepulchra regionum. Ad ejus sonum, an non tinnient ambæ aures? 4tò: Redibunt animæ ad sua corpora. Hic auscultabo, quomodo animæ damnatæ maledicēt suis corporibus; econtra quomodo animæ justæ benedicent suis; quòd eis cooperata sint ad salutē 5tò: Recludentur sepulchra, proripient se mortui, surgent Reges & Principes, qui sublimè putrescebant; surgent, & nudo latere palpitabūt. Surgent omnes, stupente morte & natura; prodibunt Justi benedicentes Deū, prodibunt damnati maledicētes Deū, seipsos, & omnia.

II, *Punctum 2dum:* Expendit initium actûs hujus tragici. 1mò: Exibunt Angeli, & separabunt bonos à malis; sicut pastor segregat oves suas ab hædis, & ponent oves quidem à dextris, hædos autem à sinistris. Infelices sinistri gement; Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam; ecce computati sunt inter filios DEI! Ergo erravimus! ubi nunc nostra superbia, voluptates, plausus, opes, honores Transiêrunt sicut umbra, & nos aruimus, si-

cut fœnum, in pabulum ignis æterni. *2dò: Tunc parebit signum Filii hominis.* Quàm hilares intuebuntur illud, qui cum Paulo crucis mortificationem in suo corpore circumferebant! singuli dicent: o bona crux, redde me Magistro meo; ut per te me recipiat, qui per te me redemit! Ululabunt reprobi: *Væ, væ diei, quia appropinquat dies Domini, dies nubis;* id est: Appropinquat dies ultionis. *3tiò: Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli.* Videbunt reprobi, quem confixerunt peccatis. Quo oculô videbunt? Tunc plangent se super eum omnes tribus terræ; quia nimirum sangvis ejus, qui fuit effusus in salutem, cedet malis in damnationem. Ergo dicent petris: Abscondite nos à facie, & ab ira agni. Apoc. 6. Quia *majus tormentum malis erit, furorem vultûs Domini tolerare; quàm cruciatus infernales perpeti.* Dicit Augustinus serm 128. *de temp.* E contra *Omnes servi crucis qui se Crucifixo conformaverunt in vita, accedent ad Christum cum magna fiducia.* Thom. Kemp *4tò:* Nos, qui Christum secuti sumus, ululantibus reprobis, rapiemur in nubibus, obviam Christo in âëra; 1. Thessal. 4.

III. *Punctum 3tium:* Expendit actum ipsum Judicii. *1mò: Filius hominis sedebit super sedem Majestatis suæ. 2dò:* Pauperes Spiritu assidebunt ei, & judicabunt nationes. *3tiò:* Aperientur

singulorum conscientiæ, uniuscujusque opus manifestum erit; quia Dominus illuminabit abscōdita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. 1. Cor.4. Hoc enim decrevit 2. Reg. 12. *Tu fecisti absconditè, ego autem faciam verbum istud inconspectu omnis Israel, & solis hujus.* Quæ mihi tunc facies, quòd Cor; dum manifesta erunt abscondita cordis nostri? *4tò:* Ostendet Christus vulnera sua, & dicet: S. Aug. serm. 130. de temp. Filii hominum, quare dilexistis vanitatem, & quæsiîstis mendacium? Ecce me, ecce vulnera mea, hactenus amore vestrî hiantia! Nonne dissimulavi? nonne expectans expectavi? nonne monui? Risistis hæc omnia, ego quoque in interitu vestro ridebo. *Discedite maledicti!*

IV. *Punctum 4tum:* Expendit epilogum feralis tragædiæ. *1mò:* Irrugient damnati, replebunt àërem ejulatu, gemitu, blasphemiis. *2dò;* diras evoment in peccata, circumstantias, occasiones, causas, socios peccatorum. At serò nimis. *3tiò;* Maledicentur à Deo, à Sanctis, à dæmonibus, à consortibus damnationis. *4tò; Aperiens terra os suum deglutiet eos, & descendent in infernum viventes.* Numer. 16. *5tò:* Serenâ facie conversus ad Electos JESUS dicet: Venite Benedicti Patris mei, venite fratres, asseclæ, & cohæredes mei: venite viscera mea, gaudiū meum, & corona mea; venite, possidete regnum

para-

paratum vobis. Venite, torrente voluptatis potabo vos. Huc, huc ab ista lachrymarum valle venite! *Et ibunt illi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam,*

Anima mea, de fide est, quòd & tu comparebis in theatro illo; ah quo animo? & tu ages scenam tuam; ah quo successu? & tu stabis ante Judicem; ah in qua parte? Non intres in judicium cum servo tuo Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Si non justificabitur vivens, quomodo justificabor ego, mortuus tibi, vivens peccatis? Culpâ rubet vultus meus, supplicanti parce DEUS. *Peccavi, injustè egi, iniquitatem feci; tu quia pius es, miserere mei; aut in tuo flagello vindica iniquitatem meam, & noli tradere me his, qui ignorant te;* nempe inimicis tuis, & meis.

Quid faciam, cùm venerit ad judicandum Dominus; & cùm interrogaverit, quid respondebo illi? Job. 31.

Praeoccupemus faciem Judicis in confessione; ut, qui tentationi parentes, manum non possumus effugere Judicis; per confessionem mundati, clementiam experiamur misericordis. S. Greg. Time o homo, quòd in terribili judicio ei præsentandus sis, in cujus manus horrendum est incidere; ab eo examinandus, quem nihil latet. S. Bern.

REFLEXIO
Supra Orationem.

S. Augustinus epist: 121. ad Probam sic orationem Commendat: Oratio est animæ sanctæ præsidium, Angelo bono solatium, diabolo supplicium, gratum Deo obsequium, & pænitentiæ ac religionis laus tota, perfecta gloria, spes certa, sanitas incorrupta. Et Cassiod: Oratio serenat cor, abstrahit à terrenis, mundat à vitiis, sublevat ad Cælestia, reddit cor capacius, & dignius ad accipienda bona spiritualia. De hac considera:

1mò: Quantum ei afficeris? judicio S. Ephrē, *Quem videris incurium orandi, scito incurium esse virtutis; quia virtutum basis & mater est Oratio.*

2dò: An desolatio te non dejicit? Joannes Abbas discipulo conquerenti contra desolationes in orando, respondit: desolatio te non dejiciat: donum orandi desursum est descendens à Patre luminum: insta precibus die ac nocte; & Dominus accendet in te affectum, & studium, ipsum deprecandi.

3tiò: An attentè oras? S. Cyprianus de oratione Dom: *Quomodo te audiri à DEO postules, cùm te ipsum non audias?* Vis Deum esse memorem tui, cùm rogas; quando tu ipse memor tui non sis: Et Chrysost: Deus non est vocis, sed cordis auditor.

4tò: An humiliter? S. Chrysoſt in illud Pſal: 9. *Non eſt oblitus clamorem pauperum:* inquit; orationis vehiculum eſt humilitas. Unde Eccl: 35. *oratio humiliantis ſe, nubes penetrat.* Judith 9. Humilium & manſvetorum ſemper tibi placuit oratio.

5tò; An ferventer? S. Aug: epiſt: 121. c. 10. Hoc negotium plùs gemitibus, quàm ſermonibus agitur; plùs fletu, quàm affatu.

6tò: An cum fiducia? Ita præcipit S. Jacob: c. 1. Quare S. Bernar; ſerm: 4. Quadr. Timida oratio Cælum non pènetrat.

7mò; An in omni loco? 1. Timoth. 2. Volo ergo viros orare in omni loco. Quod S. Anſel: & Thom; intelligunt de privata oratione. Aug. ep. 121. de oratione per actus ejaculatorios; nè per productiores, inquit, horas evaneſcat, aut hebetetur intentio.

8vò; An in omni tempore? ùt docet Paul: ad Ephes: 6. Hoc eſt, quantùm per negotia licet; ùt explicat S. Anſel. Item in omni tempore orationi deſtinato, ſive ab Eccleſia, ſive à tua devotione, & conſvetudine ùt exponit Aug; Non autem, ſicut volunt Euchitæ, apud eundem Aug: Hær: 57.

9nò: An ſi vacaret, orare velles aſſiduò? ſicut Anna Lucæ. 2. quæ non diſcedebat de templo, jejunio & obſecrationibus ſerviens nocte ac die. Item ſicut Lancicius, qui ſingu-

los

los passus offerebat Deo. Nam ùt ait Aug; soliloq. c. 18. Sicut nulla est hora, vel punctum in omni vita mea, quô tuô beneficiô non utar; sic nullum debet esse momentum, quô te non habeam ante oculos in memoria mea. S. Xaver. etiam dormiens exclamabat; O Deus! o Jesu amor mi! Deus meus & omnia!

10mo; An saltem frequenter? Sic docet S. Basil: hom: in S. Julittam: Accumbens mensæ, ora, edens panem, gratias largitori rependito: tunicam induens, gratias age benigno datori: amiciris palliô; fac in te augescat interior erga Deum caritas, qui integumenta largitus est. S. Chrysost; hom. 173. ad popul: Licet & forum petentem, & ambulãtem, & in officina sedentem, & suentem pelles; animam Deo dedicare. Hieron. Egredientes de hospitio armet oratio, regredientibus de platea occurrat; sessione priùs corpusculum nè requiescat, quàm illa animam pascat. S. Borgias centies in diem adorabat Deum.

11mò: An in spiritu? ùt vult Apost; Eph; 6. Hoc est in Conscientia munda, & fide integra; prout explicat S. Ambros.

12mò; An in omni instantia? ùt ibidem jubet S. Paul; Id est, ùt Ambrosius, Syrus, & Græci vertunt. *In omni perseverantia.* Sic oravit Anna 1. Reg: 1. Mulier Chananæa. Matt. 15.

13tiò; An orationi jungis mortificationem?

Cant;

Cant: 5 sponsa messuit Myrrham, id est: mortificationem, simul cum aromatibus, idest cum oratione. Ad offerendum Thymiama, seu ad orationem; ab holocaustis, seu à mortificatione (dicit Mendoza) afferebatur ignis.

14tò: An contritionem? oratio cum luctu conjuncta, & ad Deum effusa in spiritu, alimonia mentis est; non secus, ac panis corpori. ait B. Antiochus hom: 10.

15tò: An vitam probam? Origenes hom: 2. in Psal: 37. Quomodo nos audiet Deus, cùm nos ipsum non audiamus? quomodo faciet ille, quod volumus; cùm nos, quod ille vult, non faciamus?

16tò: An congruum situm corporis? Flexîs genibûs orabat Salomon 3. Reg. 8. 2. Paral. c. 6. Magdalena Lucæ 7. Stephanus 7. act. Petrus act. 9; Discipuli act. 21; pater Lunatici Matt: 17; Leprosus Marci 1. Quin & ipse Christus Lucæ 22. super quod Cæsar. Arelat. hom. 30. Prostratus in terram orat medicus, & non inclinatur ægrotus? Tertull. 2. de oratione c. 12. dicit: Irreligiosissimum esse, sedendo orare: nisi exprobramus Deo, quòd nos oratio fatigaverit.

17mò: An petis, ut Deus, qui deduxit velut ovem Joseph; te quoq; deducat illîs viîs, quæ non habent peccati scandalum?

18vò: An in rebus dubiis recurris ad Deum?

S. Aug.

S. Aug. ep. 120. ad Honoratum: Si purè Dominum, largitorem bonorum omnium depreceris; omnia, quæ cognitione digna sunt, aut certè plurima, ipso magis inspirante, quàm hominum aliquo commonente, perdisces.

19nò: Nominatim an recurris in scientiis comparandis? Eccl: 39. Illum spiritu intelligentiæ replebit Dominus, qui aperiet os suum in Oratione.

20mò: An in omnibus omninò rebus? Ità recurrebat S. Paulus teste S. Thoma Angelico Doctore.

21mò: An non petis tibi noxia? S. Bernar. serm. contra ingrati vitium: sæpe misericordiæ est, subtrahere misericordiam; quemadmodum iræ & indignationis, misericordiam exhibere. Et Aug. sent. 212. Fideliter supplicans Deo pro necessitatibus hujus vitæ, misericorditer non auditur.

22dò: An non petis ex ambitione? sicut Filii Zebedæi petebant primas in Regno Christi. Matt. 20.

23tiò: An non petis ex indiscreto zelo? sicut iidem petebant ignem in Samaritanos è Cælo mitti. Lucæ 9.

24tò: An non petis, quod meliùs est differri? Joan. 11. Christus distulit sanare Lazarũ, ut posset resuscitare. inquit Aug.

25tò: An si speras cum tentatione proventum, ab illa non postulas liberari? similiter de aliis malis. 2. Corint. 12. non exauditus Paulus rogans à stimulis pœnis liberari. Rationem dat Aug. in Psal. 130. Sicut æger, dum illi applicatur pharmacum molestum & ardens, rogat medicum, ut illud auferat: medicus autem ægrum consolatur, & hortatur ad patientiam; quia novit, quàm utile sit, quod apposuit: pari modo egit hìc Deus cum Paulo.

26tò: An, tam ante, quàm post omne opus oras? Audi S. Basil: Quodcunq; opus inchoaveris, primò invoca Dominum, & nè desinas agere gratias, cùm perfeceris illud.

27mò: An oras etiam pro aliis? S. Paulus Eph. 6. exigit orationem pro omnibus Sanctis, id est Christianis; super quod Cornel; ait: Hinc patet, orandum esse pro propagatione & propagatoribus Evangelii, hæresum & infidelitatis extirpatione: & si hoc populo, quid Clericis faciendum est?

28vò: Deniq; an omnem conatum adhibes, ut hoc sanctum opus, sanctè peragas? Nam, quantùm apposuerimus ad diligentiam, tantũ Deus addet ad gratiam: Spondet S. Eucherius hom. 3. ad religiosos.

LECTIO SECUNDA
De Oratione.

I. S. Paulus ad Philip. 4. dicens: *In omni oratione & obsecratione cũ gratiarumactione petitiones vestræ innotescant apud DEUM;* & 1. ad Tim. 2. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarumactiones:* videtur istos actus distinguere. Itaq; apud Cassian. Coll. 9. cap. 11. 12, & præsertim 13. *Oratio est, cùm aliquid DEO vovemus; obsecratio est, imploratio pro peccatis; postulatio, cùm pro aliis petimus.* Sed hunc sensum S. Thom. 2. 2. q. 83. a. 17. in c. minus probat. Juxta ipsum oratio est *ascensus intellectûs in Deum, seu accessus ad orandum DEUM.* Obsecratio, cùm obtestamur per sacra vg. per Christi merita. Petitionem & postulationem pro eodem sumit; per quam petimus decentia à DEO; in quo consentit S. Damasceno c. 24. de Fid. Orth: Gratiarum actionem dicit esse rationem ex parte nostrî impetrandi; quatenus movet DEUM ad præstandum, quod petitur. Cùm ratio impetrandi ex parte DEI sit *ipsa ejus sanctitas.* Omnes ergo quatuor prædictos actus vult S. Doctor esse partes integrales orationis. Ibidem ad 2dum ait, quòd oratio communiter sumpta, *includit omnia, quæ hic dicuntur: sed secundùm quod contra alia dividitur, importat pro-*

priè

priè ascensum in DEUM. Ascetæ, cùm de oratione agunt, agunt de *communiter sumpta*, seu complectente omnes istas quatuor operationes orantis; ùt notat Nigronius in Comment. Reg. Comm. 1. num 13. de hôc modô sumpta oratione hìc agitur.

II. Ad orandum fructuosè hæc requirit Christus Matth. 7. *Petite, & dabitur vobis; Quærite, & invenietis: Pulsate, & aperietur vobis. Petite*, inquit Aug., significat fiduciam; *Quærite* diligentiam: *Pulsate* perseverantiam. *Fiducia* debet esse fortis & inconcussa; nam Jac. 1. dicitur: *Postulet in fide, nihil hæsitans.* Juxta Cornel. à Lap., per fidem intelligitur hìc, tum fides propriè dicta, tum fiducia, tum credulitas, seu firma pesvasio obtinendi, quod petitur. S. Bern. in Psal. 90. *Quantum spes processerit, obtinebit; si tamen in DEUM tota figatur, ut firma sit, & non titubet.* S. Catharina Senensis sic orabat: Non dimitto te, Domine, donec hoc mihi des. Similiter Abbas Sisois in vitis PP. pro Abráham Discipulo suo in peccatum, & tentationes lapso: *DEUS, vis, non vis; non dimitto te, nisì curaveris eum.*

Diligentia requirit tria: *Considerare debet is, qui orat*, inquit Bernard. *& quid petit, & ipsum, quem petit, & seipsum, qui petit.* Nempe imprimis, an non petit noxia saluti? *nam tunc misericorditer non auditur*, inquit Aug. *quid enim*

infir-

infirmo ſit utile, magis novit medicus, quàm ægrotus. Imò juxta Gregor. lib, 15. Moral. c. 12. Majoris iracundiæ eſt, cùm hoc tribuitur, quod malè deſideratur. Unde Plato in 2. Alcib. ſic orabat: *DEUS optime maxime, optima quidem nobis voventibus tribue; mala autem poſcentibus quoq; abeſſe jube.*

Deinde conſiderare debet, *quem petit?* ſcilicet infinitam dignitatem DEI. O quantâ reverentiâ, quanta attentione ad verba, quanta compoſitione corporis legatus vel ſubditus Regem alloquitur? Jam oratio juxta Auguſt: in Pſal. 85. Gregor. Niſs. Chryſoſt in gen. hom. 30. *Eſt familiare cum DEO colloquium.* De quo idē Chryſ. l. 1. de orando DEUM, ait: Quis non obſtupeſcat, & admiretur tantam benevolentiam DEI erga nos, ut mortalibus tantum honoris largiatur; & dignos habuerit; qui cum ipſo colloquamur, noſtraq; vota apud ipſum deponamus.

Tandem conſiderare debet: *Quis petit?* nimirum creatura vilis, cujus, inquit Bernard: *Conceptio culpa, naſci pœna, labor vita, neceſſe mori.* Et hæc vilitas, hoc nihilum, comparet ante DEUM, loquitur ad Dominum, cùm ſit pulvis & cinis! Ejus igitur precatio, *1mò:* ſit ornata ſtolâ gratiæ; aliàs non audietur à DEO; qui Iſaiæ 9. dicit: *Non exaudiam, quia manus veſtræ plenæ ſunt ſanguine. 2dò:* ſit ornata unione

ne cum Christi meritis; hæc enim sunt aurũ purissimum Exod. 30. vestiens altare incensorũ, quæ sunt orationes Sanctorũ Apoc. 8. 3tiò; procedat ex motivo virtutũ sublimiũ, maximè verò charitatis; ùt docet S. Thom. 4tò: sit humilis, ut penetret nubes; aliàs erit Pharisaica Luc. 18. quæ, ait Bern. serm. 4. Quadr: *Non tantùm non obtinet gratiam, sed & meretur offensam.* P. Petrus Claver capiti spineã coronam, collo funẽ imponebat, oraturus. P. Jacobus Miro, in angulũ cubiculi, vel infra mensam se recipiebat, tanquam indignus, qui ante Majestatem DEI compareret. 5tò; sit fervens, nam: *tepida in ascensu languescit & deficit; eò quòd non habeat vigorem*; inquit ibidem S. Bern. Et alibi DEUS non remuneratur verba, sed adverbia. Imò teste S. Cypriano: *Non vocis sed cordis auditor est.* Proinde Christus Matth. 6. monet. *Intra in cubiculum tuum, & clausô ostiô ora.* Per cubiculum SS. Ambr. Aug. Hieron. intelligunt *cor & mentem orantis.* Totus in corde fuit, cùm oraret, P. Stephanus Faber: hunc ut observaret precantem rogatus Dynasta Sinicus, à Christianis abhorrens: vidit sub ningente cælo inflammatum in orando; ac diluculô accurrit, baptismum petens. 6tò; sit minimè distracta, minùs alioquin erit efficax; siquidem ex mente S. Greg. *Illam orationem DEUS non audit, cùm, ille, qui orat, non intendit.* S. Catharina Senensis

ſis, quòd leviter in orando fuerit diſtracta; graviter à Chriſto reprehenſa. Quod ipſum teſtatur de ſe S. Brigitta. P. Julius Mancinellus ſic à diſtractionibus abhorrebat, ac ab idololatria. Carolus V. orans, Legato, magnum negotium & urgens exponere volenti, reſponderi juſſit: *Nec ego quidem nunc leviter ſum occupatus, qui cum DEO ago.*

Hactenus dicta confirmat Bern. tract. de Nat. Div. Amor. c. 2. Oratio perfecta eſt, in qua tanta ſit *fides*, ut ſperet omnia; tanta *devotio*, ut DEUM videatur cogere; tantus *amor*, ut omnia, quæ petit, in ipſa oratione ſe ſentiat obtinere tam benigna *humilitas*, ut in omnibus non ſuam, ſed DEI voluntatem in ſe fieri præoptet.

Perſeverantia deniq; conſtantiam exigit; quia Luc. 11. Propter improbitatem, ſeu ùt Arabicus vertit, propter importunitatem datur, quod petitur. Quantò magis, inquit Auguſt. dabit DEUS bonus, qui nos hortatur, ut petamus; cui diſplicet, ſi non petamus? S. Greg. in Pſal. 6. *Vult DEUS orari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci. Eſto ſedulus in oratione, eſto in precibus importunus, cave, nè ab orando deficias.*

Obſervat P. Balthaſar Alvarez de Paz tom. 3. de orat. ment. l. 2. p. 1. c. 7. quod Eccli. 39. Juſtus cor ſuum non *commodat*, ſed tradit

ad

ad orandum: quo denotatur in orando, fiducia, fervor, perseverantia.

Hæc omnia breviter compegit Basil. Serm. de orando DEUM; *Ideo quandoq; petis, & non accipis; quia perperam postulâsti; vel leviter, vel infideliter, vel non conferentia tibi, vel destitisti.*

S. Aug. Tr. 103. S. Thom. 2. 2. q. 83. a. 15. ad 2dum, ad *efficaciam* orationis requirunt; ut sub præfatis conditionibus *pro nobis* ipsis oremus; non autem *pro aliis*. Verùm S. Basil. Reg. brev. 161. Toletus & alii censent; quod etiam *pro aliis* efficax sit oratio; si tam ex parte orantis, quàm ex parte illius, pro quo oratur; non adsit impedimentum. Præsertim cùm oramus pro inimicis: rationem dat S. Greg. hom. 27. Quia *virtus veræ orationis est celsitudo charitatis. Et tunc quis, quòd rectè petit, adipiscitur; cùm ejus animus, in petitione nec inimici odiô fuscatur, sed plerumq; reluctantem animum vincimus.*

III. Orationis excellentiã, ac utilitatẽ mirè commendant Sancti. S. Greg. Nissen. vocat illã: Chori virtutũ Antistitem, quæ DEO nos conjungit. S. Laurent. Justin. de gradibus perfectionis c. 12. ait: Oratio placat DEUM, lætificat Angelos, recreat Sanctos, penetrat cælos, postulata reportat, terret dæmones, adversarios superat, immutat homines, vires reparat, roborat mentem. S. Aug. tract. de Miss. tom. 10. Quid est oratione præclarius? quid vitæ nostræ

utilius? quid animo dulcius? quid in tota nostra Religione sublimuis? S. Thom. serm. in rogat. à sex effectibus illam extollit: *imò* inquit: iram DEI mitigat, ei se opponens, ùt scutum; Sap. 18. v. 14. *2dò:* Angeli assistunt oranti; Dan. 9. v. 21. Orationes iidem offerunt DEO, referuntq; exauditionem. Job. 12. v. 12. *3tiò:* Oratio justi hominem liberat à malis, & veniam impetrat, salutem præsentem & æternam, corporalem & spiritualem confert. Jac. 5. v. 15. *4tò:* Dæmones fugat ex corde & corpore Matth. ult. v. 17. Eosdem obedientes facit, etiam ut in mare se præcipitent. Matth. 21. v. 21. *5tò:* Omnibus elementis & creaturis dominatur: solem sistit. Josue 10. v. 14. Ignem cælo evocat. 4. Reg. 1. v 10. Cælum claudit. v. 11. mare & aquas dividit. Exod. 14. v. 15. Josue 3. v. 16. mortuos è purgatorio educit. Eccli. 48 v. 5. bestias ferocissimas cicurat. *6tò;* Curat lepram, febrim, pestem, omnesq; morbos; sedat tempestates, incendia, eluviones: omnes virtutes & gratias è cælo accersit; adeoq; DEUM omnipotentem vincit, & quasi ligat. Hæc S. Thom. Deniq; Origenes hom. 9. in Num. docet: *DEUM oranti plus concedere, quàm postulet.*

IV. Quanta porro sit orandi necessitas? liquet ex dictis, & insuper declaratur *imò:* Quia incurius orandi *non est Religiosus*, nisi nomi-

nomine solo; dicit enim S. Thom: *Religiosus non est, qui non semper versatur cum DEO.* Nam, ut ajebat Palæmon Abbas: vita monastica est continuum orandi studium. Status enim Religiosus consistit in conatu proficiendi in virtute; hic verò profectus sinè orando sperari nequit. Nam rectè S. Franciscus Seraph. dicebat: Gratia orationis Viro Religioso maximè desideranda est; *nullus enim sinè ea in DEI servitio fructus sperari potest.* Id ipsū sentit S. Thō. *Anima sinè oratione non proficit.* Idem & S. Chrysost. Arbitror, inquit, cunctis esse manifestum, quòd simpliciter impossibile sit, absq; precationis præsidio cum virtute degere. Etenim qui fiat, ut virtutem quis exerceat, nisì continenter supplex ad genua accidat ei, qui virtutem omnem largitur?

2dò. Non est homo pius: quia idem S. Doct. in Act. Apost. c. 10. ait: *Non est vir pius, qui sibi stata orandi tempora non præfigit.* *3tiò;* Non est *egregiæ dotis*, est mortuus, non est sanæ mētis; prout idem S. Doctor censet l. 1. de orādo DEUM. Cùm video quempiam, inquit, nōn amantem orandi studium, nec hujus rei fervidâ, vehementiq; curâ teneri; continuò mihi palàm est, eum nihil egregiæ dotis possidere: & quisquis non orat DEUM, nec Divinô colloquiô cupit assiduè frui; is mortuus est, & vitâ carens, expersq; sanæ mentis. Nam hoc

 ipsum

ipſum eſt evidentiſſimum amentiæ argumentum, non intelligere magnitudinem honoris hujus, nec amare deprecandi ſtudium. Hactenus S. Doctor. Ibidem rationem dat, cur orare negligens ſit mortuus: *Quodſi teipſum deſtitueris deprecatione; perinde feceris, ac ſi piſcem ex aquis extraxeris: ùt enim piſci vita eſt aqua; ità tibi deprecatio.*

4tò. Quia ùt ait S. Bonav. de progreſſu Relig. c. 17. *Sinè orationis ſtudio omnis Religio eſt arida, imperfecta, & ad ruinam promptior.* *5tò:* Quia neglectus orationis, in eaq; faſtidium, ſignum eſt reprobationis; qui enim reſpuit cū DEO colloqui, meretur, nè loquatur DEUS ad cor ejus per gratias efficaces. Quia 1. Reg. 2. decrevit: *Qui contemnunt me, erunt ignobiles:* ſeu, ùt alii legunt: contemnentur & abjicientur. *6tò* Quia SS. Aug. Baſil. Damaſc. Greg. & Angelic. Doctor docent: Statutum eſſe Divinæ Providentiæ, ut ſicut terra nonniſi arata & culta fructum profert; ſic pleræq; gratiæ, & neceſſaria nobis ſubſidia, non obtineātur, ſinè oratione; eaq, humili & perſeverante. *7mò:* Quia cùm militia, ſeu tentatio ſit vita hominis; quamdiu diabolus vivit, ùt inquit Aug. tamdiu tentari nos oportet. Porro tētationes ſinè oratione non vincuntur. Unde graviter tentatus ſub mortali peccato tenetur ad orandum, juxta Theologos apud Bonac.

nac. tract. de horis Canon. d. 1. q. 2. p. 1, prop. 2. Maximè si desint alia remedia tentationis. At P. Thom. Sanchez dicit, quòd sinè oratione sint inefficacia. Proinde S. Hieron. Salvinæ svadet: semper in manibus tuis sit Divina lectio, & tam crebræ orationes, ut omnes cogitationum sagittæ, quibus adolescẽtia percuti solet, *hujusmodi clypeô repellantur.* Nisi hoc armetur clypeô Religiosus, succumbet hosti. Quia, ùt ait S. Thom. *Religiosus sinè oratione, est veluti miles nudus, qui pugnat sinè armis.* Et Chrysost. l. 2. de or. D. Sicuti Civitas, quæ turribûs ac murîs cincta non est, facilè venit in potestatem hostium; sic & animam non munitam precibus, diabolus facilè in suam redigit ditionem.

V. *Ad orandum fructuosè, 1mum medium* dat Spiritus S. Eccli 18. *Ante orationem præpara animam tuam.* Ista præparatio consistit *1mò:* In impedimentorum amotione. *2dò,* In malacia mentis: ad quam conducit maximè tempus matutinum; quòd etiam antiqui Christiani precibus impendebant; ùt testatur Plinius ad Trajanum l. 10. epist. 97. *Affirmabant, hanc fuisse summam, vel culpæ suæ, vel erroris; quòd essent soliti stato die, ante lucem convenire, carmenq; Christo, quasi DEO, dicere secum invicem.* *3tiò:* Consistit in conveniente compositione corporis. Hæc usui fuit P. Paschasio Broetto, sumabatq; caput, dum oraret. L3 *4tò*

4tò. In petitione auxilii. S. Franciscus Xaverius ante singulas horas canonicas præmittebat hymnum: *Veni Sancte Spiritus.* *5tò:* In aliqua mortificatione; Quia Tob. 12: *Bona est oratio cum jejunio.* Idem sentit Chrysost. hom. 15. in Matth: *Jejunium est adjutorium orationis; quia oratio sine jejunio est gracilis & infirma.*

2dum medium affert S. Bern. de 4. modis orandi: *Omnino oportet orationis tempore curiam intrare cælestem; quanta ergo cum reverentia, quanto timore, quanta illuc humilitate à palude sua procedens & repens ranuncula vilis; quàm tremebundus & supplex, quàm humilis & sollicitus, & toto intentus animô, Majestati gloriæ in præsentia Angelorum, in concilio justorum, & congregatione, assistere poterit miser homuncio?*

3tium medium est: meminisse, quòd oranti assistunt Angeli, ut perferant Deo preces ejus, si dignæ sint. Ut cum S. Thoma communiter dicitur; de quo Bern. Ser. 17. in Cant. Vereor, nè vestram desidiam quandoq; abominantes (Angeli) cum indignatione recedant; & incipiat unusquisq; vestrûm serò cum gemitu DEO dicere: *longè fecisti notos meos à me, posuerunt me abominationem sibi. Si se à nobis boni spiritus elongaverunt, impetus malignorum quis sustinebit?* 4*tum:* Imaginari, quòd audias Christum monentem: *Age quod agis;* Sicut monuit S. Cassium Narniensem Episcopum; ùt

ſcribit S. Greg. l. 4. Dial. c. 16. ùt item monu-
it S. Antonium magnum. *ſtum:* Ejaculatori-
os actus frequentare; qui, cùm ſint fervidi,
fervoris inducunt habitum in orando. Præte-
rea pluris æſtimantur, quàm prolixæ preces &
frigidæ. Hinc Chriſtus Matth. 6. *Orantes no-
lite multum loqui.* & Auguſt. *Abſit ab oratione
multa locutio, ſed non deſit multa precatio.* Plato-
nis etiam oraculum fuit: ſatius eſt, bene agere
aliquid exiguum; quàm multa perfunctoriè.
Quanquam juxta Græcos: *Magnum eſt omne,
quod bene fit.* Talis eſt actus ille: *amo te DEUS
ſuper omnia*; quem millies quotidie repetebat P.
Didacus Martinez. Item ille uſitatus B. V.
MARIÆ; *Deo gratias*, quem prædictus Pater
ſexcenties in diem eliciebat. Hunc actum ità
commendat S. Aug. Epiſt. 77. Quid melius &
animo geramus, & ore promamus, & calamô
exprimamus; quàm: *Deo gratias*? hoc nec elici
brevius, nec audiri lætius, nec intelligi gran-
dius, nec agi fructuoſius quidquam poteſt.

Plura vide in Lect. de Medit. à num. 6. Itē
de tepid. num. 12. Impedimenta fervoris in
orandó vide Lect. de Medit. num. 13.

VI. Religioſe, perpende illud Jac. 5. *Mul-
tùm valet deprecatio Juſti aſſidua:* ſeu ùt explicāt
aliqui: ſperans, fervens, & perſeverans. Ut
ergo multùm valeat, ſit *plena ſpei*; nam tali pro-
miſit Chriſtus efficaciam Marc. 11. Sit *fervens*,
quia

quia juxta S. Bern. Serm. 16. in Psal. 10. Meritò non exauditur, qui clamare dissimulat, aut omnino nō postulans, aut tepidè postulans, aut remissè. Sit *perseverans*, nè arguat Chrysost. hom. 25. in Evang. Pudeat nos, pudeat, & incredibilem socordiam nostram deploremus: Octo & triginta annos ad piscinam expectaverat Paralyticus: nos autem, si vel decem dies orationibus invigilantes non exaudimur; jam tepescimus. Elegit te Christus de mundo; ad quid? nisi ut per orationem conversatio tua in cælis sit? Si nec in cælo versaris mēte, nec jam es in mundo; nec cælestis homo, nec mundanus es; proinde homo infernalis es. An non percipis, quàm dulce, quàm gloriosum, quàm proficuū sit, conversari cum Deo, cum Sanctis? id est profectò beatitudinem æternam aliquatenus delibare. Quanta verò dementia, per nullam vel frigidam orationem exsortem te beatitudinis hujus facere! quod quid aliud est, quàm ante mortem damnatorum aliquomodo consortem esse?

Hæc de oratione in genere. De horis canonicis solùm adjicio præceptum Innocentii 3. C. *Dolentes*, de celebrat. Miss. *Districtè præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, ut Divinum Officium, nocturnū pariter ac diurnū; quantum eis DEUS dederit, studiosè celebrent pariter ac devotè.* Exstare simile præceptum Gregorii 13. asserit

rit Arsdekin: De præcepto isto scrupulosi videant S. Thomam 2. 2. q. 33. a. 13. & Suarez 2. de Relig. l. 4. de horis. C. 26.

MEDITATIO III.
De Æternitate.

I. Punctum *1mum:* Audiam David Psal. 76. *Annos æternos in mente habui.* Cogitabo: Omnî momentô sto ad ostium æternitatis; ùt ajebat Godefridus Herbipol. Præsul. Ah æternitatis, aut felicis, aut infelicis! Vel in æternũ salvabor, vel in æternũ damn bor! Id cõtinuâ mente versandũ est. Ista cogitatio monasteria fundavit: principes, reges, cæsares è divitiis in paupertatem, è deliciis in pressuras, è mundo pepulit in cænobia. Docuit austeritatem vitæ, heroicos actus, contemptum sui. Et me quidni doceat? Abhinc memoriâ memor ero, & tabescet in me anima mea; quòd vel in æternum salvabor, vel in æternum damnabor. Utrumque cum Dei gratia est in manu mea. Ergo monet S. Bernardus: *Alterutrum è duobus eligamus, aut semper cruciari cum impiis; aut perpetuò lætari cum sanctis: bonum siquidem & malum, vita & mors, ante nos sunt posita; ut, ad quod voluerimus, manus extendamus.*

II. Punctum *2dum:* Audiam Christum, qui apparens P. Christophoro Caro, cogitare jussit

sit hæc: Lohner Bibl: t. 3. §. 5. *O æternum! o momentaneū! o longum! o breve!* Cogitabo: Quidquid in orbe video, admiror, habeo, appeto, momentaneum est. Opes, honores, voluptates, regna, sæcula, mundus, brevia sunt. Hinc S. Augustinus ait: *Quidquid hic vides, breve est.* Ex altera parte horum omnium usum sequitur: *Æternum.* Malorum breves divitiæ, æterna egestas; brevis honor, æterna confusio faciei; brevis voluptas, æterni cruciatus: bonorum brevis afflictio, labor, persecutio, dolor; æterna solatia, æterna gaudia. Quare S. Franciscus monebat: *Modica hic voluptas; sed postea pæna immensa; modicus labor, sed postea gloria æterna.* Anima mea: perpende hæc, & elige, quod vis. Utinam prudenter velis! ut prudenter velis, illud recogita: *Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat.*

III. Punctum *3tium* Audiam Danielem. c. 12. *Evigilabunt alii in vitam æternam, & alii in opprobrium; ut videant semper.* Cogitabo *1mò:* mors æterna vocatur *opprobrium; quia ignominiosissima erit, & molestissima;* inquit Corn. à Lap. Nam, ut ait S. Chrysost: *Gravissima pænarum pudor est, impii enim resurgent in pudorem, & opprobrium æternum.* Cogitabo *2dò:* Si gravissima pænarum *quicunque* pudor est, quid erit *immensus* pudor? quid immensus ac *æternus?* quid immensus, æternus & conjunctus ineffabilibus pænis aliis;

cum

cùm interim ad m x m m sufficiat solus ærumnam? Cogitabo *3tiò*: Evigilabunt damnati, ut videant semper. Quid videant? ut videant; quàm vilî pretiô vendiderunt vitam æternam! pro quantula volupt te, aut vanitate, elegerunt opprobrium æternum! quàm facilè cælum lucrari poterant! Quamdiu id videbunt? *semper*: hoc est, quamdiu durabit æternitas, qu mdiu Deus erit Deus. Hæc apprehensio, est alter infernus d mnatorũ, ex sensu S. Gregorii.

IV. Punctum *4tum*: Audiam Christũ Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Cogit bo *1mò*: Ex asceta nostro; Vox ad damnatos. *Discedite*, Respondet dimissioni; Vox ad justos: *Venite*: Respondet vocationi Religiosæ. O beatum *Venite*! o infelix *Discedite*! Cogitabo *2dò*: Apud Cornelium, *Discedite*; significat pænam damni, *In ignem*; significat pænã s nsûs; æternitas utriusque pænæ vertitur in hoc bino cardine: *semper*, & *nunquam*: semper malè, nunquam bene: semper mori, nunquam cessare vivere: quod S. Bernardus L. 5. Consid: vocat *mortem viventem*, & *vitam morientẽ*. Et hæc est damnati maxima pæna, quòd continuò cogitet, se infelicem *semper*, sinè intervallo, sinè lenimine, sinè remedio, sinè spe. Beatum se crederet, si falsò imaginaretur finem vel lenimen ærumnæ suæ futurum, saltem post tot milliones sæculorum, quot sunt cæli st llæ,

guttæ maris, atomi àëris. O ſemper! ô nunquā! ô peccatum, quod æternùm puniris, & necdum condignè puniris! Cogitabo *3tiò;* Quàm ſtultus foret, qui eligeret potiùs per decem vel viginti annos igne torreri; quàm abſtinere à peccato! Quàm inſanus eſt, qui eligit in æternum pati diluvium ignium infernalium pro momentaneo peccato! *Crematur & dolet; ſed nequaquam, quod crematur, conſumitur;* dicit Chryſoſtomus.

Colloquium; Anima mea; Si mutanda eſſet patria, quantô ſtudiô diſponerentur ad migrādū omnia! Jā cùm ſcias, quòd hinc aliò te transferes in æternum; & neſcias, quando viam hanc ingreſſura ſis; cur ad illam te non præparas? Cur tempus perdis pœnitentiæ? Cur accumulas peccata?

Æterne Deus, æternam meam animam feciſti propter tuam gloriam; feci ego, ut defecerit à te, propter meam malitiam. At utique major bonitas tua, quàm iniquitas mea: ergo dele, quod ego feci; repara, quod tu feciſti. Quod feciſti propter te, fove propter te. Quod egò feci deficere, tu refice. Opus tuum, hoc eſt: animam pauperis tui nè obliviſcaris in finem. Nunquid obliviſcetur mater infantem ſuum? & ſi illa obliviſceretur; tu promiſiſti non obliviſci facturæ tuæ: quia in manibus tuis deſcripſiſti me. Ex Iſaia, & S. Aug.

DIEI

DIEI QUINTÆ MEDITATIO I.
De Nativitate Christi.

I. *Punctum 1mum;* Audiam Isaiam c. 9. *Parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis.* Spectabo *1mò:* quomodo confluunt Angeli ad speluncam hospitium Christi; ùt ex Apostolo Hebr. 1. docet Chrysost: *2dò:* quantam reverentiam exhibent Virgini Beatissimæ. *3tiò:* quàm ardenter flexîs genibûs orat Beatissima, & sic orans, parit Filium; utì revelavit S. Brigittæ L. 7. Revel. c. 22. *4tò:* quàm humiliter Natum Deum adorant Cælestes genii. *5tò;* quantâ reverentiâ deponunt illum in Matris manibus; ùt docet Suar: vel certè Christus ipse penetratô Virginis uterô, quàm festinus involat in sinum ejus & manus; ùt revelatum S. Brigittæ l. c. *6tò:* quibûs illum affectibûs Mater excipit; quàm dulciter osculatur pedes, tanquam Dei sui; manus, tanquam Domini sui; faciem tanquam Filii sui. *7mò;* quomodo viles quidem, sed mundos evolvit pannos, ut Divinum fasciet Infantem. Tandem quàm svaviter cordi apprimit, in præsepio reponit, basiat, adorat, vagientem & flentem lactat. Tam Deiparæ, quàm Angelorum affectus omnes offeram Christo; eliciam actus fidei, spei,

cha-

charitatis, contritionis, admirationis, gratiarũ actionis, adorationis, petitionis.

II. *Punctum 2dum:* Accedam supplex ad Infantem Deum, adorabo, quæram *1mò:* Cur è dulci sinu Patris in terram venit? Respondet Greg: *Natus est in terra, ut homo nasceretur Cælo;* ut, quæ sursum sunt, quærat; quæ sursum sunt, sapiat; non quæ super terram; Colos. 3. *2dò:* Cur non Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit, cur homo factus? Respondet Paulus: Ut exspoliantes vos veterem hominem, induatis novum, qui secundùm justitiam est; seu, ùt ait Aug: *Factus est Filius hominis, ut nos efficeret Filios Dei.* Quanta hæc mea dignitas! væ mihi, si per gravem culpam, illam amisi! *3tiò:* Cur Parvulus natus est nobis? Respondet Bern. Ser. 3. super Missus. Ut studeamus effici, sicut Parvulus iste: *discamus ab ipso, quia mitis est, & humilis corde. nè magnus Deus, sinè causa factus sit homo parvus.* *4tò:* Cur in præsepio ponitur? Respondet ipse; quia tu per peccata claudis cor tuum, nè illud introëam & inhabitem. Et Ambros: *Ille in præsepibus, ut tu sis in altaribus; ille in terris, ut tu in Cælis.* *5tò:* cur fasciîs ligatur? Respondet idem Ambr: *Ut tu mortis laqueis sis absolutus.* Iterumné me involvam eisdem laqueis?

III. *Punctum 3tium* Quæram adhuc: Cur iste Parvulus in his natus circumstantiis? *1mò:* Cur

in

in domo panis? Respondet Greg Hom. 8. in Evang. *Locus, in quo Dominus nascitur, panis antea vocatus est; quia futurum erat, ut ille ibi per materiam carnis appareret, qui electorum mentes internâ satietate reficeret.* O cœlestis esca refice languentem animam! At cur ex illa non sumo robur? imò cur anima nauseat super hoc manna? metuo non esse illam de numero *electorum*. Quæram *2dò:* cur nascitur in terra sancta, in terra promissionis? Respondet ipse Matth. 19. ut tu de novo natus in terra sancta, seu Religione; satagas, promissum à me centuplum accipere nunc, & postea terram sanctorum, veram promissionis terram; scilicet vitam æternam possidere. *3tiò:* cur nascitur in via? Respondet Cornelius: *Ut doceat, nos in terra esse peregrinos; Cives verò Cæli: ut ab exilio magnîs virtutum passibûs tendamus in Cælum, ceu Patriam, & Civitatem nostram.* *4tò:* Cur nascitur inter bruta? Respondet: Ut animalis homo percipiat, & sectetur ea, quæ sunt Spiritûs Dei; nè comparetur jumentis insipientibus. *5tò:* Cur nocte nascitur? Respondet Theoph: Ut illuminet hos, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent. *6tò:* Cur, cùm nox in suo cursu medium iter haberet? Quia tunc regnat alta pax, quæ Hæbreis juxta Corn: significat omne bonũ; sicut turbæ significãt omne malũ. Curabo pacẽ tũ internam tũ externam. *7mò:* Cur, dum medium

dium silentium tenerent omnia? Quia silentiô delectatur. Unde illud Psal. 64. *Te decet hymnus Deus in Sion* Hebræus vertit: *Tibi silentium Deus in Sion.* 8vò: Cur nocte Dominica? Respondet Rupertus L. 3. de div. offic: c. 16. *Ut, quo die dixit: Fiat lux, & facta est lux, ejusdem diei nocte oriretur in tenebris lumen rectis corde.* O lux beatissima reple cordis intima. 9nò: Cur nascitur, dum describitur universus Orbis? Respondet Aretas: Ut merearis in libro vitæ scribi.

O grandis Pusio! o Parvule maxime! o Deus Infans! adoro Te, procido ante Te, infra quidquid imum est. Affectibus Tuæ Matris, Angelorum, omnium Sanctorum, omnium justorum, saluto Te modicum in carne, immensum in Deitate, incomprehensum cælo, comprehensum præsepio, summum in terris hospitem. Quas gratias Tibi referam, quòd propter me Tuam Immensitatem quasi coarctâsti, Infinitudinem breviâsti, Omnipotentiam infirmâsti, Temetipsum exinanivisti? Ità contractum, jam Te capiet cor meum. Ergo illud incole. Quid Tibi cum præsepio Regum Regi? quid Deo cum stabulo? Fateor, quòd cor meum sit præsepiô vilius, stabulô sordidius, fimô fætidius; at illud purga, purgationem faciens peccatorum. *O cor immutare! jam amplius nihil spira, nihil respira, nisi JESUM.*

LE-

LECTIO PRIMA
De Silentio.

I. Adeo virtutem istam colebant Pythagorici, ut teste Plutarcho, ab esu piscium abstinerent; quòd hi sint taciturnorum typus, cùm nec vocem, nec ullum sonum edant. Censebant illi, ad perfectionem Philosophicam unicum aditum esse silentium. Illud proinde vocabant *atrium Sapientiæ*. Illud S. Climacus Gr. 11. appellat *Scientiæ adjectionem & speculationis opificem*. Illud Angelicus Doctor inter efficacia ad scientias media primum locabat. Id enim in se ipso feliciter expertus fuit. nam adeò strictè silebat, ut sive per jocum, sive per scomma *Bos mutus*, vocaretur. Sed propheticè Beatus Albertus M. Magister ejus prædixit; *Bos hic tantos edet mugitus, ut eos totus audiat mundus*. Quod evenisse, totus Christianus orbis videt. Quid plura? etiam æterna Sapientia tunc nasci voluit, *dum medium silentium tenerent omnia*. Pindarus autem *silentium* ipsam appellabat sapientiam: *Scire tacere, Sapientissimũ est*. Consonat Ecclesiasticus c. 19. *Est tacens, & ipse est prudens*. Quod ità legit Syrus; *Est, qui tacet; & ipse est sapiens*.

II. Econtra, verè docti multiloquis inurũt notam stultitiæ. S. Bern. int. Dom. c. 5. *multũ*

loqui stultitia est. Theocritus multa loquentem Anaximenē appellavit amentem, dicens: *Verborum flumen, mentis gutta:* ait Stobæus Serm. 34. Demosthenes, teste Maximo, Serm. 47. garrulum ità perstrinxit: *Si tam multa sapuisses, nunquam tam multa locutus fuisses.* Et Spiritûs S. oraculum est Eccli. 5. *In multis sermonibus invenietur stultitia.*

Quid mirum, quòd isti psittaci prudenter loqui nesciant? *Tacere qui nescit, nescit & loqui;* dicit Seneca in Proverb. Cùm enim, juxta Socratem, taciturnitas sit loquendi schola; exsortem ejusdem scholæ, oportet imperitum esse loquendi. Quare S. Gregorius Naz. ad Cledon; inquit Ep. 98. *Tacemus, ut, quæ loqui opus est, discamus.* S. Mechtildis tantum in hac schola profecit, ut angelicè loqui didicerit. Sic enim de illa scribit Engelhardus Vit. c. 5. *Silentium tantum indixerat sibi, ut mutam crederes; Si verò loqueretur, cum Angelo te loqui putares.*

III. Verùm tam ethnici, quàm Christiani sapientes aliarum quoque virtutum radicem esse putant silentium. A S. Basilio dicitur *Schola virtutum;* à B. Antiocho hom. 105. *Mater virtutum,* à S. Ambrosio lib. 1. offic. c. 7. *virtutum fundamentum.* Quin & ipse Deus Arsenio dixit: *Fuge, tace, quiesce: hæ sunt radices non peccandi.* S. Ephrem. tr. 2. in apoph. Evagr. vit. PP. c. 18. Ideo S. Basilius 13. annis tacu-

it; ut Basilio dignas virtutes comparâsset. Ideo Joannes Moschus in prat. Spir. ad probè vivendum hoc offerebat medium: *Sit Philosophiæ vestræ opus, semper silentio & quieti vos assvefacere.*

Si Philosophicæ, si Christianæ virtutis fundamentum & radix est silentium; quanto magis religiosæ; quæ supponit utique Christianam, perficit ac elevat! Unde S. Patri Ignatio signũ erat, quòd alicubi sanctitas habitaret; si loquacitas exularet. Idem sensit Joannes Gerson: Tr. 2. l. 4. q. 1. *Ubi censura silentii servatur arctiùs; ibi religio viget laudabilius.* Et è contra; Nam sicut apertis fenestris frigus irruit & calor aufugit; ità per os apertum in animam irrumpit frigus, perit fervor, virtus moritur. De hac morte dicit Chrysost. in Ps. 140. *Mortis unicum ferè ostium, lingua est.*

Quòd loquacitas sit mors virtutis, liquet ex eo: quia *Vir verbosus non justificabitur.* Job. 11. seu juxta quosdam: *Replebitur pravitate.* Id S. Gregorius sic explicat: *In virum linguosum cadet illa maledictio: Effusus es sicut aqua, non crescas.* Ergo vir verbosus *maledicetur* à Deo: ergo non crescet virtute, gratiâ, meritis; imò, sicut terra maledicta, spinîs, & tribulîs; sic ille replebitur pravitate. Idque *imò*: quia, ùt inquit S. Dorotheus: *garrulitas extinguit cordi advenientes cogitationes rationabiles, & cælestes;* hoc

est gratias Divinas. Non raro quoque DEUS, in pœnam liberioris linguæ, subtrahit efficaces gratias: quod juxta Augustinum est maximum supplicium hominis. Hîs enim subtractîs, quod non malum animæ timeri debet!

2dò; Quia linguosum securè dæmon aggreditur, jaculis impetit, conficit, perimit; tanquā inermem. Asseverat enim Spiritus S. Prov. 25. *Sicut urbs patens, & sinè murorum ambitu; ità vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* Rationem dat S. Greg. Past. p. 3. adm. 15. *Quia enim murum silentii non habet, patet inimici jaculis civitas mentis; & cùm se per verba extra semetipsam ejicit, apertam se adversario ostendit: quam tantò ille sinè labore superat; quantò & ipsa, quæ vincitur; contra semetipsam per multiloquium pugnat.*

3tiò; Quia consvetudo garriendi, necessitatem quandam inducit garriendi. Hinc autem amplo gurgite peccata fluunt. Inprimis enim garrulus effutit otiosa; tum arcana prodit, nullo habito respectu statûs, conditionis, ætatis, sexûs audientium: nullo respectu scandali, vel damni sui, vel alieni. Nam effrænis lingua tanquam indomitus equus ruptô camô, sistere nequit; donec in præceps ruat. Ubi deficiūt arcana, quæ vulgentur, delabitur ad curiosa, quæ omnibûs venatur sensibûs; quare dicta, facta, mores alienos indagat sagaciter; ùt enar-

ret.

ret. Dum vestigando nihil invenit, suspicionum extendit retia, & quidquid illis conclusum est, spargit & vulgat. Vulgat, infamat, aperit fontes infamandi, suspicandi perperam opinandi de proximis. Dum & istam penum evacuat, in mendaciorum campum excurrit; & quidquid messuerit, mox seminat. Si fortè suis ineptiis assensum, vel aurem facilem nō obtinet; accendit bilem, evomit scommata, mordet, rixas ciet, & odia.

O Religiose garrule! quæ tua Religio? *Qui putat se esse Religiosum, non refrænans linguam suam; hujus vana est* Religio *Jac. 1.* Sive *Religio* significet rationem vitæ religiosæ, ùt cum S. Hieronymo putant aliqui: tua Religio vana est: quod quàm horribile! Sive significet Fidem Christianam; ùt cum S. Cyrillo L. 3. in Joan. censent alii: Fides tua vana est: quo quid horribilius? Qualis animi tui quies? quæ cum Deo conjunctio? qualis ad perfectionem nisus? qualis convictus cum aliis? quæ charitas?

Tandem quis de te sensus hominum? inferes ex eo, quòd *sermo, simulacrum est operum, speculum hominis*; ùt ajebat Solon. Talem te monstrat, qualis intus es: quod multîs veterū effatîs probat Maximus serm. 5. Socratis illud erat: *Qualis homo est, talis etiam erit ejus oratio: Orationi autem facta simillima, factis vita. Cic Tusc. 5.* Unde naturam juvenis explorabat ex ejus

 lin-

linguā: *Loquere adolescens, ut te videam.* At sufficit doctrina S. Spiritûs Eccli 27. *Ante sermonem, nè laudes virum.* Loquela docet, an quis mereatur laudem, an vituperium. S. Petrus apud S Clementem ep. 1. *Christianis crebrò cōmendabat lingua custodiam; nam ex lingua, tanquā ex porta, conspicimus; quis in domo habitet, an sanctitas, an vanitas; an Deus, an diabolus.* Hîs expensîs, agnosce, quòd *nihil æquè proderit, quàm quiescere; & minimum cum aliis loqui, plurimum secum.* Seneca ep. 105.

V. Aliorum silentium regulat prudentia, ùt docet Arist. 2. Ethic. 6. Docet & natura: nam ad linguam, unam à corde venam, alteram à cerebro protendit: ut estò cor id appetat, lingua non loquatur; nisì cerebrum, id est mens & ratio consentiat; inquit Cornelius à Lap. Religiosum silentium tam prudentia moderatur, quàm Institutum. Institutum præscribit, tacendum esse semper; nisì ratio loqui svadeat.

Hoc fortè sensu D. Bern. de suis Religiosis dicit Serm. 4. advent. *Nec unum quidem verbū dicere fas est, absque licentia.* Cassianus de Monachis Tabennæ: Nullus eorum vel ad modicum subsistere, aut sermocinari audet. Palladius scribit, inter Monachos Ammonis trium millium Monachorum Patris, tam arctum viguisse silentium; ut adeuntes eorum cænobium, viderentur sibi esse in solitudine.

Institutum ergo rationem linguæ præficit ducem & magistram; Exigit autem ratio, ut *Nunquam loquaris, nisì priùs, an id placeat Deo, prosit tibi, ædificationi sit proximo, cognoveris*; inquit S. Pater Noster. Unde colligis, quòd non sufficit, ut sermo sit de licitis, & prosit tibi, vel alteri; sed requiritur, ut Deo placeat. Vide Lect. seq. n. 9. Ideo David Psal. 38. etiam à proficuis & *bonis siluit*. super quod B. Albertus M. Taciturnitas perfecta est, non solùm moderari linguam à verbis illicitis; sed etiam ab utilibus & licitis; juxta illud: Obmutui, & humiliatus sum, *& silui à bonis*. Et Augustinus: *Dum nimis timeo, nè loquar aliqua mala; timui à bonis*. Idem edoctus, postea docuit Damascenus. Damasc. vit. c, 17. Idem docet Joannes Gerson tr. 3. alph. c. 6. Rationem dat S. Clemens Alex: *Quia citò adducuntur, ut ea faciant, vel loquantur, quæ non licet; qui faciunt omnia, quæ licet*.

VI. Nominatim verò silentium exigit ratio *imò in templo*. Id omnes Institutores ordinum, id Innocentius III. lib. 3. ep. 1. id ipse DEUS præcipit, tum Levit. 19. sanctuarium meum metuite; tum in regula data S. Pachomio n. 1. S. Ambros. refert: lib. 2. de Virg. *Cùm plurima ranarum murmura religiosæ plebis auribus obstreperent; sacerdotem Dei præcepisse, ut quiescerent: tum subito circumfusos strepitus quievisse*.

viſſe. Et exclamat: *Silent igitur paludes, homines non ſilebunt?* addit ibi, quod etiam ethnicorũ fana ſilentiô colebantur. De hoc Quintil. 365. decl. adfert monitum. Vide S. Chriſoſt. hom. 38. ad pop.

2dò In *ſacriſtia:* ùt decernunt Synodi Bracar. Trevir. Mediol. ſub S. Carolo Borromæo ſtatuens: *In ſacriſtia ſilentium ſervetur accuratè.*

3tiò: In *refectorio.* Quia S. Paulus 2. Theſ. 1. monet: *cum ſilentio operantes ſuum panem manducent.* Supra quod S. Iſidorus. Reg. c 9. *Tempore conveſcentium fratrum, omnes diſciplinæ gerant ſilentium, Apoſtolo monente: cum ſilentio operantes &c.* Idem ſtatuunt omnes Religioſi. Notant Aſcetæ, ſervandum eſſe in triclinio ſilentium, etiam extra refectionem; quia, inquiunt, locus ille non colloquio eſt deputatus, ſed refectioni.

4tò: Sub *Miſſa.* Trid. Seſ. 2. c. 1. *Tempore, quo ſacra peraguntur, collocutiones, & confabulationes non fiant.* S. Chryſoſt. hom. 40. ad pop. *Video aliquos loquentes, rectos, dum oratio celebratur: nec ſolùm, ſed etiam dum ſacerdos benedicit. O rem horrendam! cum Angelis conſtitiſti.* Quo ſilentiô ſacrificiis aſtabant ethnici: vide Cicer. L. 1. de div. Plin. L. 28. c. 2. Seneca de vita beata c. 26. Teſte Ambros. Lib. 3 de Virg. Puerulus ignem in brachio ſilens tulit, donec ſacrificium abſolvit Alexander M.

5tò: Sub Concione, exhortatione, lectione. Quia 1. Thes. 2. *non est verbum hominū, sed verbum Dei.* Omnes ethnici tunc tenebant silentium. Plinius l. de offic. audit. ait: *In Concione susurronum colloquium, risus, oscitationes, & si quid aliud est ejusmodi, in culpam cadit.* Et Augustinus hom. 26. inter 50. *Qui stare non possunt; humiliter & cum silentio sedentes attentis auribus audiant.* Idem respectivè puta de disputatione.

6tò; In *plateis* Conc. Nicæn. 1mum De Monach c. 76. Nè eant per plateas, nisì cum modestia, nec inter se joculariter & ridiculè loquantur: *sed potius silentium teneant.* Abbas Esaias Serm. 3. *Si cum fratribus iter susceperis, ita te conforma; ut taceas.*

7mò; In *Culina.* Innoc. III. L. 2. ep. ad frat. de Calatrara præcipit: *In coquina silentium jugiter tenebis.*

8vò: In dormitoriis, seu ambulacris; claustro, cellis. Innocentius III. c. *Cum ad Monastic.* §. In orator.

9no: ad focum vel fornacem communem P. 1. spec. p, 4. c. 6. Quia S. Bonav. advertit, quod *usitatum est hosti, homines ad prunas seducere: Ibi Dominum sprevit Rex Joachin, negavit Petrus.*

VII. Permittit autem ratio loqui *1mò* de rebus necessariis: *2dò* obiter, seu quasi transeundo: *3tiò* verbis perpaucis; *4tò* tempore recreatio-

ationis. Non priùs tamen ad loquendum solvenda lingua, quàm ad locum recreationis perveniatur. Congr. 6. c. 9.

VIII. Ad servandum silentium medium primum est: è cubiculo non egredi absque justa causa, adeoque per cellas, & dormitoria non vagari; ùt notat S. Basil. *2dum* medium: Considerare fructus silentii, & damna loquacitatis. De his P. Claudius Instruct. c. 3. §. 9. jubet exhortationes instituí. *3tium* medium est: aures coërcere à curiositate. Nam rectè Joannes Abbas dicit: *Qui continere vult linguam, obstruat aures, nè multa audiat.* *4tum* medium est: firmum propositum non loquendi, nisì obtenta facultate; nam Turrecremata ait: *Qui nesciente, aut nolente Prælato portam oris ad loquendum aperit, postquam clavē ei tradidit; fractor templi spiritualis esse videtur, & quasi fur faciendo clavem contra clavem.*

5tum medium: aliquo semper honesto negotio distendi. *6tum* medium: asvescere nonnisì ponderata verba proferre: ùt docet Pius II. August. Bern: *Antequam verba proferas, bis ad limam veniant, priusquam semel ad linguam.* Idem S. August. in Psal. 51. *Sicut eligis, quod vescaris, ità elige, quod loquaris.* S. Gregor: L. 8 mor. c. 2. Qui in dictis suis reprobari metuit; ipse priùs examinare debet, quod dicit. Plutarchus præcipites ad loquendum, comparat abortientibus

bus;quæ āte tēpus fætū emittūt. De offic.audit.

IX. Dum ad loquendū ugret ratio, *imò*: non multiplicentur verba inutilia. Nam qui sermonem illis infarciunt, à S. Gregorio Nazianz. appellantur hirundines; quarum voces multæ, sed insulsæ. Et signum est destructi interiùs horologii, si pluribus horam sonet ictibus, quàm sit necesse. *2dò*: Vitandi clamores. Quia Olympiodorus graviter eos reprehendit, dicens: *Anima, quæ stultitiâ repleta est, cum clamore & turbulentia sermones profert.* Innoc. III. L. 1. ep. ad Joan. Minist. SS. Trinit. *De necessariis tamen liceat loqui in aliis temporibus aptis, remissa voce, humiliter, & honestè.* *3tiò*: Theophylactus gravi censurâ mulctat eos, qui affectatam venustatem, & lenocinia verborum curant; ac fæminis dicit non absimiles. S. Hieron. invehitur in concionatores, qui ejusmodi verbis utuntur; & dicit. Quemcunque videris in Ecclesia declamatorem & cum quodam lenocinio ac venustate verborum, excitare plausus, ac risus; auditores in affectus lætitiæ concitare; scito, *signum esse insipientiæ, tam ejus, qui loquitur, quàm ejus, qui audit.* *4tò*: Sit tamen sermo non asper: quia Spiritus S. Cant. 7. vult, ut *labia sint, sicut botri vineæ; & odor oris, sicut odor malorum.* *5tò*: Sit sermo cādidus, sincerus, ac humilis; quia Prov. 8. Arrogantiam & os bilingue detestatur DEUS.

Sed

Sed & omne genus hominum, talem veteratorem detestatur; tanquam pestem vitæ humanæ & socialis, vicarium & satellitem diaboli. Denique loquendum cum *circumspectione, ædificatione, modestiâ vultûs motuumque omnium, sinè ullo impatientiæ, aut superbiæ signo.* P. 3. Const. c. 1. §. 4.

Concludit S. Bernardus tract. de Pass. Dom. c. 27. *Religa linguam tuam, si vis esse Religiosus; quia sinè linguæ religatione religio vana est. Sciunt homines spirituales, qui hoc experti sunt, quantum auferat devotionis, quantum afferat dissolutionis intrinsecus, frequens lingvæ resolutio. Nam sicut fornax, cujus os semper apertum est, non potest in se retinere fervorem: sic nec cor devotionis in se gratiam poterit conservare; cujus os non fuerit januâ silentii reclusum. Claudamus igitur os nostrum, ut cum devotionis fervore Christum devotionis largitorem, ferventi affectu possimus conservare.*

MEDITATIO II.
De Privata Christi vita.

I. *Punctum 1mum*: Audiam Isaiam Cap. 51. *Ponet desertum ejus quasi delicias.* O Judicia DEI, verè abyssus multa! Ille, cujus deliciæ sunt, esse cum filiis hominum, in deliciis habet desertum: Quis cognovit sensum Domini? Conjicio tamen, quòd ideo; *imò*; Ut me doceat

amorem solitudinis. Nam si per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea; non inveniam. In solitudine apparet Moysi, in solitudine illustrat, in solitudine pascit, in solitudine loquitur ad cor; in tumultu nec audit, nec auditur. *Non in commotione Dominus*, ait Elias. In *solitariam* Mariam descendit Filius Dei. Joannes *in deserto* ità crevit, ut eo nemo surrexerit major. E contra fatetur Philosophus: *Quoties inter homines fui, toties minor homo domum redii.* Latet gemma in fundo maris, aurum in terra; ut pretium habeat. Corallium tum primùm rubere, seu erubescere incipit, cùm ex aquarum profundo extrahitur in lucem. *2dò:* Latet DEI Sapientia, imò, juxta Paulum, voluit esse gentibus stultitia; ut ego cum scientia & talentis non evolem, non dilatem phylacteria, non amem primas cathedras, & vocari ab hominibus Rabbi. Quanta aliàs fatuitas foret, ex donis DEI quærere non laudem DEI; sed vanitatem, sed offensam DEI; ex arbore vitæ decerpere fructum mortis! *3tiò;* Ut, sicut Christus post plausus Angelicos, adorationes magorum, responsa in tẽplo, profectũ in sapientia, & gratia apud Deũ & homines; delituit libens: ità ego, si de speciosis cathedris, collegiis, officiis, detrudar ad angulũ; desertũ istud ponã in deliciis, & gaudeam, quòd *vita* mea *abscondita sit cum Christo.*

II. *Punctum 2dum*: Audiam Jerem. Thren. 3. *Sedebit solitarius, & tacebit.* Notum est axioma: *Qui intendit finem, debet intendere media ad finem.* Finis meus est, impensè in salutem, & perfectionem tam propriam, quàm proximorum incumbere. Ad hunc finem unicum medium est: *1mò:* Sedere, *2dò:* Solitarium esse, *3tiò:* Tacere. Olim per quinquennium in antro sedendo & tacendo formabantur Philosophi. Eliam solitudo prophetare docuit. Omnium scientiarum & virtutum schola est, tacere, sedere, solitarium esse. Hæc schola, juxta S. Bernardum, est omnium virtutum mater, nutrix & custos. Hanc frequentare, in hac exerceri, docuit Spiritus S. Proverb. 21. *Meliùs est, sedere in angulo domatis; quàm in domo communi:* quòd scilicet in domo communi nec solitudo nec silentium locum habeat. Item Isaiæ 47. sede tacens, & intra in tenebras: Quia anima sedendo fit doctior, tacendo sanctior, latendo tutior. Idem docuit Christus, dum Apostolos Luc. 24. jussit sedere, donec induerentur virtute ex alto, hoc est Spiritu S. qui illos docturus erat omnia. Idem docuit exẽplô, dum per annos ferè 30. domi sedebat solitarius & tacebat. De quo S. Bernardus ait: *Cùm tanto tempore silebat, cùm se ipsum abscondebat; nos instruebat: tacebat ore, sed instruebat opere.* Nonne justum est, quod DEUS dixit, credere?

Non;

Nonne justum est facere, quod Christus fecit? Non ero Christianus, nisì credam DEO; nòn ero minister Christi, nisì Christũ imiter. Non consequar promissa Christi, nisì Christũ sequar. Non sequar Christum, nisì sequar hâc viâ, quâ Christus præcessit. Ergo sequendus Christus sedendo, latendo, tacendo.

III. *Punctum 3tium*: Audiam DEUM. 1. Reg. 10: *Ecce absconditus est domi.* DEUS Incarnate, verè tu es DEUS absconditus, DEUS Israël, Salvator. Adoro te absconditum in domo Nazarethana. At scio, quòd te *Pater dedit Ducem & Præceptorem gentibus*; quare elongâsti fugiens mundum, & mansisti in solitudine; quando poteras operari salutem nostram in medio terræ, ac millia hominum lucrari? Dedit te in lucem gentium; & tibi latebrosa nox in deliciis? Tacet Divinum Verbum, utì silentii amans: Respondent Doctores: Quòd etiam absconditus domi Christus operabatur salutem nostram. Orabat pro nobis Patrem in abscondito, erat subditus Matri Sanctissimæ & S. Josepho: Vestitus illi vilis, cibus vilis, potus vilis, mansio vilis, lectus vilis: Commoda nulla, incommoda plurima ab æstu, frigore, fame, siti, labore; ab obsequiis humilibus & molestis. Nonne hæc grande pretium sunt Redemptionis nostræ? Conferam cum vita Christi vitam meam. Heu, tantùm distat vita mea à vita Christi;

quantùm distat homo à DEO! Hoccine est imitari Christum?

Concludit Bernardus: O anima sancta! sola esto, ut soli omnium serves te ipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge & ipsos domesticos, secede ab amicis & intimis. An nescis, te verecundum habere sponsum; & qui nequaquam velit suam tibi indulgere præsentiam præsentibus cæteris?

JESU abscondite propter me, quidni latere amem propter te? Quidni latere amem & propter me? Nam non possum sociari simul luci & tenebris, non possum adhærere tibi Regi pacifico, & simul turbæ tumultuanti. Si enim adhærebo turbæ, dices mihi, quod dixisti turbæ tumultuanti Matth. 9. *Recedite:* Si recedam à te, non ero tecum. *Si non ero tecum, contra te ero. Matt.12.* Si contra te ero, ubi me abscondam à facie iræ tuæ? Nunc & in æternum intra vulnera tua absconde me. Hoc asylum meũ contra hostes animæ: hæc requies mea, hìc silebo & requiescam cum Regibus & consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines. Et ego ædificabo.

Lectio Thomæ Kemp. L. 1.c.18. L.2.c.1.

Tessera: *Trahitur Sapientia ab occultis.* Job.28. *Pax & cultus Justitiæ silentium.* Isaiæ 32. *Oppidum mihi carcer est, & solitudo Paradisus.* S. Hieron.

Faci-

Facilius est omnino tacere; quàm verbo non excedere. Thom. Kemp. L. 1, c. 18.

S. Philippo Nerio Christus D. dixit: Philippe, oportet te in urbe Roma, sicut in eremo vivere.

REFLEXIO
Supra habitudinem ad proximū.

1mò: An suspicionibus, aut temerariis judiciis non oneras proximum? Deus omniscius, non eget examine factorum, & tamen Gen: 18 dicit: *Descendam & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me opere compleverint.* Rationem dat S. Greg: L. 10. mor. c. 23: *ut nobis exemplum proponat, nè mala hominum antè præsumamus credere, quàm probare.*

2dò: An aversionem, inimicitiam, odium non foves? Perpende, quem odisti; Fratrem odisti, membrum Christi odisti, homicida factus es. 1. Joan. 3. *Serve nequam, decem millia talenta dimisit tibi Dominus; & tu propter centum denarios suffocare vis conservum tuum!*

3tiò: An non ardes vindictæ desiderio? *Nobilissimum vindictæ genus est, parcere. Ultionis momentanea delectatio est, misericordia sempiterna. Multos vindicâsse pœnituit, neminem pepercisse.* Petrarcha Dial. 101. & Plutarchus: *Vindicta debet uti, qui nec sitit eam, nec esurit.*

4tò: An invidiâ non roderis? Qualis est ani-

mi tinea, zelare in altero felicitatem, in malum proprium bona aliena convertere, illustrium prosperitate torqueri, aliorum gloriam facere suam pænam; & velut quosdam suo pectori admovere carnifices; qui se intestinis cruciatibus lacerent, qui cordis secreta malevolentiæ ungulis pulsent! S. Cyprianus Lib. de liv. & zelo.

5tò: An non contemnis? *Væ qui spernis, nonne & ipse sperneris?* Isaiæ 33.

6tò: An detrahentes famæ non audis? *Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire.* Eccl. 28. Sepies aures, vel admonendo detractorem; ùt monebat S. Paulus: vel somnum fingendo, ùt Machetes apud Cassian. L. 5. Instit. renun. c. 29. vel aliò sermonem avertendo; ùt Thomas Morus, teste Stapletono in ejus vita: vel vitium publicum detractori objiciendo: vel tristi facie ostendendo displicentiam; ùt docet Hieronym.

7mò: An non das fidem detrahenti? S. Hieronymus ad Celant: Nihil tam inquinat animum, nihil, quod tam mobilem ac levem mentem facit; quàm obtrectatorum verba temerario mentis assensu sequi: hinc enim dissensiones crebræ, hinc odia injusta nascuntur.

8vò: An alienos defectus excusas, tum apud te, tum apud alios? Etiamsi perperam actum quid deprehendas; nec sic judices proximum:

ma-

magis autem excusa. Excusa intentionem, si opus non potes; puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quòd si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recuset, dicito: Vehemens fuit tentatio, quid de me illa fecisset, si accepisset similiter in potestatē? S. Bern. ser. 40. in cant.

9nò: An ipse non detrahis famæ? S. Franciscus hoc vitium vocabat inimicum fonti pietatis & gratiæ, pestem atrocissimam; pejus latrocinio. Vit. L. 1. c. 8.

10mò: An etiam de publicis defectibus aliorum non colloqueris? non murmuras? Per hoc non solùm Dei, & Christi, sed etiam naturæ violatur lex illa: Quod tibi non vis, alteri nè feceris. De murmuratore verò ejusmodi dicit Augustinus: *Sicut lepra corpus devorat, ità & murmurator se ipsum destruit.* Ser. 26. ad frat. in Erem.

11mò: An non exprobras aliis defectus? *Leviora objicis, quàm facis.*

12mò An non irrides? non explodis? Prov. 10. *Qui annuit oculo, dabit dolorem: & stultus labiô verberabitur.* hoc est, interprete V. Bedâ: *Irrisor dat dolorem aliis, vicissim ipse, quasi stultus, labiis suis verberatur.*

13tiò: An non afficis contumeliâ? S. Hieron: Epist. 77. ad Marcum: *Apud Christianos, non qui patitur, sed qui facit contumeliam, miser est.*

14tò: An non rixaris? *Semper jurgia quærit malus, Angelus autem crudelis mittetur contra eum.* Prov. 17.

15tò: An non ſeverè corripis delinquentes? An non remiſsè nimis? an non negligis corripere? S. Ambroſius exigit, ut *ſit monitio, ſed ſinè aſperitate, exhortatio ſinè aculeo.*

16tò: An gratus eſſe ſtudes pro gratia? *Peremptoria res eſt ingratitudo, hoſtis animæ, inimica ſalutis;* inquit S. Bernar: ſer. de 7. miſeri.

17mò: An proximum diligis propter Deum? S. Thom. vide 2. 2. q. 4. a. 3. ad 2. An diligis ſicut te ipſum? *Ea enim eſt regula dilectionis, ut, quæ homo vult ſibi bona provenire, & proximo velit; & quæ ſibi mala accidere non vult, & illi nolit:* ait Auguſt. de vera Relig. c. 46. Vide S. Thomam 2. 2. q. 17. a. 3. in Corp.

18vò: An in amando ſervas ordinem? nam juxta S. Thom: 2. 2. q. 26. Diligendus eſt primò Deus, *ſecundò* anima noſtra, *tertiò* anima proximi, *quartò* corpus noſtrum &c. quintò cognati juxta ſuos gradus, *6tò* commiſſi noſtræ curæ, *7mò* omnes autem potiùs probi, quàm improbi, & magìs probi, præ minùs probis.

19nò: An benefacere ſtudes etiam hoſti? Hoc inculcat Chriſtus, hoc fecit Socrates, & alii Ethnici.

20mò: An ſaltem ordinaria ſigna charitatis exhibes? hoc enim eſt de neceſſitate præcepti. ait S. Thomas 2da 2dæ q. 25.

21mò:

21mò: An omnibus præis exemplô bonô? Contingit enim, quòd in Cælo religioſo inveniatur draco, qui aliquam ſtellarum partem pertrahat ad tenebras; in mari pacifico lapis offenſionis, & petra ſcandali; in templo virtutis dæmon in delubro: in paradiſo ſerpens.

22dò: An omnibus optas bene? an gaudes de eorum felicitate? Triſtari de alieno bono diabolicum eſt, non gaudere non eſt humanum, gaudere eſt chriſtianum, gaudere & promovere, Sanctum. P. Drużbicki in m. s.

23tiò: An amas in alio, quod eſt laudabile? Nam per hoc ipſius bona, tua facis; inquit Rupertus: *dum Virginitatem, vel Martyrium amas, tua facis.*

Vide lectionem diei 9. de amore proximi, & diei ejusdem de patientia.

LECTIO SECUNDA
De converſatione cum proximo.

TYpus converſationis noſtræ ſunt aurea tintinnabula, aſſuta veſti Sacerdotis Gen. 28. *Ut audiatur ſonitus, quando ingreditur & egreditur ſanctuarium, in conſpectu Domini; & non moriatur.* Super quod Greg. *Sacerdos ingrediens & egrediens moritur, ſi de eo ſonitus non audiatur; quia iram contra ſe occulti Judicis exigit; ſi ſinè ſonitu prædicationis incedit.*

I. Aug. Hieron. Isid. apud Pererium Tom. 2. Gen. l. 16. Disp. 10. censent, quòd ista 72. tintinnabula significant 72. genera linguarum ad Babel nata; quæ non ad struendam superbiæ vel aliûs vitii turrim serviant; sed ad ædificandos proximos: hoc enim præcipuum humanæ linguæ Philosophus assignat officium: *Bonos cives facere.* Cæterùm ex S. Gregorio patet, quòd etiam incessus & passus ferè quilibet Sacerdotis, debet esse doctrina, prædicatio, instructio populi. Nam si veterum incessus Sacerdotum, sonô tintinnabulorum debuerat in altissimo DEO defigere mentes hominum; ùt dicit Olympiodorus; & admonere de reverentia DEI; prout inquit Rupertus: quantò magìs id incumbit Sacerdoti novæ præstantiorisq; legis?

In Episcopo S. Hieron. requirit: *ut ejus & gressus, & motus, & universa vocalia sint; ut, quidquid agit, quidquid loquitur; doctrina sit populorũ.* At hoc S. Greg. l. c. extendit ad omnẽ Sacerdotẽ, exigens: *ut vita viam cum linguæ sonitu ipsa quoq; bona opera Sacerdotis clament.* Nam quilibet Sacerdos est veluti petra salis, ex qua lambere & meliorari habeant populi, tanquam oves; juxta eundem S. Doctorem. Est lux mundi, quæ sic luceat coram hominibus; ut videant opera ejus bona. Est Dux, qui præire debet omnibus exemplô bonô; nè sit, *sicut populus, sic Sacerdos.*

II. Sed

II. Sed enim Chrysost hom. 37. in Matth. sub eadem lege ponit quemlibet, qui zelo salutis alienæ vacat: *sicut, inquit, homo, ubicunq; fuerit, cæteris animantibûs præstat: ità doctorem decet, sive loquatur, sive sileat, sive in conviviis, sive alibi sit; cæteris hominibus præcellere: adeò ut incessu, & aspectu, & habitu, omnibusq; simpliciter aliis rebûs, præstantior esse videatur.* Quia, ùt inquit hom. 5. in 2. Thessal: magìs debet esse doctor vitæ, quàm sermonis. Hujus ipsius dat rationem hom. 3. 1. ad Cor. *Quia hæc est ratiocinatio, cui contradici non potest; quæ fit per facta.* Confirmat S. August. L 4 doctr. christ. c. 27. *Ut obedienter audiatur Concionator, quantâcunq; granditate dictionis, majus pondus habet vita dicentis.* S. Thom. 1. 2. q. 34. a. 1. C. *In operibus & passionibus humanis, in quibus experientia plurimum valet; plùs movent exempla, quàm verba.*

Istum cum proximis agendi modum Arnoldus à Religiosis postulat, dicens: Tintinnabula aurea erant, hoc signāte Spiritu Sancto, quòd viri contemplativi, fidei christianæ doctrinam, & maximè novissimum debent populis demonstrare terribile judicium, totusq; illorum incessus & sermo, resonare debet divina mysteria.

Verùm optimè S. Thomas docet, eâ lege comprehendi omne genus hominum; quivis enim,

enim, tum ex DEI, tum ex proximi charitate, tenetur, nedum non exhibere se petram scandali, sed & promovere DEI gloriam, & proximi salutem. Id etiam ethnicus docet Philosophus: *Non est magnum, sibi vivere; nisi satagas & alios tecum vivere.* Jam autem liberior conversandi ratio, neutrum hoc præstare valet.

III. Illud est extra dubium, quòd prava spiritualium conversatio nocentiorem diffundit pestem. Id S. Basil. Reg. brev. 64. docet: *Eò majus est scandalum, quò is, qui illud dat, majori scientiâ aut gradu præditus est.* Addit: *DEUS de manu ejus sanguinem peccantium, qui illius malum exemplum sequuntur, requiret & reposcet.*

Docet & ratio: quia sæcularium oculi versantur in nobis, quos habent pro regula vivendi sibi propositâ. Unde Nazian. Apol. 2. Neq; vel indelebilem tincturā pannus, vel fædum aut svavem odorem res admotæ, ità contrahunt; vel exitialis quidam vapor, tam facilè in àërem diffunditur, ac per àërem animantia occupat: quàm subditi, antistitis improbitate celerrimè impleri solent. Idem de quôvis spirituali.

Nostrum itaq; scandalum quantum sit nefas, declarat Gregorius Hom. 17. in Evang. Nullum puto, ab aliis præjudicium tolerat DEUS, quàm à Sacerdotibus; quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exem-

pla

pla pravitatis cernit; quando illi peccant, qui compescere peccata debuerant.

IV. Qualis poscat esse conversatio? colliges ex eadem ipsius imagine. Nam illa tintinnabula constabant ex auro purissimo; quod juxta S. Greg. L. 34. Moral. c. 8. significat in scripturis *1mò* splendorem cæli: *2dò* charitatem: *3tiò* nitorem gloriæ sæcularis: *4tò* pulchritudinem sanctitatis: *5tò* juxta quosdam prudentiam.

V. Ità conversatio, *1mò*: Sit aurum purissimum, hoc est: nullo temeretur defectu; quia parum fermenti totam massam corrumpit; levis atomus lædit oculum; crystallum minima deformat labes. *2dò*: Fulgeat splendore cæli, quo proximos illuminet: uti fulgebat aurora Christi prodroma S. Baptista, de quo canit Ecclesia, quod *illuminavit mentes hominum*. *3tiò*: Fiat non tædii vitandi, non amicitiæ, non notitiæ parandæ, non fructûs terreni, vel aliûs commodi causâ; sed ex charitate, zeloq; sancto. *4tò*: Non amittat nitorem famæ; hac enim pius conversator eget ad persvadendum bonum; sic Hieron: *Duo tibi sunt necessaria, bona conscientia, & bona fama: bona conscientia propter te, bona fama propter alios.* Et Apostolus Titum Tit. c. 2. curare jubet, ut eum *nemo contemnat.* *5tò*: Polleat pulchritudine sanctitatis: quia conversatio sancta ædificat proximum, con-

fundit inimicũ, lætificat Angelos, glorificat Deum. *6tò*: Polleat prudentia, quæ docet; quid, ubi, quando, quomodo loquendũ sit, vel agendũ, seu ùt inquit S. Bern.; *an licet, an decet, an expedit?* Itaq; conversatores Ezechielis esse cõvenit animalia, plena oculis, antè & retro.

VI. Plinius L. 33. c. 3. auri dotes recenset istas: *1mò*: gravitatem, licèt non in summo gradu. *2dò*; quòd illi nihil in igne deperit. *3tiò*: quòd, quò sæpius arsit; proficit ad bonitatem. *4tò*: quòd illud optimum, quòd difficillimè accenditur. *5tò*: ut purgetur, cum plumbo coquitur. *6tò*: usu non facilè deteritur. *7mò*: quòd omni metallo laxiùs dilatatur. *8vò*: non rubigo, non ærugo ex ipsò prodit. *9nò*: contra salis & aceti succos, domitores rerũ, constantia. *10mò*: Netur ac texitur lanæ modô. Potest addi *11mò*: quòd sit rarum, & ideo carum.

VII. Iisdẽ gaudet dotibus aurea conversatio. *1mò*; gravitate in verbis, factis, incessũ, visu, motu, gestu, compositione faciei, frontis, oris, manuum, ùt præscribitur p. 3. Const. c. 1. §. 4. Eadem gravitas tendit deorsum, per veram humilitatem: non primos accubitus, non laudem propriam, non quæ speciosa sunt, quærit. *2dò*: Inter malos nihil amittit bonitatis. *3tiò*: Imó defectus alienos amovendo, corrigendo, detestando, *proficit ad bonitatem*. *4tò*: Æstimatur optima, quæ non irâ, non invidiâ, non cupi-

cupiditate, non inordinatis affectibus accenditur; sed semper blanda, svavis, hilaris. *5tò:* Decus & pretium acquirit, dum *ad plumbum*, hoc est ad pauperes & viles demittit se. *6tò:* Licèt aliorum usibus impendat se, nihil deperdit; juxta doctrinam S. Bernardi: Serm 18. Cant. *Si sapis, concham te exhibebis, & non canalem: hic pene simul & recipit, & refundit; illa verò, donec impleatur, expectat, & quod superabundat, sinè suo damno communicat.* Tantò minùs sis velut aqua balnei, quæ sic alios mundat, ut eorum pædorem in se recipiat. *7mò:* Ad omnes amplè dilatat viscera charitatis; ut omnes Christo lucretur. *8vò:* Non edit æruginem exempli pravi; quia neminem manent certiora supplicia, quàm illum, qui multos vitiorũ suorum discipulos fecit; inquit S. Hilar. *9nò:* Non mordaces improborum sales, ac irrisiones, non torvos vultus, non acres minas metuit, in alienæ salutis causa; exemplô S. Joannis Francisci Regis. *10mò:* Non refugit etiam viles & molestos usus; modò prosit. *11mò:* Tunc æstimatur, cũm est *rara*; consvetudine vilescit: hæc enim familiaritatem generat, quæ deinde contemptum parit: quia detegit occultos defectus conversantis. Ideo svadebat S. Pater, ità conversandum esse cum hominibus; ùt cum afflatis peste: nempe, nec sæpe, nec diu, nec prope. Joseph in Gessen, hoc est in

invio

invio angulo voluit habitare fratres; nè cum Ægyptiis inirent consvetudinem. Gen. 45.

VIII. Ad sanctè conversandum, medium 1mum est: meminisse præsentiæ DEI. Nam & prædicta tintinnabula, non aliter sonabant; nisi: *In conspectu Domini.* Et Paulus Act. 23. *Omni conscientiâ bonâ conversatus est ante Deum.* Seneca quoq; L. 2. benef. c. 1. monet: *Sic vive coram hominibus, tanquam DEUS videat; sic loquere cum DEO, tanquam homines audiant.* *2dum:* Considerare exempla sanctè conversantium. Hebr. 10. *Consideremus invicem in provocationem charitatis, & bonorum operum.* Nam ex mente Chrysostomi. Quemadmodum ferrum ferrô acuitur, & lapis lapidi allisus ignem elicit: sic anima animæ commorans, ad eadem ipsam incitat; ut charitate ardeat, sicut & ipsa ardet. Proinde svadet Philosophus: *Cum catonibus vivere, cum socrate & Zenone versari;* ut eorum discatur conversandi ratio. Si Miltiadis milites gallinaceorum pertinaciter pugnantium exemplum animavit ad confligendum acriter; quidnî nos ad conversandum probè, moveant aliorum exempla proba?

3tium est: Insulsè conversantium vitare consortia, tanquam leprosorum; quorum commertia DEUS vitari jubet Levit. 13. *Si vis vitiis exui; longè à vitiorum exemplis recedendum est,* inquit Philosophus Sen. ep. 104. *4tum:*

Omnem

Omnem externum habitum ad modestiæ regulas formare; nam homines *intuentur ea, quæ patent*. Exigit autem modestia, ut nihil sit torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum: non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior: ut ipsa corporis species simulacrum sit mentis, figura probitatis; prout in Deipara S. Ambr. observat L. 2. de Virg. *5tum*: Quotidie te, quò ad hoc punctum discute. Porro noveris, quòd, ùt inquit P. Caraffa, *etiam sancta conversatio, si limites excedat; perdit conversantē*. Utì, si limites excedat *1mò:* Discretionis; *2dò:* obedientiæ; *3tiò:* Valetudinis; *4tò:* aptitudinis; *5tò:* Regulæ; *6tò:* Zeli *secundùm scientiam*: puta si custodiendo vineas alienas, vineam tuam non custodias; si alii tuo muneri non satisfacias; opera præscripta vel negligas, vel non suo loco, vel non suo tempore, vel non, ùt par est, absolvas.

Conclusio: Hæc omnia, fac, expendas, & in omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate: Verbum sanum irreprehensibile. Super quod Chrysost: Sit doctrina & exemplar virtutis tuæ, speculum vitæ; quod omnibus proponitur ad imitandum, veluti archetypus, & primitiva quædam imago, omnia in se habens, quæ bona & honesta sunt. Et Greg. ad Ep.

Fon-

Funden. In tuis actibus plebi exempla benè vivendi existant.

MEDITATIO III.
De vita activa Christi.

Punctum 1mum: Audiam Ecclũ c. 18. *Para justitiam tibi, & antequam loquaris, disce.* Christus antequam prædicare cæperit, voluit implere omnem justitiam. Baptizatur, licèt peccatum non fecit; aperit sibi cælum, & videt Spiritum Dei, sicut columbam venientem super se. Deinde ab eodem Spiritu ducitur in desertum, ibi orationi vacat, diebus 40. jejunat, tentationes & tentatorem superat: nobis relinquens exemplũ, ut sequamur vestigia ejus. Nam qui vult *erudire ad justitiam multos*, tenetur implere omnem justitiam. Ac imprimis mundari debet, non in Jordane, sed in balneo sanguinis Christi, per dignos fructus pænitentiæ; ut alios mundet: debet sibi aperire cælũ, ut aliis aperiat: debet in se deducere Spiritum Dei, ut in alios deducat. Deinde debet sequi ductum Spiritûs Sancti, non carnis, non sanguinis, non arbitrii proprii: debet colere solitudinem, ac in ea *discere, antequam loquatur*; nè cæcus cæco ducatum præstet, & sic ambo in foveam cadant: debet per orationem uniri Deo; frænare passiones, castigare corpus,

corpus, ac in ſervitutem redigere; nè cum aliis prædicaverit, ipſe reprobus efficiatur. Ad hæc debet accipere armaturam Dei, contra tentationes, ut poſſit in omnibus perfectꝰ ſtare: hoc eſt debet induere Dominum JESUM CHRISTUM.

Punctum 2dum: Audiam S. Lucam Actor. 1. *Cæpit Jeſus facere & docere.* Longum iter per præcepta, breve per exempla. Jeſus, quæ docet, facit. Docet relinquere omnia: ipſe in fame, in ſiti, in frigore, in nuditate; nec habet, ubi caput reclinet. Docet caſtitatem: ipſius vita hoc in puncto, etiā Phariſaico ſcandalo & linguæ non eſt obnoxia. Jubet facere omnia, quæcūque de cathedra Moyſi dixerint ſcribæ & Phariſæi: ipſius *cibus eſt, ut faciat voluntatem Patris.* Jubet diſcere comitatem & humilitatem: ſed ex ſe ipſo: *Diſcite à me.* Docet diligere inimicos; ipſe orat pro inimicis, & benefacit his, qui oderunt eum. Dicit: *Abnega temetipſum:* ipſe exinanivit ſemetipſum, factus opprobrium hominum & abjectio plebis. Talis doctrina, JESU, talis doctrina Pauli, qui *transfiguravit in ſe ea,* quæ docuit Corinthios. Talis debet eſſe doctrina Apoſtoli, & Socii JESU. Aliàs erit velut æs ſonans, & cymbalum acutè tinniens, ſed vacuum; erit tanquā campana, excitans ad laudem Dei, non ipſa laudans; erit vox clamantis, ſed non Joannes,

non Gratia. Immo neque erit vox, sed inanis echo. Quid efficiet in proximis? Unâ manu ædificabit, alterâ dissipabit; unâ manu trahet animas ad Deum, alterâ repellet; inquit Nazianzenus: quia, quæ verbîs adstruet, factîs destruet. Efficaciùs svadetur operibûs, quàm linguâ; quia, ùt ait Philosophus: *Homines magìs credunt oculis, quàm auribus.*

Punctum 3tium: Audiam S. Paulum Hebr. 8. *Vide, omnia facito secundùm exemplar.* Videbo circumstantias doctrinæ Christi, ut imiter. *1mò*: Libenter docet parvulos, & dicit: *Sinite parvulos venire ad me.* Hi enim tanquam cera mollis, patiuntur imprimi sibi, quidquid volueris. *2dò*: Docet piscatores, & rudes turbas: *Cum simplicibus sermocinatio ejus.* *3tiò*: Non solùm docet, verùm & rogat pro illis Patrem; pernoctat in oratione; non ut pro se obsecret, sed ut pro me impetret; ait Ambrosius. *4tò*: Docet non solùm in Synagogis, sed etiam in cõpitis, in deserto, ad mare; docet non de cathedra, sed de navicula. *5tò*: Docet sinè spê mercedis, laudis, respectûs. *6tò*: Docet sinè requie. *7mò*: Quantâ afficitur molestiâ in instruendo rudes? hinc dicit: *Adhuc & vos sinè intellectu estis?* Item: *Non capis ea, quæ sunt Spiritûs Dei.* *8vò*: Docet usque ad mortem. *9nò*: Doctrina ejus, quantas sustinet censuras? Quid mirer, quòd & nostra doctrina subeat calumnias?

mnias? Si Patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quantò magis domesticos ejus? quia de mundo non sumus, propterea odit nos mundus.

Proponam imitari Christum, dolebo, petam gratiā. Anima mea, ad quid venisti? ad quid te obligâsti? quis tuus finis? Utique in salutem proximorum, incumbere. O quàm altus hic finis! quàm arduus! quanti periculi plenus! quantam requirit sanctitatem! quantam scientiam! Ergo indue duplicem hanc armaturam Dei. alioquin & alios perdes, & ipsa peribis. Magister meus dulcis JESU, elegisti me de mundo, sis benedictus in sæcula. Ad quid elegisti, nisì ut veniam post te, & facias me piscatorem hominum? quot tibi animas lucrifeci? Ah an aliquam pravô exemplô, vel inscitiâ meâ non perdidi? Elegisti me, ut sequar te, prædicantem & operantem salutem hominum: ergo vias tuas demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Thom. à Kemp. l. 7. c. 1. &. L. 3. c. 1. vel 2.

Tessera *S Patris Ignatii*: Multum solâ laboris pro animabus suscipiendi intentione præstabis.

Tantum Deus apponit ad adjutorium, quantum addimus ad studium. Cæsar. hom. 3. ad Monach.

Si ad Deum tendis, cave, nè ad eum solus venias. S. Gregor.

DIEI SEXTÆ MEDITATIO I.

De Regno Christi.

I. *Punctum 1mum*: Audiam Spiritum S. Matth. 21. v. 5. *Ecce Rex tuus venit tibi mansvetus*. Cogitabo *1mò*: Quis, qualis, quantus iste Rex? Rex iste, Rex magnus, super omnem terram. Venit de Cælo, venit de Nazareth, Rex Regum, & Dominus Dominantiū. *2dò*: venit non sibi, sed mihi, mihi ad commoda, sibi ad ærumnas, mihi ad salutem, sibi ad Cruciatus; mihi ad vitam, sibi ad mortem. O dignatio Majestatis! ô misericordia Omnipotentis! *3tiò*: venit *mansvetus*, non regio tumens ambitu, sed mitis & humilis corde. At simul quantus! Eum adhuc in cunis vagientem adorant Magi, timent mali, horret Herodes. *4tò*: Hic Rex venit, committere bellum adversùs alium Regem, adversùs Principem tenebrarum harum, & adversùs ejus ministros, mundum & carnem. Inclamat: *Si quis est Domini, jungatur mihi*. Ecce venio, merces mea mecum est, reddam unicuiq; secundùm opera ejus. Mensuram bonam, confertam, coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Præstò est commeatus gratiarum auxiliantium, præstò annona sub speciebus panis & vini. Præstò

sum Ego; Ego Alpha & Omega, primo & novissimus in laboribus, oneribus, periculis; pectus hoc primus opponam hosti. Præstò est victoria, quæ quidquid fructûs attulerit, vestrûm est. Laurea vestra est, quin & Regnum meum, vestrum simul est; imò & Ego vestra possessio.

II. *Punctum 2dum:* Audiam hunc Regem Joan. 12. *Qui mihi ministrat, me sequatur; & ubi Ego sum; illic & minister meus erit.* An non utile est, sequi Christum, propter tanta præmia, adeunda tam facilî, tã rectâ, tã brevî, tam tutâ viâ? an non honestũ, agere ùt Christus; pati, ùt Christus; loqui, ùt Christus; cogitare, ùt Christus; similẽ esse Christo; imaginẽ esse Christi? Annon delectabile, internâ pace frui, abundare solatiîs, certum esse salutis? An non æquum, ut sequatur minister Herum, miles Ducem, Regem subditus, filius Patrem, Redemptorem redemptus, creatura Creatorem, homo Deum? An non necesse sequi lucem; ut non ambulem in tenebris, & umbra mortis; sed habeam lumen vitæ; sequi viam; nè ambulem vias difficiles, vias non bonas, sed post peccata? sequi veritatem; nè irretiar mendaciis sathanæ, mundi, carnis; sequi vitam, nè aberrem à via vitæ. Tandem quid est status Religiosus? quis Character, & immediatus finis servorum Dei? quid studium perfectionis Religiosæ?

quid ſumma inſtituti mei? utiq; ſequela Chriſti. Quis ſequetur Jesũ, ſi non ſequetur Socius Jeſu? quis Socius Jeſu, ſi non ſequitur Jeſum? Proteſtabor: *Quocunq; perrexeris, pergã; hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, ſi non ſola mors me & Te ſeparaverit.* Ruth 1. Sequar Te, quoquò iêris; cor meũ cùm abſtuleris, mihi tolli non poteris.

III. *Punctum 3tium.* Audiam Eundem Regẽ: *venite poſt me:* Matt. 4. Cogitabo, quò me ducat Chriſtus? non ad Canam Galileæ, non ad montem Thabor, non in medium Doctorũ, verùm ad Calvariam, ad crucem, ad mortem, ſed omni vitâ præſtantiorem. *Homines mundo Crucifixos, & quibus mundus ipſe ſit crucifixus; vitæ noſtræ ratio nos eſſe poſtulat: homines mundo mortuos.* Tales inſtitutum noſtrum, tales Socios Chriſtus exigit. *Si quis vult poſt me venire,* inquit: *abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.* Jam Chriſto me devovi, Chriſto adhæſi, caſtris Ejus nomen dedi; ergo omnino ſequendus; ergo teneor *imò: abnegare me,* ut quæcunq; quantacunq; undecunq; pungat moleſtia; perinde afficiar, ac ſi hoſtis meus, ac ſi is, quem penitus abnegavi, eam perferat. *2dò: tollere crucem,* quam dulcis ille fabri Filius JESUS fabricaverit; ſive hæc ſit depreſſio, vilipenſio, ſive defectus in victu, veſtitu, manſione; ſive officium, vel locus humilis; ſive valetudo fracta;

ſive

ſive demũ incommoda propria vitæ regulari. *3tiò: tollere crucem meam*, non Chriſti; quia hæc longè gravior; quam tamen Ipſe pro me tulit. *4tò.*: tollere crucem; non ad horam, non ad annum; ſed quotidie: hoc eſt, ſicut Paulus, Chriſto configi Cruci; cum ipſo vivere in cruce, cum ipſo mori. Eja potentiæ meæ internæ & externæ, venite, videte Regem veſtrum in diademate; ſed ſpineo. Dicite mihi, decetne ſub ſpinoſo capite membrum eſſe delicatum?

In colloquio: Erumpam in affectum David: Tu es Ipſe Rex meus & Deus meus! Et cum intimo comite Chriſti Bernardo: *Sequar Te, per Te, ad Te; quia Tu es via in exemplo, veritas in promiſſo, vita in præmio.* Item cum Ignatio Martyre: Ignis, Crux, beſtiæ, confractio oſſium, & tota tormenta diaboli veniant ſuper me; tantùm ut Chriſtô fruar. Nolo eſſe Aquila non nisi volitans ſublimè; malo eſſe Iſſachar, ideſt: *aſinus fortis, ſubjiciens humerum ad portandum*; certus, quòd bonum eſt viro, ſi portaverit pondus ab adoleſcentia ſua. Certus, quòd jugum tuum ſvave, & onus leve. Quid enim non emolliat conſvetudo? quid non dulcoret tua gratia?

Thomæ à Kempis l. 2. c. 11. l. 3. c. 10.

Teſſera. *Noli per aliam viam ire, nisi quâ ivit Chriſtus: dura videtur, ſed ipſa eſt tuta.* S. Aug.

Vile pretium quæritur; pro vana re, & parva promissione, diu noctuque fatigari non timetur. Sed proh pudor, pro bono incommutabili, pro præmio inæstimabili, pro summo honore & gloria interminabili, vel ad modicum fatigari pigritatur. Erubesce serve piger, quòd illi paratiores inveniantur ad perditionem, quàm tu ad vitam. Thom. Kemp. Idem.

LECTIO PRIMA
De humilitate.

I. Tanti interest Religiosi, esse humilem, quanti interest esse Religiosum. Ex sensu enim communi, ratio Religiosi consistit in studio virtutum: porro hoc studium stare nequit, nisi humilitati innitatur, tanquam suæ basi. Nam rectè SS. Gregorius & Bernardus ajunt: *Qui sinè humilitate virtutes congregat; quasi inventum pulverem portat.* Deducit hoc P. Alphonsus Rodericius p. 2. tract. 3. At per se patet: Quia de fide est, quòd Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Nam juxta S. Isidorũ Pelusiotam lib. 1. epist. 164. *Superbus, est speciali modo hostis Dei; utpote sibi arrogans & usurpans, quod Dei est:* cui proinde velut aggressori suo, & novo giganti resistere cogitur, tanquam *propulsator suæ contumeliæ:* ùt addit S. Ambrosius Hinc omnem superbum Chrysostomus ad pop. Ant. vocat *fatuum.* Quis enim

sanæ

sanæ mentis insurgeret contra Deum? insurgit verò superbus. apud S. Thomam 2.2. q. 162. ar. 6.

Isti ergo hosti suo, isti fatuo, negat Deus aquam sapientiæ salutaris, seu gratiæ efficaces. Non enim in elatos colles, sed in valles humiles, aquæ defluunt: Sinè his, autem gratiis, non solùm proficere in spiritu nemo potest; sed etiam in omne genus peccati ruit. Et sic *principium omnis peccati superbia est*; & principium omnis virtutis est humilitas.

Proinde illam S. Gregorius appellat virtutum omnium magistram, originem, matrem, radicem. S. Bernardus vocat illam fundamentum & custodem virtutum. Hieronymus primam Christiani virtutem. Cyprianus sanctitatis fundamentum. Epiphanius totam sapientiæ humanæ disciplinam. Basilius sagenam, quæ omnes virtutes complectitur. Dorotheus absolutam perfectionem virtutum, immo earum calcem & cæmentum. S. Ephrem principium & finem bonorum omnium. S. Thomas fundamentũ in spirituali ædificio. Cassianus lib. 12. c. 13. instit. ait: *Evidenter monstratur, non posse quenquam ad perfectionis finem attingere, nisi per humilitatem veram.* Plùs asserebat S. Thomas, ùt habetur in historia Prædic. 1. p. l. 3. c. 37. *Quem videris, in sui contemptu indignari, vel contristari; hunc tu nè dixeris perfe-*

perfectum, etiamsi videris, eum miracula patrantem. Longè plùs asserit pius author de imitatione Christi l. 2. c. 2. *Non reputes te aliquid profecisse; nisi omnibus inferiorem te esse censeas.* Sic Paulus se primum peccatorum, S. Franciscus Seraphicus maximum peccatorum, S. P. Ignatius omnibûs hominibûs pejorem, S. Xaverius nequissimum mortalium, S. Teressia & Magdalena de Pazis omnium se pessimas appellabant. Nemo dubitat, quòd ad hunc humilitatis gradum niti Religiosus teneatur. Solùm quæritur: quomodo is, qui non est sibi culpæ conscius, possit verè judicare, se esse inferiorem omnibus, etiam pessimis? Respondet *1mò*: S. Gregorius hom. 10. in Ezech. Quia possum in alio considerare donum, quo ipse careo. *2dò*: S. Augustinus Serm. 2. de Apost. Quia potest in alio bonum esse *occultum*, quô nobis superior sit. *3tiò*: Sanctus Franciscus Seraphicus: Quia si quantumcunque sceleratũ hominem tantâ fuisset Christus misericordiâ prosecutus; mùltò magìs quàm ego gratus esset. *4tò*: S. Thomas. 2. 2. q. 161. a. 3. Si peccata sua conferat quis, non cum peccatis, sed cum donis, quæ sunt in alio. *5tò*: S. Bernard. Quia nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit; adeoq; non habet causam, cur alteri se præferat. *6tò*: P. Lancicius opusc. 2. c. 3. his refutatis, respondet: Quia cùm quisque

se censere debeat servum inutilem, potest se minimum æstimare, non disputans, quomodo hoc verum sit. *7mò.* P. Lohner: Quia innocens, licèt non possit verè judicare, se esse maximum peccatorem; potest tamen velle, ut eô locô habeatur, quô maximus peccator. At hic expressè quæritur, non de humilitate voluntatis, sed de humilitate intellectûs.

Puta cum S. Thoma, Bernardo, Cassiano l. 4. instit. c. 24. quæsitum hoc procedere de aliis, qui peccaverunt. Quomodo enim Christus, mater, & Præcursor ejus poterant verè judicare se inferiores omnibûs etiam pessimis? Dum ergo de Deipara dicit Bernardus: *Meritò supra Angelos exaltata est; quæ infra viduas, & pœnitentes, infra eam, de qua fuerant ejecta 7. dæmonia; ineffabili se mansvetudine inclinabat;* loquitur de humilitate voluntatis, non autem intellectûs.

II. Hoc præmissô Respondeo: Qui peccârunt graviter, possunt æstimare se pejores aliis quibûsvis. Quia certum est, quòd tenemur de proximo semper bene supponere; adeoq; quòd potiùs amore, quàm odiô dignus sit, & fecerit, quod in se est, in ordine ad remissionem peccatorum; proinde illa deleverit, maximâq; gratiâ sit ornatus. Nos autem ipsi suspecti nobis esse debemus cum S. Paulo: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.*

Quis

Quis scit, an doluimus, *prout oportet ad salutem*; ùt vult Tridentinum; adeoq; an immunes sumus à peccato? præsertim cùm S. Ambros. l. 2. de pœnitentia c 10. dicat: *Faciliùs inveni, qui innocentiam servaverint; quàm, qui congruè egerint pœnitentiam.* Unde Ecclesiastic. monet c. 5. *De propitiato peccato noli esse sinè metu.* Arabica & Syriaca versio legit: nè confidas de remissione. Tigurina: *Super data venia nè sis securus.* Ecclesiastes etiam c. 1. jubet, *de pristinis deprecari, ut dimittantur.* S. Gregor. l. 6. ep. 22. Devotæ post acrem pœnitentiam roganti: an sibi remissa sint peccata? respondit: *Semper suspecta, semper trepida, metuere culpas debes, atq; eas quotidianis fletibus lavare.* Si cui revelaretur, remissa sibi esse peccata: adhuc humiliter supponere deberet, quòd alii majore polleant gratiâ sanctificāte; pro illaque sint magis grati.

III. Tres hujus virtutis gradus assignantur à S. Bonav. *1mus* est: se ipsum vilipendere, adeoq; humiliter de se sentire. *2dus*: velle ab aliis vilipendi, amare nesciri, & pro nihilo reputari. *3tius*: dum quis virtutibus, æstimatione, honore eminens, nihil sibi arrogat; sed ad Deum refert omnia; seq; ex se nihil posse, & nihil esse, censet.

Ad primum gradum spectāt hi actus: *1mus*: se ipsum vilipendere: quia juxta S. Bern: de grad:

grad: hum. *Humilitas est virtus, qua homo, ex verissima sui cognitione, sibi ipsi vilescit.* *2dus:* Nihil proferre, quod etiam indirectè ad nostrî laudem pertineat. *Laudet te alienus, & non os tuum Prov. 27.* Arsenius, teste Surio, licèt in aula Theodosii maximam æstimationem habuerat, tanquam admirandus Institutor Arcadii & Honorii; nullum verbum unquam protulit, quod ad ejus laudem vergeret. *3tius:* non admittere stultas imaginationes, repræsentantes speciosa officia, honores, successus. *4tus:* culpam suam non detorquere in alium: ùt detorquebat Adam in Evam, Eva in serpentem. *5tus:* judicare, se ineptum ad omnia; agere tamen pro posse, quidquid præcipitur. *Nihil est Deo tam gratum, quàm se cum extremis numerare,* ait Chrysost. *6tus:* non quærere exemptionem suî ab operibus communibus, exemplô S. Borgiæ, & Caraffa. *7mus:* omnes, tanquā superiores revereri; ùt vult S. Pater 3. p. Const. c. 1. & Paulus ad Rom: 11. Philip: 2. *8vus:* ex motivo humilitatis silentium strictè servare, & voce submissa loqui; ùt præscribit S. Basilius. *9nus:* mitem se omnibus exhibere: Nam humilitas est *mater comitatis* juxta Gregor: *10mus:* compellare se nominibus abjectis, ùt S. Franciscus Seraph. & Borgias. *11mus:* Indignum se censere commodis; ùt S. M. Magdalena de Pazis & S. Cathar: Senen: *12mus:* Ex humilitate

latere

latere in cubiculo, nec inde absq; justa causa egredi. *13tius:* Eligere sibi viliora, aliis relinquere potiora, quò ad victum, vestitum, locū, *14tus:* Appetere & libenter obire officia vilia; ùt munus docendi rudes, pauperes, pueros, exemplô Christi & PP. Joan: Alphonsi, qui grammaticam 22. Ildefonsi Nunnez qui 26. Hieron: de Rugoza, qui 36. annis docuerunt. *15tus:* Incessum, vestitum, gestus, motus omnes ità moderari; ut in eis reluceat humilitas. *Habitus enim mentis, in corporis statu cernitur;* ùt ait Ambros: l. 1. offic. c. 18. *16tus:* In triclinio consveras mortificationes usurpare, ùt S. Franciscus Seraph. S. Borgias, S. Bernardus.

Ad 2dum gradum spectant hi actus: *1mò:* Velle ab omnibus despici; contumelias, adversitates, molestias æquô animô ferre. S. Franciscus Seraph ajebat: *Non sum Religiosus, nisi eadem vultûs animiq; hilaritate dedecus ac decus, infamiam & famam, accipiam.* *2dò:* Accusare seipsum coram Deo, superioribus, æqualibus; cùm *justus sit accusator suî.* *3tiò:* Non murmurare, non conqueri, nec sinè urgente necessitate contradicere; tantò minùs interrūpere alienum sermonem. Sic exemplô & verbô docebat P. Balth: Alvarez & pleriq; alii. *4tò:* In omnibus tractabilem se exhibere Superioribus, etiam subordinatis, tanquam cadaver, tanquam senis baculum; ùt vult S. Pater.

ter. 5tò: Occultare sua bona opera. *Attendite, nè justitiam vestram faciatis coram hominibus.* Ideo S. Pachomius ad orandum secedebat ad locũ remotũ à monasterio. 6tò: Delicta sua non excusare, imò lætari, quòd aliis innotuerint. Hoc enim est, cum Paulo gaudere in infirmitatibus suis; inquit Sylvanus Abbas.

Ad 3tium gradum spectant hi actus: 1mò: Magna agendo, nihil boni sibi adscribere; sed omne bonum ad Deum referre; judicare se nihil esse ex se, nihil posse. *Maxima ac rara virtus profectò est, cùm magna opereris, magnum te nescire; cùm omnibus nota sit sanctitas tua, te solum lateat; cùm omnibus mirabilis appareas, tibi soli vilescas.* S. Chrysol. 2dò: Omnẽ actum suum bonum, suspectum habere; licèt enim appareat bonus, fortè tamen videt Deus, quod in illo reprehendat, & puniat. 3tiò: Laudes suî invitô, aversô, & amarô animô ferre; ùt monet Aug. Bas. Hieron. S. Fran. Borgiæ nihil erat gravius, quàm cùm laudaretur. 4tò: Cogitare tunc, quòd ore hominis laudes nostrî dæmon occinat; ut pelliciat ad vanam gloriam. Scribit Climacus, quòd diabolus cuidam monacho aperuit imaginationes malas alterius monachi; eâ intentione, ut ab isto tanquam Sanctus & Propheta judicaretur, & sic in vanam impelleretur laudem. 5tò: Reputare se indignum donîs Dei, etiam naturalibûs, immo indi-

indignum consortiô & conspectu Dei, ac hominum: ùt de quibusdam legitur in vitis Patrū 6tò: Tristari de æstimatione suî, gaudere de contemptu & persecutionibus cum Paulo 2. Cor. 12. 7mò: Impositum falsò crimen generosa & libenti mēte ferre; nisì hæc calumnia obesse videretur profectui proximorum. Nam juxta S. Hieron. ep. 14. ad Celant: *Apostolici præcepti & exempli est; ut habeamus rationem, non tantùm conscientiæ, sed etiam famæ.* Juxta Gregor. nonnunquam etiam sancti viri de bona sua opinione gaudent; sed cùm per hanc ad meliora proficere audientes, pensant. *8vò:* In nulla re fidere suis viribus, ad omnia Dei opem implorare, cum magno Suarez; qui etiā publicè disputando, non erubescebat in genua procidere. *9nò:* Cum S. Angela de Fulginio, à nulla re magis timere sibi, quàm à se ipso; vitæ c. 64.

IV. Cassianus l. 4. instit. c. 39. hos actus & signa humilitatis ponit. *1mò:* Si mortificatas in se habet omnes voluntates. *2dò:* Si non solùm actuum suorum, sed etiam cogitationum, nihil suum celaverit superiorem. *3tiò:* Si nihil suæ discretioni, sed judicio ejus, universa committat; ac monita ejus silens libenter auscultet. *4tò:* Si in omnibus servet obedientiam, mansvetudinem, & patientiæ constantiam. *5tò:* Si non solùm injuriam inferat nulli;

sed

ſed nec ab alio quidem ſibi irrogatam, doleat, atq; triſtetur. *6tò:* Si nihil agat, nihil præſumat, ad quod non vel communis regula, vel majorum hortentur exempla. *7mò:* Si omni vilitate contentus ſit, & ad omnia ſe, quæ ſibi præbentur, velut operarium malum, judicârit indignum. *8vò:* Si omnibus ſe inferiorem, non ſuperficie pronuntiet labiorum; ſed intimô cordis credat affectu. *9nò:* Si linguam cohibeat, vel non ſit clamoſus in voce. Hunc 9num humilitatis gradum vocat S. Benedictus. *10mò:* Si non ſit facilis ac promptus ad riſum. Plura, ſi placet, vide apud Heribertum Roſveidum l. 4. fol. 549.

V. *Media ad humilitatem*; *1mum* eſt: *cognitio ſui:* quia juxta S. Gregor: cuſtos humilitatis eſt propriæ vilitatis cognitio. Idq; *1mò:* cognitio ſui quò ad corpus; de qua S. Bernard. *Iſta tria ſemper in mente habeas: quid fuiſti? quid es? quid eris? Quid fuiſti? quia ſperma fœtidum. Quid es? quia vas ſtercorum. Quid eris? quia eſca vermium. 2dò:* quò ad animam: quot & quãtîs peccatîs hæc fœdata, ſauciata, perempta! Peccâſſe me certò ſcio; omnino neſcio, utrum odiô an amore dignus ſim. Ergo nunquam debeo eſſe ſinè metu, ùt monet Spiritus S. Hic verò metus humilitatem parit; quia teſte S. Greg. *Nobis abſcondit Deus gratiam, ut unam gratiam certã habeamus; ſcilicet humilitatem.* Huic

ſui

sui cognitioni duas quotidie horas impendebat S. Borgias: quid mirum, quòd tam humilis evasit? *Alterum medium est, examen particulare*, assumendo ad illud inprimis illos actus superbiæ, qui alios post se trahunt; vel ad extra erumpunt: aut actum humilitatis, qui maximè repugnat superbiæ. Hoc examen S. Pater noster censebat esse efficacissimum mediū ad evellenda vitia, & radicandas virtutes: illudq́, ad ultimum diem in usu habuit. *3tium* est: frequens exercitium humilitatis. Quia, ait Bern. ep, 87. Humiliatio via est ad humilitatem; sicut patientia ad pacem, lectio ad scientiam. *Quamobrem si virtutem appetis humilitatis, viam & exercitia non refugias humilitatis.* Nam juxta Philosophos, omnis habitus proficit exercitiô suorum actuum.

VI. *Impedimenta* humilitatis generalia duo sunt; negativum & positivum. *1mum* est: neglectus mediorum ad hanc virtutem; media enim sunt via ad finem, juxta Philosophum; nemo verò pertingit ad terminum, nisì arripiat & teneat viam, quæ ad illum ducit. Alterum est: amor proprius, quô nos inordinatè amamus, sectando ea, quæ naturæ corruptæ blandiuntur. Hic amor est fons omnium malorum, ùt deducit August. l. 22. de civit. c. 22. S. Pater p. 8. const. c. 1. §. 8. appellat eum *universalis boni hostem.* Pius author de imitatione

l. 3.

l. 3. c. 27. ait: *Scito, quòd amor tui magìs nocet tibi, quàm aliqua res mundi.* Idem dicebat S. Angela de Fulginio, vitæ ejus c. 64. Rationē dat S. Gregor. hom. 4. in Ezech. *Quia vehementer claudit oculum cordis amor proprius.* Consentit Plato l. 5. de leg. Revera usuvenit, ut omnium malorum, quibûs hominum vita involvitur, nimius sui amor causa existat; is enim, qui amat inordinatè, sanè obcæcatur; ac proinde de rebus bonis, justis, honestis malè judicat. Itaq; unusquisque à cæco illo amore sui abhorrere debet, & se ipso meliores sequi. Rectè igitur S. Franc. Salesius ajebat: *Se, si vel aliquam amoris proprii festucam in suo corde residuam nosset: illico eam ferrô flammâq; persecuturum.* l. 4. vitæ c. 5. Contra hunc hostem maximè militat jugis mortificatio, & humiliatio sui, juxta reg. 11. & p. 3. Constit. c. 1. §. 22.

MEDITATIO II.

De tribus classibus sequacium Christi.

I. *Punctum 1mum.* Audiam S. Paulum Philip. 3. *Omnia detrimentum feci, ut Christum lucrifaciam.* 1ma classis est eorum, qui propendent quidem ad prospera, ùt ad vitam longam & vegetam, honores, opes, commoda: sed ità, ut

mallent, hæc omnia detrimentum facere, quàm peccare. Hi ponunt in una lance omnia terrena; in altera fugam peccati: & hæc præponderat omnibus terrenis. Sequuntur Christum, sed tantùm Bethaniam, hoc est in domũ obedientiæ: quòd præceptis quidem Divinis obtemperent; at ulteriùs in via Dei progredi, non laborant. Non sinunt pullulare culpas, sed radices earum non evellunt. Rivum exsiccare volunt, sed fontem non obstruunt. Porro radix, fons, & mater peccatorum est, amor proprius, amor opum, honorum, commodorũ. Iidem ergo sunt navi similes, probè aliàs instructæ, sed affixæ littori, grandi catena; prout amorem proprium vocat Umbertus. Quid mihi cum terra, qui sum vocatus ad cælestia? quid mihi cum caducis, quæ eripiunt æterna? Cur ad Sodomam respicio, unde pridem exii? Amare seipsum inordinatè: est fovere hostem. Respectibus inhiare, est fatuos ignes insequi. Laborare propter opes, est, eo pretiô fimum emere, quò Cælum emi poterat. Honores prosequi, est, umbram suam persequi. Captare laudes; est fumos in àére venari. *Inanis gloria, est dulcis spiritualium operum exspoliatrix, jucundus animarum nostrarum hostis, blandissima bonorum nostrorum depradatrix. S. Basil: const. mon. c. 10.*

II. *Punctum 2dum:* Audiam Christum Marci

10. *Sinite parvulos venire ad me.* Altera classis sequacium Christi, est, qui, sicut parvuli, non magis propendent ad prospera, quàm ad adversa; licèt utraque Divinæ laudis æqualis essent occasio. Hi ponunt in una lance Dei gloriam, & res prosperas; in altera, eâdem Dei gloriam, & res adversas ità, ut nec prospera, nec adversa præponderent. Hi veniunt ad Christum, adhærent Christo, sequuntur Christum Hierosolymam, animô æqualiter comparatô, sive ad plausus, palmas, & oleas; sive ad Golgotam & Crucem. Sunt similes navi, quæ soluta quidem, & longè recessit à littore; nondũ tamen altũ attigit. Sed enim hìc non sistit cor flagrans amore Dei; in altũ illud propellit gratia Divini spiritûs vehementis. Consulam conscientiam: Quid me detinet, nè remis, velisq; tendam in altum? fortè non aliud, quàm amoris proprii reliquiæ. De hoc Augustinus: *Si totum hominis bonum est, amare Deum; totum hominis malum est, amare seipsum.* S. Thomas vocat illum fontem omnis mali. Quid prohibet, ut istum fontem obstruam? illud equidem, nec ornat, nec ditat, nec delectat animam. Proinde si Jephte unicam filiam, Abraham unicum filium non dubitârunt in victimam offerre: quidni spurium istum, scilicet amorem proprium, mactem in holocaustũ Deo, ut nihil ex illo non pereat?

III. *Punctum 3tium*: Audiam S. Jacobū c. 4. *Sitis perfecti & integri in nullo deficientes.* Tertia classis sequacium Christi est *perfecta*, quia in nullo deficit; ùt deficiunt priores duæ. Constat ex illis, qui, licèt tam ex prosperis, quàm ex adversis par gloria Dei proveniret; ad majorem tamen imitationem Christi eligunt, potius cum eo paupere, spreto, & illuso paupertiem, contemptum, & insipientiæ titulum amplecti; quàm opes, honores, & sapientiæ æstimationem. Apud hos præponderant adversa prosperis: hi sequuntur Christum in Calvariam & crucem; hi cum Paulo Christo configuntur in Cruce: hi perfectionis tenent altum. O quàm læti properant in Patriam! quàm animosi rident pericula! quàm securì propinquant termino! quàm beati portum attingunt! Teneor sequi Christum; hàc est sequendus: hàc illum secuti plurimi: hàc sequuntur multi. Potuerunt hi & hæ; & ego non potero? Ah valeo perficere, valeo; sed velle mihi non adjacet! Egoné cum plebeio vulgo Christum sequar? Egoné tam me parcum præstabo erga Deum, quem tam largum experior, & experiri cupio? Mirum est, quòd mei ipsius me non pudeat. Quanta pericula subit mercator, miles incommoda, venator labores; igné, ferrum, inediam æger, gratiâ caduci boni! Cur ego non subeam, propter summum & æternū bonum?

bonum? Si cupiditas naturalis tam dura frangit; quidni frangat Divina gratia? O Domine præstò mihi sunt auxilia Tua, præstò sum & ego tuis auxiliis: en me tibi paratum ad omnia, quæ mundus horret! Deus in adjutorium meum intende.

REFLEXIO
Supra habitudinem ad Superiores.

Considera.

1mò: An agnoscis, Superiorem tibi esse locò DEI; ùt cum S. Thoma 2. 2. q. 63. art. 3. volunt omnes Ascetæ?

2dò: An Superiorem amas & revereris? *est enim Pater & Judex, ùt* docent S. Thomas. Quodlib. 11.art.13.& S. Bonav. in c. 17.Luc. Et S. Hieron. ep. ad Rustic. Præpositum timeas, ùt dominum; diligas, ùt Parentem.

3tiò: An revereris tā internâ, quàm externâ reverentiâ? S. Bern. Serm. 3. de Adv. monet. *Redde reverentiam Prælato & obedientiam; quarum altera cordis, altera corporis est. Nec enim sufficit exteriùs obtemperare majoribus nostris; nisi ex intimo cordis affectu sublimiter sentiamus de eis.*

4tò: An ideo revereris & obedis. quia DEI personam gerit? an non ob aliquem vanum finem? Aliàs *rem magni momenti vili pretiô venalem portas.*

5tò: An perſvaſum habes, quòd quidquid à te, de te, circa te per Superiorem DEUS vult; hoc tibi glorioſius & utilius? P. Balth. Alvarez.

6tò: An revereris etiam perfunctum officiô? S. Franciſcus Borgias *Præfectos Societatis uſq; eò revereri ſolitus eſt, ut licèt poteſtate jam abiiſſent; eodem, quo antea habito reſpectu coluerit. Ribaden. lib. 4. vit. c. 3. §. 2.*

7mò: An obedis tanquam Deo; ùt S. Paulus præcipit ad Coloſs. 3.

8vò: An obedis promptè? S. Bernardus Ser. de obed. inquit: Fidelis obediens neſcit moras, fugit craſtinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos viſui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes; totum ſe colligit, ut imperantis impleat voluntatem.

9nò: An ad vocem Superioris, etiam imperfectam literam relinquis? Iſtam literam O inchoatam reliquit Marcus Sylvani Monachus.

10mò: Nominatim: an punctualiter deſcendis ad triclinium; nè cocis & ſervitoribus moleſtiam inferas? S. Iſidorus ſtatuit Reg. c. 6. *Qui ad menſam tardiùs venerit; aut pænitentiam agat, aut jejunus ad ſuum opus, aut cubile recurrat.*

11mò: An etiam ſanctum opus relinquis? Monialis quædã auditô ſignô campanæ colloquiũ abrupit cum Chriſto; properavit ad menſam:

sed

sed Christus illam expectavit & laudavit, quòd Deum propter Deum reliquerit.

12mò: An curas nihil agere tua voluntate? Perpende S. Bonav. monitum Tract. de inter. hom. c. 21. Te Prælato dedisti propter Dominum & Regnum cælorum: & jam non es tuus, sed ejus, cui te vendidisti. Et ideo nihil tibi licet agere de te, sinè ejus voluntate: ipse enim est Dominus voluntatis tuæ: & contrectatio rei alienæ invitô Dominô, furtum est: fur autem cælo non appropiat.

13tiò: An non solùm vocem Prælati, sed per quidquid ille suam voluntatem significat; acceptas pro voce DEI? Sic Abbas Ammon docebat suos, sic Basil. Sic Isidor. Ratio est, quia superioris voluntas est interpres Divinæ volũtatis; *ubi homo non præcipit rem contrariam Deo:* ùt addunt SS. Benedictus & Bernardus.

14tò: An voluntatem & judicium tuum subjicis voluntati Superioris & judicio? secus rapinam facis in holocausto, per quod te *totum* immolâsti DEO.

15tò: An gratiùs obedis uni Prælato, quàm alteri? altiori quàm inferiori? perfectiori quàm imperfectiori? Id vetat S. Pater N. Nam obediendi votum extendisti ad *omnes*, qui jus habent in te. Nec considerare debes, *quis ille sit, cui obedis; sed potiùs, quis ille, propter quem, & cui in omnibus obedis; qui est Christus Dominus.* P. 3. Const. c. 1.

16tò:

16to: An Prælato candidè conscientiam apetis, & curas esse plenè perspectam? Hoc antiquis erat præcipuum, efficax, ordinarium, & semper usitatum medium ad vincendas tentationes, & proficiendum in Spiritu; ut constat ex Vitis PP. & Heriberto Rosveido.

17mò An non suspicaris de Prælato? an non investigas ejus consilia? S. Basilius Reg. fus. 48. decrevit: Nè quis facilè in hujusce modi vitiū, secus de Antistite suspicandi, aut di judicādi cū detrimento, tū suo, tum aliorū incurrat: illud in universum observari in Conventu debet; ut nullô modô quis Antistitis consilia pervestiget; aut in ejus facta anxiè inquirat.

18vò: An non reprehendis Prælati facta? Id multi Pontifices graviter damnant apud Goffridum Abbatem L. 4. Ep. 12. ad Amblard. *Hoc enim est jurisdictionem Dei propriam sibi usurpare;* inquit S. Gregorius. L. 2. c. 4. in 1. Reg. c. 3.

19nò: An Prælato non respondes durius? an cum eo non contendis? Audi S. Bonav. P. 1. Spec. c. 6. *Cum ipso Prælato contendere, nefas est; & execranda in subdito irreverentiæ turpitudo.* Et Senecam. L. 2. de Ira. c. 34: *Cum pare contendere; anceps est; cum superiori, furiosum; cum inferiore; sordidum.*

20mò: An Superiorem non interpellas monentem vel objurgantem? S. Benedictus Reg. c. 72.

c. 72. præscripsit, ut reprehensus primò dicat: *Mea culpa*: deinde prosternens se petat veniã: tandem jussus surgat, & interrogatus rationem humiliter reddat.

21mò: An non impatienter exequeris, si quid molestum imperetur? Hoc enim *non est virtus patientiæ, sed velamentum malitiæ*, inquit S. Bern. Ser. 3. de circumc.

22dò: An non quæris modos evitandi vilius officium, vel obsequium? P. Balth. Alvarez ajebat: In domo DEI nullum est officium vile. Et de se ipso scripsit: *In hoc ego felicitatem meam pono, quòd DEUS velit operâ meâ uti in vilissimis Religionis meæ obsequiis.*

23tiò: An voluntatem superioris non detorques ad tuam? audi S. Bernardum Serm. de trib. Ordin. Eccl. Quisquis vel apertè, vel occultè satagit; ut quod habet in voluntate, hoc ei Spiritualis Pater injungat: ipse se seducit, si fortè sibi quasi de obedientia blandiatur: neq; enim in ea re ipse Prælato, sed magis ei Prælatus obedit. Et S. Xaverius iisdem ferè verbis dicebat: Magnus est eorum error, quos amor sui excæcavit; obedientes se existimare, cùm Superiorem ad id, quod ipsimet volunt, aliquâ ratione pertraxerint.

24tò: An imperia non discutis? S. Basilius Const. Mon. Cap. 22. Quemadmodum pastori suæ oves obtemperant, & viam, quam ille

vult, ingrediuntur: sic, qui pietatis cultores sunt, moderatoribus suis obsequi debent, nihil omnino ipsorũ jussa curiosiùs perscrutantes. S. Greg. in L. 5. Reg. Vera obedientia nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit. S. Hieron. ad Rusti: Nec de majorũ sententia judices; cujus officii est, implere, quæ jussa sunt. S. Bernardus de præcepto & dispensa *Imperfecti cordis & infirmæ prorsus voluntatis est, statuta seniorum discutere.* Item de Vit: solit. *Perfecta obedientia est indiscreta: hoc est: non discernit, quid vel quare præcipiatur.* Idem docent S. Joan. Climacus gr. 4. S. Cæsareus Arelat. Hom. 8. Cassianus, Instit: Rement. L. 4. c. 10. Plura vide apud Bellarm: respons: ad propos: 12. septem Doctorum Venetorum?

LECTIO SECUNDA
De zelo Socii JESU.

I. Benedictus Deus vocavit nos in Societatem Filii sui. S.P. Ignatius conscripsit, collegit, authoravit sub vexillum nominis JESU: Dei Filius insignivit suo nomine: Digitus Dei, qui juxta Paulum III. est in Instituto nostro, voluit nos tribus clavîs affigi nomini JESU: Ecclesia declarat, ad majorem nominis JESU gloriam propagandam, novô per S. Ignatium subsidiô se roboratam. Id quo fine factum esse censeas,

ſeas, nisi, ut cum S. Paulo nomen JESU portemus coram gentibus? Hoc autem eſt, inquit S. Pater, impensè non ſolùm in propriam, ſed etiam in proximorum ſalutem incumbere; puta, verbîs, exemplîs, precibûs ad Deum fusîs. Lex ſta conſonat Apoſtoli doctrinæ 1. Timoth. 4. *Attende tibi & doctrinæ; inſta in illis: hoc enim faciens, & te ipſum ſalvum facies, & eos, qui te audiunt.*

O quàm altus eſt finis iſte! tam altus eſt, quàm altum eſt, olim aſſidere Chriſto Judici, judicare, ferre ſententiam; quod Apoſtolicis viris promiſſum Matt. 19. quàm altum eſt, eſſe ſalvatores aliorum, ùt S. Paulus pollicetur Timotheo, ac Abdias v. 21. ſtudioſis alienæ ſalutis: *Et aſcendent ſalvatores montem Sion, judicare montem Eſau.* Ubi S. Hieron. *Ipſe Salvator Apoſtolos ſuos mundi eſſe voluit ſalvatores.* Quàm altum eſt, eſſe adjutores Dei 1. Cor. 3. S. Dionys. hier. c. 3. Ingens hæc, Angelica, imò Divina eſt dignitas; Dei cooperatorem fieri, in converſione animarum; Divinamq; in ſe operationem palàm cunctis oſtendere. Quàm altum eſt, eos, qui erudiunt ad juſtitiam multos, fulgere ſicut ſtellas in perpetuas æternitates. Quàm altum eſt, eſſe proximis portas cæli ex ſingulis margaritis. Quàm altum eſt, eſſe adminiſtratorios ſpiritus, Angelorum officiô fungi, Chriſti opus operari. Audi Chryſoſt.

soſt. in c. 12. ad Hebr. *Hoc eſt angelicæ functionis officium, ad ſalutem hominum miniſterium Deo perſolvere: proinde hoc eſt opus angelicum, omnia facere pro ſalute proximorum; magis autem, hoc eſt opus Chriſti.*

II. Quàm verò malum, quàm nocivum, quàm infame ſit; huic muneri ſuo non reſpondere! Dignumne reris, ſi vinitor culturam vineæ, ſi miles aciem, vel ſtationem; ſi legatus ſummi momenti negotia deſerat, ac negligat; ſeq; nugis impendat? Porro Socius JESU vocatus eſt ad vineam Chriſti colendam Matt. 20. vocatus 1. Tim. 1 ut militet bonam militiam. Sicut S. Paulus 2. Cor. 5. *legatione fungitur pro Chriſto.* Quantas proinde meretur pænas, ſi ſuo deſit officio!

Arbitriô S. Ambroſii in Pſal. 118. *Angeli ſinè zelo nihil ſunt & ſubſtantiæ ſuæ amittunt prærogativam; niſi eam zeli ardore ſuſtentent.* Quòd ſi Angeli ſinè zelo nihil ſunt; quid erit Socius JESU ſinè zelo? erit Apoſtolus ſinè Apoſtolatu. Zelotes ſinè zelo, nomen ſinè re. Olim ignavum Chriſtianum S. Auguſtinus ſic increpuit: *Aut Chriſtiani nomen depone, aut Chriſtianô digna gere. Quid enim tibi prodeſt, vocari, quod non es; & nomen uſurpare alienum?* fulmen hoc mutatâ voce *Chriſtiani* in ignavum Sociũ JESU intorqueri meritò poteſt.

III. Imaginem Socii JESU depinxit S. Paul.

2. Cor. 6. In omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in sciētia, in longanimitate, in svavitate, in Spiritu S., in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, &c. Unde S. Hier. ad Nepot. inquit: *Per bonam famam & malam, à dextris & à sinistris Christi miles graditur; nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur: non divitiis tumet, non contrahitur paupertate: & læta contemnit, & tristia: per diem sol non urit eum, neq; luna per noctem.*

IV. At præcipuè requirit Apostolus, ut Socius JESU polleat istîs dotibûs: quarum *1ma est scientia* præsertim ascetica, Moralis, Polemica: ut potens sit exhortari in doctrina sana; & eos, qui contradicunt, arguere. *2da Prudentia*, ut, quibus verbum svadens & admonens non medetur, minæ medeantur: quibus autem minæ non medentur, virga medeatur: quibus verò virga non medetur, eos ignis depascit; ait S. Clemens. Non enim omnes unâ viâ duci queunt ad Dominum; sed, prout docet Apostol. 2. Tim. 4. arguendo, obsecrando, increpando. Quod S. Ephrem sic explicat: *Argue coæquales,* obse-

obsecra seniores, increpa juniores: sed propterea addit: In omni patientia; quia leniter castigatus, exhibet reverentiam castiganti; asperitate autem nimiâ & increpatione offensus, neq; increpationem recipit, neq; salutem. Hæc prudentia stat in eo, ut ad finem intentum media solerter quærantur efficacia, seligantur idonea, fortiter adhibeantur, & svaviter.

3tia dos est *Exemplum probæ vitæ*, de quo 1. Tim. 4. *Exemplum esto fidelibus in verbis, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.* De hoc Concil. Trident. Sess. 22. c. 1. Nihil est, quod alios magis ad pietatem & cultum Dei instruat; quàm eorum vita & exemplum, qui se Divino ministerio dedicârunt. Unde S. Hier. Heliodorum Ep. in epitaph. Nepot. monet: In te oculi omnium diriguntur, domus tua & conversatio tua, quasi in specula cõstituta, magistra est publicæ disciplinæ: quidquid feceris; id sibi omnes faciendum putant. Cave, nè committas, quod, aut qui reprehendere volunt, dignè lacerâsse videantur; aut qui imitari; cogantur delinquere.

Exemplum probæ vitæ S. Paulus l. c. collocat *imò in verbis.* Qualia debeant esse verba viri Apostolici? habetur Lect. de Silentio n: 9. Hìc innuo breviter ex S. Chrysost. hom. 96. in Matt. *Ea loquamur, quæ Christi verba esse confestim cognoscuntur.* *2dò in sancta conversatione.*

Con-

Conversator ritè fungetur officiò, si mansvetus fuerit, si lenis, si mitis, si modestus & quietus; si non quasi servus ducatur, & trahatur ab ira, aut ab aliis affectionibus; sed ratione vincat internos illos incompositos motus, nobilemq; suam generositatem servet, nè in brutorum ferociā negligentiâ degeneret. Ità S. Chrysost. hom. 34. in Gen.

3tiò: Collocat *in Charitate*, vi cujus, Socius JESU omnibus omnia fiat, ut omnes Christo lucrifaciat. Enimverò juxta eundem Chrysostomum: *Magnus doctor est charitas, satis idoneus; qui & tollat errores, & mores formet, & è lapidibus homines reddat.* Charitas, quæ Lucæ 2. Deiparam ursit, ut abiret in montana cum festinatione, causâ mundandi Joannem ab originali labe, ac Elisabetham replendi Spiritu S.; *imò:* fuit *fortis* in superandis incommodis arduæ, montosæ, longæq; vitæ. *2dò:* ùt observat Laur. Just. fuit prompta *cum festinatione.* *3tiò:* fuit hilaris, cum *exultatione*; *4tò:* fuit *ultronea sinè invitatione.* Iisdem perfectionibûs fulgere debet charitas Apostolici viri. Cæterum plures exigit S. Paul. Rom. 12. & 1. Cor. 13.

4tò: Exemplum bonum collocat Apostolus in *fide* tum propriè sumpta, ut omnia credenda, & firmiter credantur, & strenuè prædicentur; tum in fide sumpta pro fiducia, ut non dubitetur, affuturam laboribus Apostolicis,

tam

tam opem Dei, quàm præmium. De hac fiducia S. Pater inquiebat: Tantum per nos operabitur Deus, quantum se nostra in eum fiducia extenderit.

5tò: *in castitate;* quia non effundet odorem svavitatis zelus, nisi puritatis angelicæ liliis floreat, & rosis pudoris: nec opus bonum est aliquod sinè castitate, ait Greg. & Beda: *Actio boni operis Domino acceptabilis esse non valet, si non fluxa luxuriæ quis priùs à carne & mēte restringat.*

V. Priùs igitur requisitis instructum esse dotibûs oportet JESU Socium; quàm prodeat in campum exercendi zeli. Ut Paulus Corinthios in Christo JESU per evangelium genuisset; ipse provectus vir artibûs esse debuit; non cui lacte opus esset. Apostoli cæteri actor. 2. antè repleti sunt Spiritu S.; tum deinde cæperunt loqui. Nubes sinè aqua, quæ à ventis circumferuntur, non fæcundant terram. At Eccles: 11 *Si repletæ fuerint nubes; imbrem super terram effundent.* Super quod S. Ambros. epist. 19: ad Constantium: *Qui multa legit & intelligit; impletur: qui fuerit impletus; alios rigat: ideo scriptura dicit: Si impletæ fuerint nubes &c.*

Itaq; meritò S. Gregor. in Pastoral. monendos esse censet eos, qui in arenam descendunt Apostolicam; ut considerent, quòd pulli avium, si ante pennarum perfectionem volare

appe-

appetant; unde ire in altum cupiunt; inde ima merguntur. Ut considerent, quòd structuris recentibus necdum solidatis, si tignorũ pondus superponitur; non habitaculum, sed ruina fabricatur. Ut considerent, quòd conceptas soboles fœminæ, si priùs, quàm plenè formentur, proferant; nequaquam domos, sed tumulos replent.

VI. Nec autem sufficit, hæc Apostolatûs talenta comparâsse; requiritur insuper *imò:* ut eorum nullum fodiatur, & abscondatur in terra, vel otiosum in sudario reponatur: sed, ut quàm maximum lucrum afferat animarum; *Nè talenti Dominus ad iracundiam provocetur,* inquit Greg. illudq; repetat: prout Matt. 25. repetiit à servo nequam, hoc est, ab ignavo. Prout item ad Rom. 1. recepit ab ethnicis sapientibus, qui scilicet: *Evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim, se esse sapientes; stulti facti sunt.*. Sic & mercatores non sinè bile reposcunt aurum à famulis; dum hi redeunt è nundinis vacui mercibus, quas coëmpturi fuerant.

Requiritur *2dò:* ut sic talentîs nostrîs prosimus proximo, quatenus ipsi non reddamur indigi, hoc est, ut ità Deo lucremur alios; quatenus ipsi non patiamur animæ detrimẽtum. Unde (1. Timoth. 4.) Timotheum Paulus monet, ut *primùm* attendat *sibi,* deinde *do-*

ctrina sua. Eos, qui sic aliis navant operam, ut semetipsos negligant, Seneca puteos appellat, *limpidã aquã dantes aliis, sibi fæces & cænum retinentes.* Præclarè S. Bernard. l. 2: consid. ad Eugen: Quatuor tibi consideranda reor; te, quæ sub te, quæ circa te, quæ supra te. A te tua consideratio inchoet; nè frustra extendaris ad alia, te neglecto. Quid tibi prodest, si universũ mundũ lucreris, te ipsum perdens? & si sapiens es, deest tibi ad sapientiam; si tibi non fueris. Quantũ verò? (ut quidẽ senserim ego) totum. Noveris licèt omnia mysteria, noveris lata terræ, alta cæli, profunda maris; si te nesciêris, eris similis ædificanti sinè fundamento, ruinam non structuram faciens. Quidquid exstruxeris extra te, erit instar pulveris, ventis obnoxium.

VII. Ex his collige, quòd, si frigeas in zelo sancto; si dotes Apostolicas ad eum non adhibeas; vel non ùt par est, adhibeas: non eris verus Jesu Socius: juxta effatum S. P. Ignatii. Quia non sequeris Jesum, quâ præcessit; viâ nimirum zeli. Ergo geres nomen inane & crimen immane: nam *nomen sinè officio nihil est:* ait Salvianus. Tantò minùs aliorum Salvator eris; prout Hieronymus vocat viros Apostolicos. Advertunt enim interpretes, quòd in scriptura, quoscunq; nomen Jesu, seu Salvatoris, insigniit; salvabant alios. Et Christ nomen vocatum est *Jesus Matt. 2.* quia ipse

salvum

salvum facturus erat populum suum à peccatis eorum. Ut autem illud mereretur, *imò*: Exinanivit semetipsum. *2dò*: Formam servi accepit, in qua omnium saluti serviit. *3tiò*: Humiliavit semetipsum. *4tò*: Factus obediens. *5tò*: Usque ad mortem. *6tò*: Mortem autem crucis. *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen. Philip. 2.* Igitur exinanitio sui, zelus, charitas, humilitas, obedientia, mortificatio, crucis amor, aliorum Salvatorem faciunt.

MEDITATIO III.

De duobus vexillis.

I. *Punctum* 1. Audiam S. Joann. Apoc. 19. *Vidi bestiam, & Reges terræ, & exercitus eorum, congregatos in prælium cum illo, qui sedebat in equo, & cum exercitu ejus.* Hoc est cum Christo & sociis ejus. Videbo *imò*: veteranum illum, inveterati odii plenum Luciperum, in campo Babilonico, cum suo vexillo, in quo septẽ peccata capitalia depicta. Sedet in cathedra pestilentiæ, in cathedra digna Luciperô, id est ignea & fumosa. Sedet vultu fædo, visu ferô ac horribili, ore sanguineo, tetrum exhalante fumum. Sedet tumens & inflatus, quasi in lateribus Aquilonis. *2dò*: Circũstant eum teterrimi æthiopes, omnium fraudi-

tam artifices? In Deum odio, in homines invidiâ ardentes. *3tiò:* Hos dispergit, ut sibi quàm plurimos omnis ætatis, sexûs, statûs populos mancipent. *4tò:* Armat illos triplici amore propriô: concupiscentiâ carnis, concupiscentiâ oculorum, & superbiâ vitæ. *5tò:* Ergo volant, alios deliciarum, alios opum, alios honorum cupidine illaqueant. *Laqueus in auro, vicus in argento, nexus in prædio, clavus in amore;* ait S. Ambr. *6tò:* currunt in laqueos & castra dæmonis, Nobiles, ignobiles, senes, juvenes, sæculares, spirituales; & quòd mirum, etiam sapientes desipiunt, atq; hôc sordidô gurgite rapiuntur. Heu, complures vexillum Christi deserunt, cui Sacramentô se obstrinxerunt; & convolāt ad castra diaboli.

II. *Punctum 2.* Audiam Christum Matt. 10: *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Accedam ad beatum illud vexillū JESU Christi: videbo in amænissimo campo, aliā planè militiā, id est: militiā cælestis exercitûs Angelorum, qui tanquā dulces apiculæ, sinuantur circa Ducē suum JESUM: quemadmodum illi in eremo ministrabant. Horum in medio JESUS, in loco humili, summè potens, sapiens, fidelis, & summè svavis; speciosus formâ præ filiis hominū, in quem Angeli desiderant insatiabiliter prospicere. Circumdant optimum Ducem & viri Apostolici: eis dicit: *Militia est vita hominis:*

ergo

ergo induite vos armaturam DEI, nempe charitatem in DEUM & proximum, humilitatem, paupertatem spiritûs, patientiam. Sic armati, ite contra meos & vestros hostes; sathanã, carnem, mundum. De illorum potestate eripite homines, & mihi vero Domino subigite. Ite in mundum universum: ite Angeli veloces, ad gentem convulsam & dilaceratam: omnia accendite, omnia inflammate amore mei. Mox isti, sicut nubes volant, omne mundi latus circumeunt, totâ contentione omnes trahunt ad castra Domini. *Venite, invenimus Messiam.*

III. *Punctum* 3. Audiam Samuelem 1. Reg. 3. *Ecce ego, quia vocâsti me.* Videbo, quòd vocati, pauciores quidem, sed honestioris genii homines, properant ad Castra Domini, quamvis rebellante natura. Properant etiam illi, quibus altior nascendi sors concessâ, quos mundus sibi natos, quos honor sibi cognatos vendicabat. Properant Cæsares, Reges, Principes, apud Hieron. Platum de bono statûs Relig. L. 2. C. 26. Properant, ut crucifigant corpus cum vitiis, mirâ crudelitate, sed salutari. Currunt, inclamante spiritu: Separamini à generatione hac pessima. Egredere de domo tua, & de cognatione tua; nè positus in lubrico sæculi cadas. Revocat illos mundus? respondent; bonum est nos hîc esse: mihi adhære-

re DEO bonum est: hæc requies mea, hic habitabo in æternum. O munde, scio, ubi habitas: ubi sedes est Sathanæ, ubi mare amaritudinum, ubi Babylon confusionum, ubi vita plerumq; morte amarior. Benedictus DEUS qui vocavit nos in societatem Filii sui: utinã, quem concessum est sequi, detur assequi.

IV. *Punctum* 4. Audiam Ecclum C. 2. *Non evacuabitur merces vestra.* Audite hæc, milites Christi: Ecce merces ejus cum eo, Isaiæ 40. Audite & vos asseclæ diaboli: Et vestra merces non evacuabitur. Referet unusquisq;, prout gessit; spondet Apostolus. Videbo utriusq; Ducis stipendia. Luciper nec potest quidquam dare, nisi infernum; cùm nihil habeat, nisi infernum: nec vult quidquam dare, nisi infernum; cùm sit iuratus noster hostis. Christus & potest dare bona, cùm in manu ejus omnia sint posita; & vult dare, cùm sit infinitè bonus. Luciper promittit bona fortunæ, dat infelicitatem æternam: promittit bona famæ, notat infamiâ perenni; promittit delicias, confert tormenta; facit gustare paululum mellis, & simul facit æternum mori; offert mendaciũ fucati boni, aufert verum & immensum bonum. Imò & in hac vita aufert quietem animi: nam *Impiis quasi mare fervens. Non est pax impiis, dicit Dominus:* ut quisq; peccans experitur in se ipso. Jam Christus pro svavi iugo, &

onere suo levi; dat invenire perpetuam requiem, Matt. 11. pro pugillo terræ, dat Cælum: pro gutta fellis, torrentem voluptatis: pro me neglecto à me, dat mihi se ipsum.

Colloquium: Anima mea: alteruter horum tibi Dux sequendus: utrumq; sequi neutiquã potes; nisì sociare velis luci tenebras, Dagonem Arcæ, Christum diabolo. Cujus ergo partes eligis? cujus te vexillo subdis? At jam Sacramentum dixisti Christo: ergonè ipsum deseres? ergonè ad hostilia castra profugies? Vide, à quo profugies? quò profugies? propter quod stipendium profugies? Considera itaq; statũ, quem elegisti; pactũ, quod spopondisti; conditionẽ, quâ accessisti; militiã, cui nomen dedisti; ducem, cui fidẽ obligâsti. O dulcissime Dux! adhæsit anima mea post te, quia dextera tua suscepit me ad castra tua. Militabo, militabo bonam militiam, & subdam populos sub te. Hoc à me requirit tua gloria, requirunt tui in hac spartha labores, passio & mors: requirit tot animarum interitus, fauces implẽtium inferni: requirit status meus, ad quem vocâsti me: requirit vita mea, nè steriliter transeat sinè merito. Manus mea erit tecum, & ducam ad te universum Isràël; ducam, sive per prospera, sive per adversa; sive per infamiam, sive per bonam famam; sive per vitam, sive per mortem. Quia hæc est vita socii JESU, aliàs non est vita Socii JESU. Tho-

Thomæ à Kempis l. 3. C. 35. & 56. l. 1. C. 1.

Tessera. S.Ignatij: *Pluris tibi sit cujusvis hominis salus, quàm thesauri omnes universi mundi.*

Idem: *Si millies in diem mori possem, ob salutē hominis; millies mortem subirem.* Nadasi hebdomadâ S. Ignat.

Thom. Kemp. L. 3. C. 56. *Fratres, pergamus simul, JESUS erit nobiscum; erit adjutor noster, qui est Dux noster, & præcessor. En Rex noster ingreditur, ante nos, qui pugnabit pro nobis.*

DIEI SEPTIMÆ MEDITATIO I.

De conditionibus militis Christi.

I. *Punctum 1mum*: De necessitate militandi.

Audiam S. Job, c. 7. *Militia est vita hominis. Cogitabo 1mo*: Nasci hominem, est ad certamen prodire cum hostibus. Si homo etiam sæcularis nascitur ad continuam pugnam; quid putem de religioso? Ego quomodo certo? quomodo deinceps certabo? Heu quàm segniter hactenus certavi! dum interim hostes vires intendunt omnes, ut eripiant mihi bona supernaturalia, cælum, & Deum. *Cogitabo 2dò*: Velim, nolim, miles sum; bellare teneor: si fugero ex acie, in majores hostes incidi: Si vicero; una victoria plures hostes facit, plures pugnas aperit. S. Greg. 3. mor. C. 8. ait: *diabolum,*

lum, quò valentiùs vincitur, eò ardentiùs ad insidias instigari. Unde Cass. lib. 5. Inst. c. 19. monet Christi athletam, ut quantò magis triumphorum successibûs crevit, tantò colluctationum robustiorem ordinem successurum expectet. Itaque meum vivere militare est. *Cogitabo 3tiò:* quæ præmia animosis militibus promisit Deus, quas pœnas ignavis, quas desertoribus? Concipiam timorem, diffidentiam in me, spem in Deo, proponam, petam gratiã.

II. *Punctũ 2dũ:* De necessitate bene militãdi.

Audiam S. Paulum 1. Timoth. 1. *Militas bonam militiam. Cogitabo 1mò:* Non sufficit quomodocunque, sed bene militandum est. Hinc S. Bern. Serm. 3. in Dedic: *Induite vos armaturam Dei non modò ad resistendum; sed ad impugnandum quoque, & ad expugnandum viriliter inimicum.* Nam non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit: nec nisi vincenti dabitur manna absconditum, seu juxta Rupertum specialia dona, & nomen novum Filii Dei, hæredis cæli. *Cogitabo 2dò:* Bene militandum est; nam hostes, nimis sunt potentes, iique non solùm externi, sed & interni; uti passiones indomitæ, phantasia liberè evagans, sensus corporis non coërciti. Ideo columnæ cæli ceciderũt; egone mihi fidã? *Cogitabo 3tiò:* Cùm ergo jam intra muros hostis sit, hoc est intra me ipsum, pugnandum igitur acriter, pugnandum incessanter.

ſanter. Pugnandum, quia militia brevis eſt, corona autem æterna; non pugnantibus ignominia, & pæna æterna. Aggrediar itaque hoſtes; ſed videbo, contra quem ex illis prius debeam movere arma: nimirum à quo mihi majus periculum, & hoſtibus ſubſidium. Providebo arma, & modum certandi; proponam, petam gratiam.

III. *Punctum 3tium:* proponit arma ad militandum. Audiam eundem S. Paulum: Eph. 6. *accipite armaturam Dei:* nempe, cingulum lumborum, loricam juſtitiæ, calceos in præparationem Evangelii, ſcutum fidei, galeam ſalutis, gladium ſpiritûs. Explicat S. Ephrem Panopl. Spir: *Galea* eſt ſpes, balteus eſt charitas, calceamenta ſunt humilitas, ſcutum eſt crux, arcus eſt oratio, gladius mortificatio, lorica opera ſancta. S. Chryſoſtomus hic: *armis* nobis opus eſt validis; ſobrietate ſcilicet, temperantiâ, precibûs, perpetuîsque vigiliîs. Et S. Bernardus: Gravis nobis eſt inimici tentatio; ſed longè gravior illi oratio noſtra. Lædit nos ejus iniquitas, atque verſutia; ſed multò ampliùs noſtra eum ſimplicitas & miſericordia torquet. Humilitatem noſtram non ſuſtinet, uritur charitate noſtra, & obedientiâ cruciatur. Hæc arma mihi comparanda ſunt. Providebo media comparandi.

IV. *Punctum 4tum* de modo militandi.

Hunc

Hunc proponit S. Basilius præf: (in ascet. Ubi ergo Christus Rex? in cælo: huc tuus tibi ô Christi miles, dirigendus est cursus. Obliviscere, quidquid hìc in terra est. Miles non domos ædificat, non comparat agros, mercibus, & lucro non studet, alimenta miles habet à Rege, in plateis tabernaculum sibi ponit, cibum sola necessitas metitur, potio aqua; somni, quantum natura requirit; itinera frequẽtia, itemque vigiliæ; acris ad frigora, caloresque tolerandos patientia; periculosorum cum adversariis certaminum crebra susceptio, & in his sæpè mors; gloriosa tamen, & quæ Regiis honoribus, & muneribus decoretur. Age igitur Christi miles, subeat animum tuum sempiternorum bonorum cogitatio; solutus esto, atque ab omnibus vitæ hujus curis liber.

Colloquium: Tu es ipse Dux meus Domine! Tibi soli militabo. Sed ô quàm pudet me ignavum militem, imò desertorem, comparere ante te Ducem & Dominum! O quàm magìs pudebit comparere ante judicem! Quoties hostibus cessi! quoties me subdidi! quoties deserui te legitimum Dominum meum, Deum meum, Ducem meum, spretîs, ac abjectîs auxiliîs tuîs, ac armîs! O quàm rigida illorum erit reddenda ratio! Abhinc propono &c.

Tessera *Delicatus es miles, si putas, te sinè pugna posse vincere, sinè certamine triumphare. Ex*

sere

fere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio isto concerta. Considera pactum, Conditionem attende, militiam nosce: pactum, quod spopondisti, conditionẽ, quâ accessisti, militiam, cui nomen dedisti. Chrysost. Tom. 3. Serm. de Martyribus.

Indicitur tibi bellum, non solùm adversùs suggestiones diaboli; sed adversùs te ipsum. Quomodo adversùs te ipsum? adversùs tuam consvetudinem malam & adversùs vetustatem vitæ tuæ malæ; quæ trahit te ad solitam consvetudinem, & refrænatur à nova. S. August.

LECTIO PRIMA
De Otio.

I. Est otium honestum, quod Seneca de brevit: vit: vocat: *studium sapientiæ.* De hoc Spiritus S. Eccli 38. *Sapientiam scribe in tempore vacuitatis.* Super quod S. Bernardus Serm. 11. in Cant. ait: *Bonum est otium, sed Sapientiam scribe in tempore otii tui.* Hugo per *sapientiæ studium* intelligit studium vitæ contemplativæ, sive studiũ vacandi Deo. Sed de hoc mellifluus Doctor dicit: *Otiosum non est, vacare Deo; imò negotium omnium negotiorum hoc est. Quod quicunq; in cella non agit fideliter & ferventer; quodcunq; agit, quod propter hoc non agit, scilicet, ut Deo serviatur; in eo, quod agit, otiatur. Ubi pro vitando otio, otiosa sectari ridiculum est.*

II. Agitur hìc de otio vitioso, quod juxta S. Thomam, est species tepiditatis; qua constricti, negligimus honesta, quæ nobis incumbunt, opera. Ad ejus primam speciem spectant, qui cessant ab omni prorsus opere, ut deliciis diffluant; vel ut in sole corpus excoquant. Hos dictus Philosophus appellat, non tam otiosos, quàm ægros, semivivos, mortuos; eorum autem otium, vocat mortem, & vivi hominis sepulturam; epist. 82. Sic otiosum Vatiam epist. 55, vocat mortuum & sepultũ: *Nunquam ego*, inquit, *hanc villam Vatiâ vivô prateribam, quàm ut dicerem: Vatia hìc situs est*. Similiter de Religioso S. Bernar. *Nec ea die bonus cellita se vixisse, debet existimare; in qua nihil eorum, se egisse recolit; propter quæ in cella vivitur*.

III. Ad 2dam otii speciem, arbitrô eodem Senecâ, spectant; qui se impendunt operibus, è quibus utilitas nulla provenit, nullus fructus. Tales ait esse, *quorum latrunculi aut pila* (vitrea) *vel operosum studium rerum inutilium vitam consumit*; quale studium dicit esse, laboriosam indagationem: Quotnam militibus constabat Ulyssis navis: quinam primus alicujus artis inventor. Subdit: *De illis nemo dubitabit, quin operosè nihil agant*. Consentit Philosopho S. Bernardus ad FF. de monte: *Otiosum est, quod nullam utilitatem habet, vel utilitatis intentionem*.

IV. De hoc vitio tale judicium tulit Spiritus

S. Prov.

S. Prov. 12. *Qui sectatur otium, stultissimus est.* An enim non stultitia, velle seipsum perdere? Porro idē est, otiū sectari, quod festinare ad perditionē. Tygurina enim versio legit ità: *Qui festinat post perditos, stultissimus est.* Enimverò perdit imprimis *corpus*; nam sicut aquæ vitium capiunt, nî moveantur; ità corpus otiô veternans putrescit. Id Cato senserat in disticho:

Segnitiem fugito, quæ vulgo ignavia fertur;
Nā cùm animus languet; consumit inertia corpus.

Et chalybem otiosum, nec usu perpoliri solitum exedit rubigo. Perdit item otiosus *bona corporis*: Quia Dii laboribûs omnia vendunt: nec nisì in sudore vultûs tui vesceris pane tuo. Sed præcipuè:

V. Perdit *animam*: quia meritis ponit obicē; nam tempore sementis nihil serit, tempore æstatis nihil colligit, tempore merendi nihil lucratur, tempore laboris desidet; quæ proinde opera ejus sequentur illum? Profectò: propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi. Super quod S. Gregorius: *Propter frigus quippe piger non arat, dum desidia & torpore constrictus, agere, quæ debet, bona, dissimulat. Mendicabit æstate, & non dabitur ei: qui enim nunc in bonis operibus non exsudat, cùm sol judicii ferventior apparuerit, quia frustra regni aditum postulat, nihil accipiens, æstate mendicabit. Non dormientibus provenit regnum cælorum*, inquit

S. Leo,

S. Leo, *nec otiô & desidiâ torpentibus beatitudo cælestis ingeritur.* Permagnô constat stola gloriæ; magno labore texitur, magnum laborem amicit. *Dormitatio verò pannîs vestietur. Prov. 23.* Super quod Cassianus l. 10. Inst. cap. 21. ait: sinè dubio non merebitur vestimentô incorruptionis ornari, quisquis somnô otii vel acediæ superatus, non industriæ suæ labore, sed inertiæ pannîs operiri maluerit.

VI. Ponit obicem virtutibus: nam rectè dicit Author catenæ Græcæ: *Vir, qui voluntate & studio mulier est; virtutem, quæ animam nutriat, nunquam assequitur.* Ratio est, quia vitium hoc non admittit exercitium virtutum; istæ verò, secundùm naturæ vires, non aliunde nasci queunt; quàm ex exercitio sui crebro: non secus, ac ex semine fruges, & ex radice plãtæ.

Nec solùm virtutibus ponit obicem, verùm insitas olim, suffocat, tollit, exterminat. Hinc Demetriadi scripsit Hieronymus: *Nihil otiô deterius est, quod non solummodo non acquirit nova, sed etiam parata consumit. Sancta vitæ ratio processu gaudet & crescit; cessatione torpescit, & deficit.* Sit incertum, quòd Torpedo piscis, si vel virgâ tangitur, quàmlibet robustos torpescere faciat lacertos; & quòd Remora naves validîs actas ventîs sistat; ùt refert Plinius l. 32. c. 1. Id minimè dubium, quòd otium animi vires afficiat torpore, magnaq; molimina

men-

mentis, velut naves actas ventis, cursu prohibet. Jam autem sisti virtutis cursum, est virtutem deficere, juxta Patres.

VII. At otium nedum virtutes arcet, impedit, excludit; sed insuper peccatis pandit aditum. Imprimis enim opacat mentem, nè tum peccata, tum causas illorum videat & amoveat. 2dò: Concupiscentiam sensim irritat, accendit, & roborat. Nam, sicut aqua latenter per rimam navis intrat, & excrescit, donec navis per nautarum incuriam demergatur: ità ex otio & ignavia cogitationes pravæ, & concupiscentiæ multiplicantur, donec navis cordis eis succumbens, in peccato periclitetur; ait S. Bernard. Serm. de S. Andr. Consonat S. Laurentius Justin: l. de grad. perfect. c. 9. *Sicut aqua, quæ caret decursu, & jacet in foveis, putrescit, repleturq́; animalibus venenatis ac noxiis; ità corpus otii tabe confectum, concupiscentiarum carnalium parit insaniam.* 3tiò: Ad resistendum concupiscentiis vires enervat, quæ nonnisi virtutum usu foventur & firmantur. 4tò: Quia, quemadmodùm ad domum vacuam spectra confluunt, & larvæ stygiæ; sic ad vacantem animā, dæmones convolant, trahūt in pericula peccandi, propellunt in omne nefas, atq; honestarum actionū præsidiô destitutam vastant. Quare Cassianus L. de Aced. c. 23. inquit; *Laborantem monachum uno dæmone*

pulsa-

pulsari, otiosum verò innumeris spiritibus devastari.

Rectè proinde definit S. Bernardus, quòd otiositas est mors animæ, & vivi hominis sepultura; sentina omnium malorum, pulvinar diaboli, mater nugarum, noverca virtutum, summa mentis malitia.

VIII. Tandem, *sectatur otii stultissimus*, rationalem animam studiosè curat brutescere, spōteq; sua rationem hebetat. Ità sentit Plutarchus in moralibus: *Ingenium hominis ceu cariem & senium in otio contrahit propter obscuritatem; & quies vitaq; sedentaria, non modò corporibus, verùm etiam animis marcorem affert.* Quod Ovidius l. 5. Tristium Eleg. 12. declarat similitudine, *primò* agri; qui, si non renovetur aratrô; nil nisi cum spinis gramen habet. *2dò* Equi; qui si tempore longo steterit, malè curret. *3tiò* Cymbæ; quæ vertitur in teneram cariem, rimisq; dehiscit; si diu vacabit aquis. Quamvis igitur caput esset aurum optimum, pædorem & marcorem contrahit è fimo desidiæ. Imò infatuatur, ait enim Cassiodorus: *Natura humana sicut duris laboribus instruitur, ità per otia torpentia infatuatur.* Notavit S. Chrysostomus hom. 5. in 1. Cor. Signa fatuitatis in otioso: *Qui est otiosus*, inquit, *& multa temerè loquitur, & multa agit temerè, & toto die nihil operatur, & veterno mentem repletam habet.*

Ex his omnibus sapienter concludit Beda:

Qui pro salute animæ suæ nunc laborare detrectat, tunc inter stultos reprobabitur. tametsi nunc vel Divinâ vel humanâ sapientiâ gloriosus videatur.

IX. Otii *causa præcipuæ* sunt: *1ma*, Naturalis ignavia, quam persæpe gignit prædominans humor phlegmaticus; secundùm Aristot: sicut, juxta medicos, quandoq; gignit paralysim. Porro quod est in corpore paralysis, hoc in anima desidia. *2da* causa est: acquisita vivendi molliter consvetudo. Ab Augustino vocatur: *pondus grave & moles imposita sepulchro.* Quemadmodum igitur etiam Enceladus oppressus Ætnâ, vix respirare valet; tanto minùs operari: sic obrutus otiandi, laborisq; fugiendi consvetudine, nihil aliud potest, quàm otiari, laboremq; fugere. Nam consvetudo transit in naturam, juxta Hieron.; natura necessitatem inducit; necessitas parit impotentiam ad contrarium, ùt ajunt Philosophi. Assveto proin molliori vitæ, desipiunt ea, quæ vel umbram præferunt incommodi. Assvetus cepis & alliis Ægypti, nauseat super manna virtutum; quòd inexperto non arrideat gustui. David contra Goliath portare nequiit armaturam, quòd non usum ejus habuit. 1. Reg. 17. Adeo verum est, quòd sicut nihil est tam durum, quod non emolliat consvetudo; sic nihil tam molle, quod segnis desvetudo non induret.

X.

X. 3tia Causa est, *loquacitas* fallens tempus. De hac Bernardus de tripl. custod: *Libet confabulari, ajunt, donec hora prætereat*; O donec prætereat hora! O donec pertranseat tempus! Donec prætereat hora, quam tibi ad agenda pænitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam, miseratio Conditoris indulget! Donec transeat tempus, quo Divinam tibi propitiare debueras pietatem, properare ad Angelicam societatem, suspirare ad amissam hæreditatem, aspirare ad promissam felicitatem, excitare remissam voluntatem, flere comissam iniquitatem!

XI. 4ta Causa est, *saturitas*. Hæc enim opplet & obruit stomachum; oppletio stomachi debilitat calorem, calor imminutus malè digerit; mala digestio generat humores crudos & noxios; hi chilum vitiant & sanguinem, totumq; corpus afficiunt gravedine; quin & cerebrum obfuscant. unde juxta Bernardum: *Pinguis venter non facit subtilem sensum.* Exodi 32. Sedit populus manducare & bibere; & surrexerunt, non laborare, non subtilia cogitare; sed ludere. Et sic saturitas ineptos ad laborem efficit, proclives ad otium. *5ta* Causa est: *Curiositas*, quæ vel à cæptis bonis actibus avellit. Hæc uxorem Lothi convertit in lapidem salis, immobilem ad quodvis opus. Hæc auscultantes Syrenum cantum, sopore li-

gat. 6ta Causa est: *Amicitia* minus utilis; siquidem amici sunt fures temporis, quod honestis negotiis impendi posset.

XII. *Ad evitandum otium*, *1mum medium* est: amovere causas ejus. *2dum:* Sic actiones ordinare, ut singulis respondeat suum tempus, & hunc ordinem exactè custodire. Ità monebat S. Bernardus: Singulis horis & diebus sua tribue exercitia, spiritualibus spiritualia, corporalibus corporalia. *3tium* affert Seneca ep. 56. *Ad rerum actus excitandi, ac tractatione bonarum artium occupandi sumus; quoties nos malè habet inertia sui impatiens. Nihil tam certum est, quā otii vitia negotiô discuti.* Unde si vel tempus aliquod occupatione vacaverit, vel actionum ordinem perrumpi necessitas exegerit; sint ad manum interni vel externi actus, qui tempus impleant: *Ut semper diabolus inveniat te occupatū:* inquit Bernardus. *4tum:* in discussione conscientiæ solita, sagaciter inquirere; num in alicujus temporis jactura non sis passus damnum; defectum corrigere, deflere, castigare. *5tum:* Frequens exercitium amoris Dei; sic enim Bernardus ait serm. 51. de modo bene vivendi: *si verè Deum diligis, nullâ horâ otiosa eris. Si Deū in veritate amas, pro amore illius otiū recusas: si ex totò corde diligis Deum, omni tempore contemnis otium.*

XIII. Religiose, credisne Christo Matth. 11.

11. quòd regnum Cælorum vim patitur; hoc est, ùt ait Bernardus l. supra c. *Regnum Dei non dabitur otiosis, sed in servitio Dei studiosis. Regnum Dei non dabitur vagantibus; sed pro Deo dignè laborantibus?* Si credis? cur desides, quasi non crederes? cur non observas tempus, à quo pendet æternitas? saltē abhinc redime tempus, sive ut Græci legunt: *Eme tempus.* Quanti illud emerent beati? quanti emerent animæ purgatorii? quanti emerent damnati? si possent mereri. tu quanti velles emere, dum mors instabit? Pretiosum est, nam tantum valet, quātum salus tua. Pretiosum est, nam quôlibet ejus momentô potes lucrari cælum. Igitur illud utcunq; perdere, quantum est damnum! perdere confabulando, nugando, peccando; perdere ut pereas: quanta insania! Ad hæccine illud concedit tibi Deus? Nonne rationē ejus olim exiget? O quot momenta, quot horæ, quot dies tui, sicut umbra transierunt! Illos impossibile jam revocare; supplere tamen, & compensare; positum in manu tua.

XIV. Quare proinde stertis? Vide quàm passus accelerat viator, ut resarciat moras, quas pigritando traxit. Est de fide, quòd hoc unicè fine vivas, ut curras ad patriam: vita tua quid hactenus, quàm inutilis mora fuit? Hostes tui adeo ferventer ardent, impedire cursum tuum; tu adeo frigidè lentèq; progrederis!

An pluris illorum refert perditio tua, quàm intereſt tuâ, ſalus tua? Ergo ſvadet Auguſtinus hom. 10. int. 50. Tom. 10. *Perde aliquid, ut redimas tempus, quo vaces Deo.* Quid verò ſit illud, quod perdas? Reſpondet idem S. Doctor ibidem hom. 1. *Quid eſt redimere tempus, niſi, dum opus eſt, etiam detrimentô temporalium commodorum, ad æterna quærenda & capeſſenda, ſpatia temporis comparare?* Vide, quæ commoda pro Deo, pro anima, pro cælo immolare poſſis, vel debeas.

Coronet hanc lectionem S. Bonaventuræ monitum in Reg. Novit. c. 8. Per tria iſta, tota vita tua decurrat; ut ſemper aut ores, aut legas, aut ſcribas; & factis ſervitiis non ſtes cum fratribus otioſus; ſed ſtatim vade ad cellam, & ibi, aut ores, aut legas; Addit S. Bernardus: *Aut mediteris.*

MEDITATIO II.
De triplici ordine militum Chriſti.

I. *Punctum 1.* Audiam Job c. 9. *Verebar omnia opera mea, ſciens, quòd non parceres delinquenti.* 1mus ordo eſt *gregariorum*, qui militat ob metum pænæ. Sic militare, non eſt inutile: nam etiam ſervilis *timor Dei, operatur ad evitationem cujuslibet peccati.* inquit S. Thomas.

2da 2dæ q.54. a.2. ad 4. Unde S. Basilius svadet; hom. 9. in ps. 13. *Cùm ad peccatum aliquod progredi voles, cogita horrendum illud, & non ferēdum Christi judicium.* Fundatur hæc doctrina in illa gnome Eccli. 1. v. 27. *Timor Domini expellit peccatum.* Cæterùm timor hic est imperfectus, *1mò:* quia nascitur ex amore proprio; humili motivô nititur; proinde minùs æstimari dignus. Quis enim magni æstimet filium, vel servum, quòd Patri vel hero manus non inferat, ideo tantùm, quia pænas metuit? *2dò:* Hinc minùs Deo placet. adeoq; minùs meretur. *3tiò:* Est proprius brutorum. *4tò:* Dedecet verum Christi militem, sicut dedecet terrenum militem, quòd à proditione solo timore mortis arceatur. *5tô;* Facilè degenerat in *mundanum* timorem, (2da 2dæ q. 19. a. 2. in corp.) quô sic timemus aliquod malum, v. g. infamiam; ut ad illud vitandum avertamur à Deo; vel parati simus peccare, si periret infernus.

II. *Punctum 2.* Audiam David Ps. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem.* 2*dus* ordo est *stipendiariorū*, qui Christo militant propter mercedem. Et hi non postremi quidem merentur in istis castris; sed tamen minùs liberales, & minùs ingenuos se præstant erga Deum; utpote quos ad militandum illicit salutis propriæ

lucrum.

lucrum. Quærunt, magìs quæ sua sunt, quàm quæ JESU Christi; sibi potiùs, quàm Deo serviunt; se ipsos, ùt finem respiciunt, ad quem Dei servitium ordinant, ùt medium. Ità sentit Tho: Kemp. Imit: l. 2. c. 11. *Nonne amatores sui magìs, quàm Christi probantur, qui sua commoda & lucra semper meditantur?* At nonne dignus est Deus, ut ei sinè mercedis intuitu serviatur? Quis opere meô dignior, Deus, an ego? Nonne magìs ipsi placet obsequium filii, quàm obsequium mercenarii? Nonne præmiat uberiùs illud opus, quod amor imperat; quàm quod extorquet spes præmii? Quanquã potestne præmium esse majus, quàm placere Deo? potestne præstantior merces appeti, quàm ipse Deus? Nimiùm avarus, cui Deus non sufficit, inquit Augustinus. Item ser. 72. de temp. Gratis amandus Deus: quod enim dulcius à Deo præmium, quàm ipse Deus?

III. *Punctum 3.* Audiam Deum Gen. 15. *Ego merces tua magna nimis. 3tius* ordo est *amantium*, qui strenuè bellant, non ex metu pænæ, non ex spe stipendii; sed ex amore. Hos auctorat amor, perficit amor, regit amor, & fovet amor. Hìc amoris militia, leges amoris, amoris disciplina, amoris officia, exercitium amoris. Hìc stipendium est Deus, gloria Deo, spes Deo, omnia Deus. Planè juxta mentẽ Augustini: tom. 8. in ps. 53. *Gratuitum sit, quod*

amatur,

amatur, & quod laudatur. Quid est gratuitum? ipse propter se, & non propter aliud. Sic militavit David: *Quid mihi est in cælo; & à te quid volui super terram, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum?* Ps. 72. Sic militavit S. Doctor Angelicus, qui pro laboribus, Angelico Doctore dignis, noluit mercedem aliam, quàm ipsum Deum. Sic militavit S. Magdalena de Pazis, quæ dicebat: *Si crederem, me uno solo verbô prolatô ob alium finem, quàm ob amorem Dei, posse evadere Seraphinum: nunquam illud proferrem.* Sic militabant & militant alii; eccur non ego? *Non magnum mihi videri debet servire tibi gratis: sed hoc potiùs magnum & admirandum apparet, quòd tam pauperem & indignum, dignaris in servum accipere, & dilectis servis tuis adunare. Verè Dominus meus es, & ego pauper servus tuus; qui totîs viribûs teneor tibi servire, nec unquam in laudibus tuis fastidire. Sic volo, sic desidero: & quidquid mihi deest, tu digneris supplere:* Thom. Kemp. l. 3. c 10.

Domine, spes Sanctorum, & turris fortitudinis eorum; Deus vita animæ meæ, per quam vivo, sinè qua morior; lumen oculorū meorum, gaudium cordis mei, & lætitia spiritûs mei: Diligam te toto corde meo, & totâ animâ meâ, & totîs medullîs, & visceribûs meîs; quia tu prior dilexisti me. S. August. soliloq. c. 2. Ex hoc amore certabo, ùt digno

pugil

pugil Christi. Adjuva me Deus salutaris meus.

REFLEXIO
Supra Puritatem.
Considera.

1mò: An omni custodiâ servas cor tuum? Prov. 4. Quod S. Dionys. sic exponit: Id est: cum summa & jugi diligentia præserva mentem tuam ab omni cogitatione immunda; ab omni affectione iniqua; ab omni omissione culpabili: & insuper exerce eam in meditationibus & affectionibus sanctis.

2dò: Quales imaginationes, qualia somnia? quæ causæ, quæ remedia illorum? In his S. Theressia nec venialiter unquam deliquit. L. 3. vit. c. 4.

3tiô: An habes in promptu, quo divertas mentem; si te fœda cogitatio invaserit? an illā non segniùs extinguis, quàm scintillam illapsam corpori? aliàs gliscet in magnam flammā, etiam in sanctissimo Davide, & sapientissimo Salomone. Observa sollicitè caput serpentis, hoc est principia malarum cogitationum, nè totus illabatur in animam; monet Cassianus l. 6. c. 18. S. Bern. Serm. de triplici jud. jubet poni custodiam januæ, cujus nomen est: *Memoria professionis est status tui.*

4tò: An elegisti Sanctum aliquem Tutorem virtu-

virtutis hujus? S. Catharina Sveca elegerat S. Sebastianum.

5tò: Quas mortificationes adhibes, in cibo præsertim & potu? nam ex omnium sensu, sicut ignis in aqua; ità puritas in gula deficit. Oraculum est Augustini Serm 2. de jejun. *Semper saturitati juncta lascivia.* Quin & aquæ frigidæ potu nimio castitatem lædi, dicunt S. Antoninus, Chæremon, Ephrem, Hieronymus, Cassianus, Nilus, Bernardus. Siquidem hæc, inquit Galenus, *in flatum mutatur:* porro flatulenta irritant libidinem: ùt docent medici.

6tò: Qualis aurium custodia? S. Stanislaus Kostka corruebat ad verbũ minùs decens. An non mulceris svavibûs alloquiîs, & eorum accentu molli? Syrenũ cantꝰ sunt; sepi aures tuas spinîs, nè obdormias in æternum.

7mò: Quæ custodia visûs, nè oculus tuus deprædetur animam tuam? Job c. 31. *pepigit fædus cum oculis*, nè inde pullularet cogitatio prava; quæ rursus esset causa ruinæ gravis. Sic enim ibi glossa disserit: Visum sequitur cogitatio; cogitationem delectatio; delectationem consensus; consensum opus; opus consvetudo; consvetudinem necessitas; necessitatem desperatio; desperationem damnatio.

8vò: An rectô fine etiam in sanctas, at formosas imagines, vel personas projicis oculos? S. Joannes Apostolus apparuit lucidissimîs

ocu-

oculîs; quòd illos nunquam in Deiparam convert erit.

9nò: An oblectaris odoribûs? Talem Scipio vocabat semivirum, Diogenes Cynicus mulierem, Miltiades meretricem. Illi se Sap. 2. unguentîs linunt, & rosîs coronant; qui dicunt: *Nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo Vestrûm exsors sit luxuriæ nostræ.* Adeo non bene semper olet, qui bene semper olet.

10mò: Quæ linguæ custodia? Addixerat se quidam eremitis. at eorum turpiloquiîs offensus, domum rediît. Quare S. Damiani l. 6. epist. 32. sic in illos invehitur: *Nomen DEI per vos blasphematur.* Subdit: *Quanti ergo sanguinis reus est, qui sub sacri habitûs schemate talem, se per susceptæ Professionis incuriam exhibet: ut quærentes accedere, perversè vivendo, deterbet!*

11mò: An non libentiùs alloqueris sexum alterum? diabolicum est, potiùs cum Eva, quàm cum Adamo velle colloqui.

12mò: An sonus & inflexio vocis non affectata? S. Ambrosius in Antilog. L. 2. c. 19. præcipit: *Vox sit non remissa, non fracta, nihil fæmineum sonans.* Quod etiam in cantu voluit observari S. Bernardus Serm. 42. in cant. *Non fractîs & remissîs vocibûs, muliebre quippiã balbâ de nare sonantes; sed virili, ut dignum est, sonitu & affectu, voces S. Spiritûs depromatis.*

13tiò: Qualis uſus manuum? qualis pedum? Audi Senecam: *Impudicum & inceſſus oſtendit, & manus mota, & unum interdum reſponſum, & relatus ad caput digitus, & flexus oculorum.*

14tò: Qualis inceſſus? S. Baſilius epiſt. 1. ad Theol. præſcribit: inceſſus eſto nec ſegnis, nè animum diſſolutum declaret; nec rurſus vehemens inſolenterq; incitatus; nè conſternatos animi impetus ſignificet. S. Chryſoſt. hom. 30. in epiſt. ad Rom. *Infractiorem & delicatiorem, modulatumq; greſſum relinque.*

15tò: Qualis ſeſſio? Hugo Vict. de inſt. Novit. c. 12. jubet ſedere *ſinè divaricatione cruriũ, ſinè alterutra ſuperjectione pedum, ſinè extenſione vel agitatione tibiarum, ſinè alterutra accubatione laterum.*

16tò: Quàm cautè concedis cubitum? *nè tale aliquid inevitabilis ille oculus deprehendat, quod ab humanis aſpectibus velis eſſe celatum:* inquit Chæremon Abbas apud Caſſianum Coll. 12. c. 8. Proinde:

17mò: Dum te veſtibûs exuis, habeſne reverentiam tui ipſius; ùt monet Seneca epiſt. 11.

18vò: Quomodo decumbis? P. Balth. Alvarez dicebat: *Valde attendendum eſſe circa modum jacendi in lecto; ut ſemper compoſitio religioſa ſit & honeſta.* S. Bonaventura vetat pedes cancellare; S. Bernardus divaricare, attollere, inflectere inſtar trianguli: P. Lancicius, ſupinum jacere.

De-

Deniq; ùt monet Valerianum S. Eucherius: *In secretis tuis, quod velis homines nescire, nè feceris; quod DEUM, nè cogitaveris.*

19nò: An te decenter contegis? S. Dorotheus Serm. 20. ait: *Vehementer licèt æstues & caleas; noli tamen aliquod membrorum tuorum denudare.* B. Clara de monte Falco, totâ deflebat vitâ, quòd sæcularis & dormiens, à B. Joanna sorore, inventa sit, extremum nudâsse pedem; ùt refert Pergilius, Vit. 1. p. c. 7.

20mò: An fugis pericula virtutis hujus? Job, maluit inire fœdus cum oculis, quàm periculosè decertare; quòd ipsam occasionem pugnæ horruerit. S. Hieron. epist. 47. Quid tibi necesse habes, quotidie aut perire aut vincere? quis unquā juxt viperā securos somnos capit, quæ etsi non percutiat, certè sollicitat? securiùs est perire non posse; quàm juxta periculum non periisse.

21mò: An sollicitè fugis? Psal. 59. *A facie arcûs fugiendum est*; hoc est, ùt explicat Mendoza in l. 1. Reg. c. 4. *A primo tentationum aspectu.* Ista fuga est, quæ habet salutem; ista fuga virtutis est; ista fuga beatudinē confert; inquit Origines hom. 8.

22dò: An fugis delicias, velut hostes castitatis? Non fide tibi; præstat à deliciis exulare, quàm delicias superare. Audi Hieron L. 2. contra Jovin. *Si quis existimat, posse se versari in*

rè in deliciis, & deliciarum vitiis non teneri; se ipsum decipit.

23tiò: An non molli nimis uteris vestitu? Talem Augustus appellabat nidum luxuriæ, teste Macrobio: & Deus minatur Sophon. 1. *Visitabo super omnes, qui induti sunt veste peregrinâ.* Mollis nimiùm vestis, an non peregrina vestis est in Religione? Væ si domestica!

24tò: An lectus non mollis? Hunc ethnici Philosophi luxuriæ thalamum vocabant. Cant. 2. Christi Sponsa non invenit Sponsum in lectulo suo, quòd *floridus* fuerit, seu mollis.

25tò: An fugis otium, utì scholam luxuriæ? *Multam malitiam docuit otiositas;* Eccli. 33. S. Antonio dixit Deus: Quamdiu David exercuit se in militia, non insultavit illi luxuria: sed postquam otiosus in domo remansit, laboravit adulteriô.

LECTIO SECUNDA
De Mansvetudine.

I. Juxta S. Aug. l. 1. de serm. Dom. in mon: c. 3. Mites sunt, qui cedunt improbitatibus, & non resistunt malo. Juxta S. Thom. 2. 2. q. 157.: *Mansvetudo est virtus moderativa iræ.* Utraque explicatio conformis Aristoteli 4. Eth. c. 4. *Mansvetus ille est, qui perturbatione vacat, & ab affectu minimè ducitur: sed quemadmodum ratio ipsa*

statu-

ſtatuerit, ità & ob id, & tamdiu ſuccenſet. Hanc virtutem S. Baſil. in Pſal. 33.c.14. vocat *omnium virtutum maximam.*

II. Triplex autem eſt, ſecundùm triplicem injuriam, quam perfert; ſcilicet in bonis famæ, fortunæ, corporis. Fundatur hæc diviſio in oraculo S. Bern. ſerm. 2. in Convers. S. Pauli: *Triplici velut ariete manſvetudo pulſatur, verborũ injuriis, damnis rerum, corporis læſione. In his tribus omnis exhibitio patientiæ, omne exercitium manſvetudinis. Probata eſt illa virtus, quam nihil horum videtur concutere potuiſſe.*

III. Gradus Manſvetudinis quinque numerantur ab Aſcetis. *1mus* eſt Manſveto corde, & ore converſari. *2dus*: Iras aliorum manſvetô reſponsô frangere. *3tius*: Ità manſvetè tolerare injurias, ac ſi non ſentirentur. *4tus*: In iis exultare. *5tus*: Manſvetudine delinire hoſtes, & in amicos convertere.

IV. Proprietates huic virtuti tribuit iſtas Clim.gr.24. Manſvetudo eſt immutabilis animi ſtatus, qui in omni fortuna honorũ & contumeliarũ æqualẽ animi habitũ conſervat. Manſvetudo eſt, pro aliis te turbantibꝰ ſinè perturbatione, ſincerè, & ex animo precari. Manſvetudo eſt prominens adversùs irã maris rupes, quæ omnes illiſos fluctꝰ diſſolvit, ac frangit; nec ipſa interim movetur, aut frãgitur. Manſvetudo eſt ſtabilimentũ patiẽtiæ, charitatis janua, imò verò parens;

parens; prudentiæ argumentum; *docebit* enim *Dominus mites vias suas*; procuratrix veniæ, peccatorum fiducia in precibus, Spiritûs S. Domicilium: *Super quos enim respiciam, nisi super mansvetum & quietum?* Isa. 66. Hactenus S. Climacus.

Ex hoc Prophetæ loco S. Ambr. in Psal. 30. docet: Mansvetos esse templum, in quo Christus, verus Salomon, pax nostra inhabitat. Ex eodem loco S. Greg. l. 5. moral. c. 30. infert: *Si ergo ira quietem mentis subtrahit; suam S. Spiritui habitationem claudit.*

V. Vide jam eximios ejus effectus: *imò:* facit hominem pergratum Deo. Declarat hoc exemplô Mosis S. Dionys. ep. 8. ad Demophilum: Hebræorum, inquit, tradit historia, Mosen eximiæ mansvetudinis meritô, divinâ amicitiâ & familiaritate dignatum: ac si quando ipsum Divino aspectu excidisse, commemorat; non id ei, priusquam à mansvetudine defecerit, contigisse describit.

2dò: Facit gratum hominibus: S. Chrysost. hom. de mansvet. ait: Mansvetus gratus & amabilis est videntibus, gratus est etiam illis, quibus solo nomine notus est. Neque facilè ullum invenies, qui audiens laudari hominem mansvetum, illum videre, & exosculari non desideret: & non habeat in aliqua lucri sui parte, ejus amicitiâ posse perfrui. Hoc

S ipsum

ipsum spondet Spiritus S. Eccl. 3. *Fili in mansvetudine opera tua perfice, & super gloriam hominum diligeris.*

3tiò: Hinc emanat alius egregius effectus comitatis, quòd corda furiis agitata cõponat, & placet. Effatum est S. Spiritûs Eccli. 14. v. 30. juxta versionẽ 70. *Mansvetus vir cordis est medicus.* De quo Chrysost. hom. 6. in act. Apost: Non ità statim medicus febricitantem hominem à febribus liberavit sua curatione; ùt longanimis vir alium iracundum, & præ ira flagrantem apprehensum refrigeravit, per spiritum propriorum sermonũ. Et hom. 58. in Gen: *Nihil mansvetudine est violentiùs: nam sicut rogum, cùm valde accenditur, aqua injecta restinguit: sic & animum, camirò magis exardescentem, verbum cum mansvetudine prolatum, extinguit.* Plùs asserit Bern. *Quietum aspicere, quiescere est.*

4tò: Comitas facit prædestinari ad vitã æternã; quia ex decreto Christi Matth. 5. Beati mites, quoniã ipsi possidebunt terrã; nimirũ terræ viventiũ. Nam virtus hæc facit sanctos, & electos DEI: sic de Moyse affirmat S. Spiritus *In fide, & lenitate ipsius sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne:* hoc est, ùt alii legunt *Ex omnibus hominibus.* Et quidni sanctos faciat quæ, teste Cassiano, *non solùm iram, ac vindictam, sed & omnia vitia vincit, & excludit, & inserit virtutes?* Eundem effectum illi tribuit

Mar-

Marcus Antoninus Imp., Conjugem Faustinā alloquens de hac virtute: *Hæc Cæsarem Deum fecit, hæc Augustum consecravit, hæc Patrem tuum Pii nomine ornavit.*

5tò: Mansvetudo non solùm ad vitam prædestinat æternam, sed etiam temporalem protrahit. Quia sicut Eccli. 30. Zelus & iracundia *minuunt*, ità comitas conservat *dies*. Zelus enim & iracundia inducunt tumultus, & anxietates animi, quæ vitam perimunt; malū autem hoc avertit animi tranquillitas, ac malacia. Jam verò judiciô S. Chrysost. hom. 34. in Gen. *Mansvetudo animam nostram in perpetua tranquillitate, & quasi in portu constituit, & omnis recreationis ac quietis nobis occasio est.* Quid beatius, quàm intestinô liberari bellô? Quàmvis plurimâ pace externâ perfruamur, si intra nos irarum nascitur tempestas, tumultus, & seditio; nihil externa pax proderit. Igitur ab antiquis inter proverbia rectè relatum illud: *Animalia, quæ carent bile & felle, sunt longæva.*

6tò: Mansvetudo facit aptos ad sapientiam & obtinenda dona cælestia, juxta illud Psal. 24. *Diriget mansvetos in judicio, docebit mites vias suas.*

Ab his insuper effectibus commendat perfectionem istam Climacus: Mansvetudo est adjutrix obedientiæ, dux religiosæ societatis, furentiū frænū, irascentiū excultrix, magistra gaudii, imitatrix Christi, Cælitum proprietas,

 vin-

vinculum, & nodus dæmonum, scutum] adversùs amaritudinem animi. In cordibus mansvetorum requiescet Dominus, anima autem turbulenta nidus est diaboli.

VI. Ex hactenus dictis liquidò cõstat, quanta sit præstantia, quanta utilitas, quanta necessitas virtutis hujus. Id verò magis perspicuè constabit, si conferas dotes illius cum effectibus oppositi vitii: ut *imò:* quòd iratus sit domus diaboli, prout inquit Nazianz. & Clim. *2dò:* quòd juxta Basil. sit pejor energumeno. *3tiò:* quòd sit insanus: nam, ait Philæmon: *Insanimus omnes, cùm irascimur.* Cato senior dixit: *iratum ab insano non distingui, nisì morâ; irã enim esse brevem insaniam.* *4tò:* quòd sit bellua; ùt sentit Seneca l. 3. de ira c. 29. & Aristoteles apud Stobæum Serm. 20. *5tò:* Ex mente S. Laurentii Justiniani, antiqui hostis in se immissiones admittit, diaboli ministerium operatur, dirumpit pacem, rixas concitat, parit odium, furorem nutrit, denigrat honestatem, sapientiam perdit, rationem confundit, oculum mentis obnubilat, gratiæ lumen repellit, fraternam dilectionem frangit, & ipsam cælestem in se occidit charitatem. S. Basilius irã vocat animæ morbum, rationis tenebras, à Deo alienationem, oblivionem familiaritatis, principium bellorum; plenitudinem calamitatum, dæmonem pessimum, nostris animis innatum,

inco-

incolam impudentem. Arist. apud stobæum: Ira est perturbatio ferina, cædium causa, calamitatis socia, iacturæ dedecorisque conciliatrix, pecuniarum pernicies, & perditionis origo.

VII. *Media ad mansvetudinem: 1mum;* Meditari mansvetudinem & Passionem Christi. Elzearius Comes Arriani his armis injurias omnes superabat. *2dum* dat Seneca: Citra superbiam, *animô sis excelsiore; quàm ut eum aspera quæcunque deprimant.* Unde ajebat: Princeps superior est omnî injuriâ. Quocirca Augustus Imperator obtrectantium sibi linguas spernebat dicens: *In libera civitate liberas oportet esse linguas.*

3tium: quòd Anthenodorus eidem Augusto dederat, teste Clemente Alexandr. l. 5. strō: *Iratus nihil dicas, vel facias; priusquam viginti quatuor Græcorum literas percurreris.* Plato iratus servo, abstinuit ab eo puniendo; sed Xenocrati dixit: Flagella hunc puerū, nā ego non possum; cùm sim ei iratus. Et alterū servum sic increpuit: *Gratias age Diis; nam nisì iratus essem, lorîs te cæderem. 4tum* Cassianus offert: *Ut primitus* inquit, *nobis persvadeamus; nullô modô sive ex justis, sive ex injustis causis licere irasci.*

5tum: Cogitare, quòd iratus homo, nulli magis noceat, quàm sibimet. Pulchrè S. Ephrē: *Qui memoriam injuriarum abscondit in corde suo,*

 similis

similis est ei, qui in suo sinu serpentem nutrit; utrique sibi magis, quàm aliis nociturum. *6tum:* Cogitare indignitatem iræ.

7mum: Cogitare vilitatem rei, quæ iram accendit. Nam minima quandoque graviter irritant bilem. Rectè Seneca l. 3. de ira c. 10. Ut ulcera ad levem tactum, deinde etiam ad suspicionem tactûs condolescunt; ità animus affectus minimis offenditur: adeo, ut epistola, salutatio, oratio, & interrogatio ad litem evocet. Et Cap. 29. Quod accidere vides in animalibus mutis, idem in homine deprehendes: frivolis turbamur, & inanibus. Taurũ color rubicundus excitat, ad umbram aspis exsurgit, ursos, leonesque mappa proritat. Omnia, quæ naturâ fera & rabida sunt, consternantur ad vana. Idem inquietis, & stolidis ingeniis evenit: rerum suspicione feriuntur, adeò, ut injurias vocent, modica beneficia.

8vum: Plutarchus irato svadet, ut se, suosque mores in speculo contempletur. Videbit se, qualem ex S. Gregorio depingit S. Thomas 1. 2. q. 48. art. 3. & Seneca l. 1. de ira: Sicut furentium, inquit, ità irascentium flagrant & micant oculi; multus in ore toto rubor, æstuante ab imis præcordiis sanguine; labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus, ac stridens, articulorum seipsos torquentium sonus, gemi-

tus

us, mugitusque, & parum explanatis vocibus sermo abruptus, & complosæ sæpius manus, & pulsata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnasque iræ minas agens, fæda visu & horrenda facies.

gnum medium est: vera humilitas. Nam S. Bern. docet, quòd, sicut mater præsumptionis est elatio; *sic mansvetudo vera, ex vera humilitate procedit. tomum:* vera paupertas; quia Chromaciô judice: *Homo non poterit esse mitis, nisi priùs fuerit pauper spiritu. Non fit mare tranquillum, nisi cessaverint venti: non extinguitur ignis, nisi materiam incendii, spinarumque sarmenta detraxeris. Sic nec animus erit mitis, nisi quæ exsuscitant & inflammant, fuerint abdicata.* Hactenus ille.

VIII. *1imum:* Exempla considerare mititatis: ùt est S. Pii 5ti, qui læsorem suæ famæ, fassum culpam, sic allocutus: *Utique non contra Pontificem scripsisti, sed contra Michaëlem Gislerium:* & sic solùm admonitum impunem dimisit. Item, quod Ruffinus Præf. in Vit. Anachoret. scribit: *Sunt ornati moribus, quieti, lenes, tranquilli, & charitatis vinculô, velut quadam germanitate constricti.* Tandem exemplum Philippi 2di Hispaniæ Regis, qui, cùm literas ejus ad Pontificem profunda nocte scriptas, aulicus perfuderit atramentô, sereno vultu jussit mundam offerri sibi chartam, ut aliam exararet epistolam.

Omni-

Omnibus quidem ratione præditis, incumbit virtutis hujus amor; sed maximè salutis alienæ studiosis. Inanis ille labor, & sterilis Zelus, quem blanda non fæcundat lenitas. Audiatur Hieron: Nihil est fædius præceptore furioso. qui, cùm debeat esse mansvetus, & humilis ad omnes; ex adverso torvo vultu, rugata fronte, trementibus labiis, effrænatis superciliis, facie inter pallorem & ruborem variata, clamorem perstrepitat, & errantes, non tam à malo retrahit, quàm ad malum suâ sævitiâ præcipitat. Hanc de comitate regulam omni Zelotæ S. Ambros. præscripsit l. 1. off. c. 22. Disceptatio sinè ira, svavitas sinè amaritudine sit; monitio sinè asperitate, hortatio sinè offensa.

MEDITATIO III.

De negligentibus militiam Christi.

I. *Punctum 1:* 1ma classis illorum est, qui vocati noluerunt adlegi vexillo Christi. Audiant illi Deum Isa. 66. *Quæ timebant, adducam eis; quia locutus sum, & non audiêrunt: elegerunt, quæ nolui.* Timebant abjecti esse in domo Dei? adducit eis vilipensionem, contemptum, infamiam in tabernaculis peccatorum. *Qui relinquunt iter rectum, infames gressus eorũ. Prov. 2.* Timebant beatam Christi pauperiē?

faci-

facies eorum præcedet egeſtas: quia deciſum *Lev. 26. Si non audieritis me, viſitabo vos velociter in egeſtate.* Timebant cum Dilecto Jeſu paſci inter Lilia puritatis? dabit eis *panem arctum & aquam brevem*; hoc eſt, juxta Hebr. & 70 *panem tribulationis, & aquam anguſtiæ:* afflictiones, morbos, mortem immaturam & improviſam. Timebant jugum Chriſti ſvave? *ponit ſuper cervicem eorum jugum ferreum, quia non audiêrunt vocem Domini. Deut. 28.* Timebant in religione, quaſi in terra deſerta, abſcondi talenta ſua? recipit illa Deus, tanquam à ſervis nequam. *Evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Rom. 1.* Utiq; herus, à famulo pecuniam recipit, quam non expendit juxta ejus velle. Sed talium vita proſperatur? Reſpondeo imprimis: raró nimis proſperatur. Reſpondet 2dò S. Aug. *Sæpe Deus concedit iratus, quod non conferret placatus:* Recipiunt hic mercedem ſuam; ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto deſcendunt ad infernum. *Qui à Deo avertitur, & proſperatur; tantò perditioni ſit proximus, quantò à Zelo diſciplinæ invenitur alienus.* dicit S. Gregor. Taceo vermem conſcientiæ, qui nunquam morietur, & ſemper cruciat; quòd *elegerunt ea, quæ Deus noluit*; nempe ſtatum alium ab eo, in quo eos salvare decrevit. Audiant illi 2dò Deum Jerem 7. *Vocavi & non reſpon-*

respondistis mihi; ideo projiciam vos à facie meâ. Projectus Saul, 1. Regum 15. quia projecit Sermonem Domini. Psal. 80. *Non audivit populus vocem meam & Israël non intendit mihi; & dimisi eos secundùm desideria Cordis eorum.* Luc. 14. Nemo virorum illorum gustabit cœnam Dei, qui vocati, venire noluerunt. Ideo, teste S. Antonio, cuidam talium morienti apparens Christus dixit: *Vocavi, & renuisti; ideo vade ad pœnas inferni.* Deus enim cuivis ad salutem certa determinavit media, v. g. certum statū; quem qui negligit, non habet aliud medium salutis. Sicut, si quis illam, quæ unica est ad terminum, viam relinquat; nullatenus ad terminum perveniet.

II. *Punctum 2.* Secunda classis est eorum, qui religiosum amplexi statum, ab eo deficiunt petulanter. Horum longè infelicior sors, quàm priorum. Audiant Christum Math. 11. *Tyro & Sidoni remissius erit, quàm vobis.* 1mò: quia gravius punitur, qui castra deseruit; quàm qui iis non fuit auctoratus. 2dò: quia ex decreto Christi; *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei:* quātò minùs aptus est ille, qui aratrum deseruit. 3tiò: quia isti venerunt ad cænam, gustaverunt donum cæleste, gustaverunt ubertatem domûs Dei; ibi illuminati viderunt, quàm amara vita, horrenda mors, periculosa salus in sæculo: tamen

tamen ex cænaculo fugiunt cum Juda; seu ex portu mittunt se in mare, ex summo calore prodeũt ad summum frigus; quare periculosius frigescunt, & ordinariè fiunt pessimi homines. *4tò:* Immo perpetuò peccato sunt subjecti, quia fregerunt fidem Christo datã; liberè vota violant, quibûs reipsa ligati manẽt; quia injustè dimissionem extorserunt. *5tò:* Jacobi 4to: Ille, qui est extra syllabum specialium amicorum Dei, & *vult esse amicus hujus sæculi; inimicus constituitur Dei.* Quantò magis ille, qui fuit specialiter amicus Dei, talemq; se futurũ vovit? *6tò:* istis perfidis incumbit onus, resarciendi religioni, tum famam læsam per suam desertionem, tum sumptum, laborem, & curam in eos impensam. *7mò:* S. Anselmo ostensus est mundus, tanquam fluvius volvens sordes, quibûs se homines ingurgitant. Juxta S. S. P. P. hunc fluvium religiosi superant ponte, clerici navigiô, sæculares natatu. O quanta stultitia, è ponte securo præcipitare se in hunc fluviũ! dignine tales misericordiâ? Isti plerumq; petunt restitui religioni; sed justô Dei judiciô, hac gratiâ privantur. O insensati Galatæ, quis vos fascinavit? quid profuit deserere statum, quem rursus expeti est necesse, dum obtineri non potest? Concludit Deus Isa. 30. *Væ filii desertores, qui ambulatis, ut descendatis in Ægyptum.* S. Bernardus de modo bene

vivenṡ

vivendi: *Qui congregationem sanctam relinquunt, & ad sacularem vitam descendunt; à societate Dei elongantur; atque dominio diaboli subjugantur.*

III. *Punctum 3.* 3tia classis eorum, qui in religione non religiosè vivunt. Audiant illi Deum minantē vineæ, quòd pro uvis labruscas tulit Isa. 5. *Nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ; 1mò: Diruā maceriā ejus, & erit in conculcationem.* Maceria, seu septum Religiosi, sunt vota, regulæ, meditatio, examen, lectio libri spiritualis. Hæc si ruant, erit religiosus in conculcationem, seu contemptum Superioribus, æqualibus, inferioribus, externis, Deo, Sanctis & dæmonibus. *Qui contemnunt me, erūt ignobiles 1. Reg. 2. 2dò: Et ponam eam in desertum:* Talem religiosum deserit Deus, tanquam Babilonem nolentem sanari; seu ùt ait Paulus: dat in reprobum sensum. sic medicus deserit ægrum, cui medicinæ non prosunt. *3tiò: Non putabitur:* hoc est, juxta Cornelium à Lap. *Deus non resecabit luxuriantem malitiam ejus, non tanget Cor, non excolet; sed sinet illud vepribus peccatorum oppleri. 4tò: Non fodietur:* juxta S. Ambrosium, non fodit Deus vineam, quando eam non exonerat terrenarum curarum mole. *5tò: Et ascendent vepres & spinæ*, id est enormia peccata & vitia. *6tò: Et nubibus mandabo, nè pluant super eā imbrem;* scilicet gratiarū efficacium,

um. Inducitur autem pæna hæc interdum ob leves culpas, ùt docent SS. Cyprianus, Bern. ac alii.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo, quia traaſtuliſti me, de mari in portum, è diluvio, in Arcam, è terra deſerta & invia & inaquoſa, in paradiſum voluptatis. Sed & hìc quoties ſerpenti conſenſi! quoties legem tuam violavi: quoties in terra Sanctorum iniqua geſſi! vidiſti, tacuiſti, tolerâſti, non expuliſti! Miſericordias Domini in æternum cantabo. Qui vocâſti me, da, ut dignè ambulem vocatione meâ; ego propono.

Teſſera: *In terra ſanctorũ iniqua geſſit; non videbit gloriã Dei Iſa.* 26. Super quod Cornelius à Lap. *Hæc ſibi adaptent, qui in S. Societate, aut religione, diſſolutè vivant: gravis enim in illos incumbet judicii cenſura.*

DIEI OCTAVÆ MEDITATIO I.

De perfectione operũ ordinariorũ

I. *Punctum 1mum.* Audiam Spiritum S. *Non invenio opera tua plena coram Deo Apoc.* 3. Opera non plena coram Deo, ſunt *1mò*: juxta Aretã, quæ videntur bona, ſed non ſunt: ſicut ficus Luc: 13. florida; ſed ſterilis. *2dò*: Juxta quoſdam: *non unita meritis Chriſti.* *3tiò*: Juxta

Am-

Ambros: *facta in peccato gravi.* *4tò:* Juxta Joachim: *opera non completa per perseverantiam*; quæ est virtus omnis boni operis, ut ait S. Gregor. hom. 25. in Evang. *5tò:* Juxta quosdam, sunt opera *in se bona, sed contaminata malis aliis operibus.* *6tò:* Juxta Haymo, Opera facta *ex intentione non recta.* *7mò:* Juxta Dyonys. Carthus: Opera sancta, sed *tepida, & remissa*; de his Cyprianus: *Non est sanctum, quod geritur sanctum; nisi quod sanctum est, sanctè peragatur.* *8vò:* Juxta. V. Bedam: Opera *non extensa in spirituale bonum aliorum.* Et talium hìc operum arguitur Episcopus Sardensis. *9nò*; Opera bona, sed *pauca*; contra quàm hortatur Paulus Gal. 6. *Bonum facientes, non deficiamus.* Videbo, an hæc venena non inficiant actiones meas.

II. *Punctum 2dum:* Audiam Ecclum c. 35. *Noli offerre munera prava; non enim suscipiet illa.* Alii legunt: *munera adempta, seu quibus aliquid deest*, non integra, vitiosa, manca, corrupta. Opus integrum libenter suscipit Deus; opus vitiosum rejicit. Opus integrum meretur gratiam & gloriam coram Deo: Opus corruptum meretur pænas, & opprobrium. *Quæ seminaverit homo, hæc & metet Gal. 6.* Opus integrum ædificat proximum; opus corruptum parit scandala. Opus integrum facit nos æstimari: Opus vitiosum pessimam de nobis opinionem gene-

rat. Tales enim esse putamur intus, quales in operando videmur exteriùs. Opus integrum discriminat nos à sæcularibus: Opus corruptum deprimit nos infra seculares. Opus integrum inducit menti collectionem, pacem, gaudium, habitum operandi fructuosè: Opus corruptum inducit remorsus, turbas, molestias, habitum operandi sinè fructu, & cum peccato: & sic est *peccans peccatum*. Opus integrum est efficax ad perfectionem medium; ùt nostris inculcari volebat P. Natalis: Opus mācum obstruit ad perfectionem viam. Operi bono assistunt Angeli; ùt docet, & expertus in se suisq; S. Bernard. Chronic. Cistertien. Operi vitioso assistunt diaboli; ùt constat ex Rosveido.

III. *Punctum 3tium.* Media ad reformandas actiones. *1mum* offert S. Thomas 2. 2. q. 31. a. 8. nempe intentionem eis præfigere, ac subinde renovare. *2dum* suggerunt cum P. Alvarez Ascetæ; nimirū: invocare divinā opem. *3tium*: Cogitare, quòd in præsentia Dei operamur. Seneca Ep. 25. Luciliū monet: *Sic vivere, tanquam sub alicujus boni viri, ac semper præsentis, oculis.* *4tum*: Tam in initio, quàm in progressu operis, omnes adhibere vires; ut perfectè fiat. P. Franciscus Perez Godoij Culinæ vasa solicitè mundabat; quia dicebat: soleo Deiparæ præsentare omnia diurna opera; pu-

deres

deret autem me graviter, aliquid ejus conſpectui offerre, non uſquequaque nitidum. Nadaſi in Annal. Marian, 5tum: Sic agere ſingula, quaſi nîl reſtaret aliud agendum. Magiſter Avila monet: quando mentem rei alicujus cura importuno tempore occupârit, dicito: Nihil tale mihi nunc Dominus meus imperat; ac propterea de eo cogitare opus non habeo. 6tum S. Bernardus: *In omni opere tuo dicito: Si modò moriturus eſſem; quomodo facerem?* 7mum Pythagoras: perſvadere ſibi, quòd, ſi per aliquod tempus vincatur in operando ſtrenuè moleſtia; non ſentietur poſtea. Unde ſic ait hìc Philoſophus: *Nolite curare, quòd hæc diſciplina laborioſa, ſalebroſa, difficilis initiô appareat; poſtea namque conſvetudine & uſu ipſo, facillima & ſvaviſſima fiet.* Reliqua media affert P. Drużbicki: ſcilicet, 8vum In idæam agendi ſtatuere ſibi ſanctos, & perfectos. 9num: Omnia ſuo tempore agere. 10mum: Cogitare, propter quem agimus. S. Pater graviter reprehendit fratrem, quòd negligenter ageret id, quod propter Deum ſe dixit agere. 11mum: ſenſus, & maximè linguam, in omni opere coërcere; mentemq; piis actibus occupare. 12mum: Cogitare, quòd hoc opus ſit ultimum in vita; quòd annexa ſit ei gratia finalis; quòd ab illo pendet æternitas. 13. Omnia ſic agere: quomodo agenda ſvaderemus aliis.

Heu,

Heu! non me pudet, hactenus in operibus alsisse? quantum hinc damnum gloriæ Dei! quantum animæ meæ! quantum proximi, exẽplô meô depravati! Anima mea, monet Thomas Kemp. lib. 1. imit. c. 25. *Si incipis tepescere, incipies malè habere! si autem dederis te ad fervorem, invenies magnam pacem, & senties leviorem laborem, propter Dei gratiam, & virtutis amorem.* Proinde incipe jam Deum lætificare, Dæmonem terrere, te perficere per opera exacta: defle negligentias, propone, pete gratiã.

LECTIO PRIMA

De mortificatione externa.

I. *Duo sunt*, inquit Augustinus, serm. 20. de SS. *crucis genera; unum corporale, aliud spirituale.* Sequens lectio aget de spirituali, hæc de corporali. S. Chrysostomus hom. 55. in Matth. censet, quòd Christus hîs verbîs: *Qui vult post me venire; abneget semetipsum, & tollat crucem suam;* velit, nullô pactô nos corpori nostro parcere: ut neq; si cæditur, neq; si pellitur, neq; si uritur, neq; si quid aliud hujusmodi patitur; ei parcamus. Alii tamen cum S. Thoma mitiùs istud Christi dictum accipiunt. Unde S. Pater noster, p. 1. Const. c. 2. macerari quidem corpus exigit, sed moderatè. Nam Spiritus S. Eccli. 33. jubet asinum casti-

gari, ſed virgâ, non fulte: jubet onere premi, ſed non opprimi; nec ei cibaria negari.

II. Myſtycè per aſinum corpus intelligunt interpretes: & S, Franciſcus Seraph. vocabat illud *fratrem aſinum*, tractabat, ùt aſinum. Eſt quoq; celebre, quod in vitis Patrum quidam ſenex dicebat: *Ego & aſinus pares ſumus; paleæ mihi debentur & verbera.* Item S. Bernardus ſerm. 1. de palmis, Religioſum appellat, aſinã, quæ Chriſtum portabat. B. Jacoponus ingeniô, genere, ac officiô nobilis, perculſus morte ſponſæ, ſub nuptiis ruinâ tabulati oppreſſæ, poſtulans habitum S. Franciſci, audîit: *Si inter nos vivere vis; aſinus fias, oportet; & quaſi aſinus inter aſinos degas.* Ergo indutus aſini pelle, manibûs & pedibûs repens, *En*, inquit, *Fratres, aſinus ſum; aſinum inter aſinos admittite.* Admiſſus magnâ ſanctitate claruit. Itaq; meritò Spiritus S. corpus appellat aſinum.

III. Hic aſinus, ſi foveatur ſvaviter; recalcitrat petulanter: ſi nimis affligatur, deficit: nec, ùt par eſt, animæ ſervire valet ad profectum in via DEI: ut proinde cogatur ſubſiſtere, donec jumentum hoc reſumat vires: cogatur deſerere mortificationes, opera ſpiritualia, diſciplinam regularem; ac tandem in ſenſualē relabi vitam cum illis, qui apud Paulum, cùm ſpiritu cæperint, carne conſummantur. Hinc verò quantum damnum gloriæ DEI, quanta

ruina

ruina perfectionis, quanta jactura temporis ad proficiendum concessi, quantũ salutis periculum, quantum aliorum scandalum defluentium ad similem remissè vivendi normã, quanta dæmonum exultatio!

Nazianzenus Orat. 16. ità de suo discurrit corpore: Quod, inquit, & uti conservum amo, & veluti inimicum odi, & aversor. Quod & uti vinculum fugio, & ut cohærens vereor. Si debilitare illud, & conficere studeo; jam non habeo, quo socio & opitulatore, ad res præclarissimas utar. Sin contra, ut cum socio & adjutore mitiùs agam; nulla jam ratio occurrit, quâ rebellantis impetum fugiam; atq; à DEO non excidam, compedibûs degravatus, vel in terram detrahentibûs, vel in ea detinẽtibûs. Itaq; cùm juxta hunc S. Doctorem, corpus sit hostis noster, & simul amicus, socius, opitulator; juxta Gregorium magnum, hostis noster & simul civis: sic est persequẽdus hostis; ut non perimatur amicus, civis, socius.

IV. Quia tamen citati Nazianzeni judiciô, est amicus insidiosus; ac re ipsâ blandus & placidus hostis; item judiciô Laurent. Just. *plerumq; dum ei, quasi concivi compatimur; ad prælium hostem nutrimus*; judiciô P. Lessii: *Hosti nequissimo conceditur: quidquid indulgetur corpori:* ut scribit Cordara hist. p. 6. idcircò durè potiùs habendus, quàm molliter. Nam.

V. *imò:* Eſt rapidus nimis fluvius; cui, ſi vel tenuem rimam conceſſeris in aggere; totum franget, nec impetum eius poteris cohibere. Eſt equꝰ ſternax,indomitꝰ,& ferox;cui ſi paulùm indulgeas,habenas rũpet,& excutiet ſeſſorem. Eſt ſervus animæ: porro Prov. 29. *Qui delicatè nutrit ſervum ſuum, poſtea ſentiet eum contumacem.* Septuaginta legunt: *Qui deliciatur puero, famulus erit; noviſſimè autem dolebit ſuper ſe. Iſaia 63.* Quia Deus, Iſràél *puerum ſuum in indulgentia ſua redemit, & portavit, & elevavit:* Impletum eſt vaticinium moyſis Deuter. 22. Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitravit; incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit DEUM factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo. Sapienter docet Plato Dialog. 6. de leg. Multi ſtultè facientes, dum delicatiùs ſervos nutriunt; difficiliorem viam, & ſibi ad imperandum, & illis ad obediendum reddunt.

Ex his liquet, quòd, ubi anima deſinit adigere corpus, ut ſibi ſerviat; ibi ſervire incipiat corpori, virtutem negligere. Rectè dicebat Seneca: *Magna corporis cura, magna eſt virtutis incuria.* Ipſe,dũ blanditiis corporis impetebatur,hoc ſe tuebatur Clipeô: *Ad majora natꝰ ſum, quàm, ut me corporis mei mancipium efficiam.*

VI. *2dò:* Compoſiti ſumus ex mutuò perpetuoq; ſecum luctantibus; *caro enim concupiſcit adverſùs ſpiritum, & ſpiritus adverſùs carnem.* In

hac

hac lucta, quid dignius? quid utilius? quid æquius; nobiliori meliori, rationali, Superiori, dominæ parti, opem ferre; an ignobili, rebelli, mancipio, hosti nostro?

3tiò Nunquid Christus otiosè, nunquid jocô monet Matth. 10. *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me; non est me dignus?* Per crucem hôc locô Greg. Hil. Chrysost. Bed. Euthym. & alii intelligunt mortificationem. Et Gloss.: *Crux duobus modis portatur, vel cùm per abstinentiam corpus afficitur; vel cùm per compassionem proximi, animus affligitur.* Qui ergo crucem suam seu mortificationem, non portat; non est Christô dignus.

Non est dignus Christo, seu nomine Christiani; quia, *qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt.* Gal. 5. Super quod Anselmus: Miles Christi non tantùm vitia & concupiscentias, sed ipsam carnem corruptam, quasi fomitem concupiscentiarum castigat, & crucifigit per jejunia, cilicia, labores, & pænitentias.

Non est dignus Christô Magistrô, qui Luc. 14. ait: *Qui non bajulat crucem suam; non potest meus esse Discipulus.*

Non est dignus Christô Duce; quia fugit vexillum ejus, quod est crux: nec stigmata Christi portat in corpore suo; per quæ dignoscatur à non milite Christi: Non portat stigmata Christi; quia juxta Hieron. *Stigmata Christi*

in corpore suo portant, qui corpus macerant & affligunt amore Christi. Non dignoscitur à non milite Christi; quia juxta S. Basil. in Reg. fus. Reg. 17. Ut optimo corporis habitus, & coloris bonitas, pugilē à cæteris distinguit: Sic Christianum à cæteris secernit macilentia corporis, pallor deflorescens, qui continentiæ velut adjunctus est comes. *Indicio est enim, Christi mandatorum pugilem esse, qui in infirmitate corporis, adversarium suum in lucta prosternit.*

Non est dignus Christô Redemptore, qui pro nobis graviora passus, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Non est dignus Christo Conservatore; quia Ezech. 9. Illi tantùm conservantur, qui signum *Tau* seu crucem portant; ùt observat Augustinus.

Non est dignus Christô salvatore & glorificatore; quia Rom. 8. ista conditione conglorificabimur, si compatimur. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. act. 14. Ex quo Hieron. infert: *Si per multas tribulationes cælestis regni aditus aperitur; illis utiq; clauditur, qui nolunt sustinere vel paucas.* Quid tandem censes de iis, qui voluntarias, adeoq; leviores, non sustinent? Arcta via est, quæ ducit ad cælum, non nisi extenuatum capit corpus. Hâc ivit Christus, hâc omnes ire jussit & decrevit. Nullus ex adultis cælum rapuit, nisì violentus sibi. Unusne tu spe-

ciale privilegium accepisti, quòd non transiens per ignem & aquam mortificationis, educeris in refrigerium? Pulchrè S. Aug. in Psal. 93. inducit DEUM dicentem: *Venale habeo: quid, Domine? regnum cœlorum. Quo emitur? Regnum paupertate, dolorè gaudium, labore requies, vilitate gloria.* Tune præsumis illud alio mercari pretio?

VII. *atò:* Quia verus Monachus, sicut respirare sinè àére; ità sinè corporis afflictione vivere non potest; ùt ajebat Palæmon Abbas. Quid enim est monastica, quid religiosa, vita; nisì perpetua naturæ violentia? Hæc autem juxta Joannem Abb. in vit. PP. l. 6. libel. 1. n. 7. consistit *in renuntiando omni materiæ corporali, & his quæ secundùm carnem sunt; in cruciatu, in certamine, in humilitate spiritûs, in jejunio, in patientia, in fletu, in fame, & siti, in frigore & nuditate, in laboribus.*

Quòd ipsum inde patet; quia de ratione religiosi statûs est, ad perfectionem tendere. Ista verò tendentia, sunt *jejunia, vigiliæ, meditatio scripturarum, nuditas, ac privatio omnium facultatum;* ùt docet S. Thomas 2. 2. q. 188. a. 7. Non perficies terram; nisî sarculô scindas, vel aratrô; ità nec te ipsum. Immo mortificationis incurius, non solùm non perficitur; sed etiam labitur in innumera peccata; quia delicatè fovet causam, fontem, radicem pec-

ca-

catorum, & concupiſcentiarum; nempe carnem.

VIII. Igitur ubi pingueſcit caro, ibi marceſcit anima; ubi viget anima, marcet corpus. Baſilium audi: Cùm corpus bene habitum eſt, & multa carne gravatur; neceſse eſt, infirmam & imbecillem eſſe mentem ad proprias functiones. Contra cùm anima bene valet, & exercitatione rerum bonarum ad ſuam magnitudinem attollitur; conſequens eſt, *ut corporis habitus emarceſcat.* Sic emarcuerat in ipſo Baſilio; qui ſtudiô, jejuniîs, orationibûs attritus, nihil in corpore præter cutem & oſſa habere videbatur.

Adſtipulatur Paulus 2. Cor. 4. *Licet hic, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur; tamen is, qui intus eſt, renovatur.* Quod ſic exponunt Ambros. Anſel. Chryſoſt. Licèt corpus corrumpatur preſsuris, plagis, fame, nuditate; tamē anima proficit, & fulgidior, quaſi aurum ex igne, prodit. Idem exemplô docuit & verbô Barnabas Abbas apud Sophron: ſpinam infixam pedi noluit extrahi; putruit pes: mirantibus mortificationis genus inſolitum, dixit: *Quantò magìs homo exterior patitur, tantò magìs interior viget.*

IX. Cùm autem Religioſus continuò debet ad perfectionem progredi, continuò quoq; mortificationi ſtudeat, oportet; quamvis perfectus

fectus videatur. Perfecti decoris est rosa; nunquam tamen deponit spinas. Id S. Pater præscribit Exam. c. 4. §. 46. Majus ac impensius studium cujusq; sit, quærere in Domino majorem sui abnegationem, & continuam in rebus omnibus, quoad poterit, mortificationẽ. Sic Apostolus 2. Cor. 4. In omnibus tribulationem passus, *semper mortificationem JESU in corpore suo circumtulit.* Pullulant enim vitia, nisì crebrò succidatur eorum radix; nempe corpus.

Præclarè Bern. serm. 58. in Cant. Credite mihi, & putata repullulant, & fugata redeunt, & reacenduntur extincta, & sopita denuo excitantur. Parum est, semel putâsse; sæpe putandum est; imò si fieri potest, semper; quia semper, quòd putari oporteat, si non dissimulas, invenies. Quantùmlibet enim in hoc corpore manens, profeceris; erras, si vitia putas emortua, & non potius suppressa. Velis, nolis, infra fines tuos habitat Jebusæus; subjugari potest, sed non exterminari.

X. 5tò: Quia profitentes vitam activam expedit esse mortificatos carne. Ideo Paulus 1. Cor. 9. Castigat *corpus suum & in servitutem redigit; nè, cùm aliis prædicaverit, ipse reprobus efficiatur.* Super quod S. Ambrosius ad Eccl. Vercel: *Qui non castigant corpus suum, & volunt prædicare aliis; ipsi reprobi habentur.*

XI. Pleni sunt libri mortificationum, quæ magìs admirandæ, quàm exercendæ; ùt in vita P. Drużbicki c. 9. P. Roderici Deza in ann. dier. mem. Nadasi 15. Maji; P. Ludovici de Ponte, cujus plagas curabant Angeli, & aliorum plurimorum. Faciliores & communiter usitatæ Religiosis sunt: jejunare, parcô cibô, potuq; vesci, nec exquisito; abstinere à sapidiore; nunquam, nisì statis horis refici. Cilicii, flagellorum, catenulæ, genuflexionis, somni parci, lecti duri, usus creber. Ad primum ictum campanæ de lecto se proripere, literam imperfectam relinquere, ad finem recreationis verbum abrumpere, otium fugere, eligere viliora, ferre libenter molestias undecunq; venientes; ut ab officio, ab inclementia cæli, nimirum æstu, frigore, pluvia. Frænare visum, auditum, & maximè linguam; nam ùt inquit P. Drużbicki: *Mirum est, quantum silentiô devotô carnis petulantia frangitur, sicut garrulitate increscit.* Potiora suggeret amor Crucifixi.

XII. *Impedimentum mortificationis* imum est, *Gula*: nam Philip. 3. Quorum Deus venter est, inimici sunt Crucis Christi seu mortificationis. Gula est virtutum, consequenter & mortificationis, pestis. Audi Greg. *Muros Jerusalem Princeps coquorum* (Nabuzardan) *destruxit; quia virtutes animæ, dum non restringitur venter, perdit.* Palladius refert, quòd Isidorus

Ab-

Abbas lacrymabatur, quoties ad mensam eundum erat. Dagon, seu Deus frumenti, nequit cum arca stare; quæ non patitur, nisi *imò Legem Divinam*, quæ nos jubet per sui custodiam servire DEO. Porro *qui ventri deditus est, non potest servire Deo, sed sui ipsius ventris servus est, ideo abolebit eum Dominus*; dicit *Athanasius*, 2dò: non lautum cibum continet, sed modicum *de manna*. 3tio: Virgam Moysis, flagellum Ægypti, signum afflictionis.

XIII. 2dum impedimentum est amor proprius: de quo lectione de humilitate n. 6.

3tium ex priori fluens, *metus molestiæ*. At, si viator, nauta, miles, artifex, molestiâ viæ, navigationis, belli, laboris, deterreretur; quàm esset demens! Nec ad terræ, nec ad cæli bona, lacteâ pervenitur viâ.

4tum est debilitas corporis: At cur hostem debilitatum non atteris? ùt atterebant Greg. M. Basil. & alii, quantum svadebat prudentia. Itane defecisti, ut nec levem tibi molestiam inferre queas? Dum caro debilis est, eam castigari vetat debilitas; dum valet, non permittit ejus petulantia. Quando tandem castigabitur? Etiam cùm infirmaretur, tunc potens erat B. Theophanes Abb. qui teste Baronio ann. 816. dixit: *Ego qui per humum iter facere nequeo; valetudinis infirmitate superatâ, in ignem insileam.*

5tum impedimentum est, illud ex ethica carnis principiũ: *Concedendum aliquid naturæ.* At, quid hoc tuum *aliquid*, quod concedis naturæ? Nonne bonum sensuale? hoccine tuum *aliquid* concedebant sibi, Christus, Mater ejus, & sancti? Non prodest naturæ, quod nocet animæ.

XIV. *Medium ad hanc virtutem* omnium *1mũ* assignant cum Cassiano Patres, frænum gulæ; hæc enim, tanquam fons omnis illecebræ, debet primùm obstrui; quia hæc in omne nefas solvit corpus; animam & rationem illi subdit, ac mancipat; in eoq; tanquam in carcere, vinctam tenet. Unde Pythagoras teste Basil. vel Crates teste Max mor juvenem saginantem se, arguit: *Heus miser, non desinis continuò duriorem tibi carcerem præparare!*

2dum medium est: dilatis acrioribus, leviores primùm, sed constanter exercere corporis afflictiones; juxta doctrinam à Zenone datam Discipulo: Infimos priùs ascende gradus, ut pertingas ad summos. S. Ambr. l. 1. de Abrach. c. 4. *Si parvulum literis imbuas. à singulis literarum elementis inchoandum est tibi; ut à singulis apicibus ad syllabas, à syllabis eum per ordinem ad nomina, orationemq; perducas.* Sic & in studio mortificationis externæ.

3tium: Qui se se periculoso committit itineri, providet modos evadendi vel superandi

pericula: ità qui austeritatis init viam, adversùs obstacula se propositîs firmîs, oratione, meditationibûs, & lectionibûs piîs armet.

4tum: Quærat frequenter ex se ipso cum Antonio, Arsenio, Agathone: Ad quid huc, scilicet ad pænitentiæ statum, venisti? *cur sæculum reliquisti?* misisti manum tuam ad aratrum; cur retro respicis, ac te facis ineptum Regno Dei?

5tum: Stringat se votô, per septimanam usurpandi quasdam leviores afflictiones sui, quarum ubi comparaverit habitum; procedat ad graviores, & rursus ad perbreve tempus votum restauret. Hôc mediô S. Bernardus è maximis peccatis extraxit quendam ad acrem pænitentiam.

6tum: Crebrò cogitet exempla Christi, sanctorumq; varii statûs, conditionis, sexûs, ætatis; qui nobis præiverunt viâ crucis, seu mortificationis.

7mum: Cogitet, quòd momentaneum & leve voluntariæ tribulationis, æternum gloriæ pondus operatur in cælis. S. Franciscus dicebat: *Tanta est gloria, quam expecto; ut omnis pæna me delectet, omnis morbus, humiliatio omnis, persecutio omnis, mortificatio omnis.*

8vum: Fuga otii, & labor. Palladius refert, quòd Monachus de loco in locum continuò spartā terræ transferés, respondit: *Vexo vexantē*

me,

me, & ultionē de hoste meo sumo: scilicet de corpore.

XV. Profiteris te Christianū? sequere Christum. Profiteris te sequi Christum? ad Calvariam sequere. Profiteris, tanquam Religiosus, te sequi Christum ad Calvariam? assume crucem. Qui sibi non imponit ipse crucem, imponet illi Deus invito, tanquam Cyrenæo. Quid potiùs judicas, an eligere crucē, quam velis; an portare, quam nolis? Interim alterutra ferenda est. Nam rectè Thomas Kemp. l. 2. c. 12. Imit: *Non est alia via ad vitā, & ad veram internam pacem; nisi via Sanctæ Crucis, & quotidianæ mortificationis. Ambula, ubi vis; quære, quodcunq; volueris; & non invenies altiorem viam supra, nec securiorem viam infra, nisi viam Sanctæ Crucis. Dispone & ordina omnia secundùm tuum velle; & non invenies, nisi semper aliquid pati debere, aut sponte, aut invitè.*

Sic ad nostrum bonū ordinat DEI Sapientia. Quippe si non cōmisisti, pro quo te punias; adhuc cum Præcursore Christi, cū Aloysio, Kostkā &c. teneris macerare carnē. ut illā coërceas, & in servitutē redigas; ut Crucifixo conformeris; ut plùs gratiæ merearis & gloriæ; ut efficaciùs exores necessaria; ut tentationibus fortior, dæmoni terribilior evadas; ut pro aliis tum vivis, tum defunctis satisfacias; ut Sanctos imiteris & honores; ut laboribus & negotiis tuis, & alienis successum impetres; ut Deum exal-

exaltes; ut ei te gratum exhibeas pro beneficiis; ut ad ulteriora te disponas; ut subjectionem profitearis ejus Dominio. Si verò tibi conscius es culparum, ecce tibi datur optio, ut contracta per illas debita, vel spontaneîs pœnîs expungas, unitîs Christi meritîs; vel olim in igneo carcere ad novissimum quadrantem de tuo solvas. Quid horum eligis? Itaq; morem gere Augustino de salut. mon. c. 15. *Nè præbeamus vires illicitas carni & corpori nostro; nè committat bellum adversus spiritum nostrum.*

MEDITATIO II.
De Christi Crucifixione.

I. *Punct.* 1. Audiam Moysen: *Vadam, & videbo visionem hanc magnam.* Vadam cum Matre dolorosissima & S. Joanne. Vadam ad hoc spectaculum, cui simile oculus non vidit, auris non audivit; id est Messiam cruci addictum, creatorem Cæli & terræ cum morte luctantem, Deum expirantem in patibulo, videbo. Postquā JESUS stetit in Golgotha, in loco supplicii; expeditur crux, clavi, mallei; accedit audacior inter carnifices, arripit forti brachiô exsanguem Christum, vestes sanguine agglutinatas carni detrahit violenter, erumpente largo è vulneribus recrudescentibus sacro cruore. Mox instar piscis palpitantem, trudit

dit in crucem; distendit atrociter brachia, manusq; quas Christus porrigit configendas, vultu placido. Videbo, quomodo dirissimâ laniena perforantur clavîs manus & pedes. Quid tibi tunc cordis, o Mater, dum hos ictus audires, imò spectares? Elevatur jam cum funesta cruce, & subitò ac temerè in effossam scrobem dejicitur, ùt cum S. Augustino censent aliqui. Hæc magìs plangi, quàm cogitari possunt ab homine cordis non ahænei. Pendet crucifixus, qui tribus digitis appendit orbem terræ. Pendet medius inter latrones, mediator Dei & hominum. Pendet ille, qui est medius inter Patrem & Spiritũ Sanctum. Ah anima mea: ecce moritur justus, & non est, qui recogitet corde! Ecce fera pessima devorat tuum Joseph, amorem Cæli & Angelorum, væ tibi, si non tuum! Hæc olim meditans in vestibulo clausi jam templi S. Franciscus, dum gemit, dum irrugit clamore valido præ dolore; præteriens vir gravis, quærit: quid tibi mali accidit? quid adeo ploras? respondit: gemo, quia nebulones illi meum Dominum, mei causâ, tam dira morte occiderunt. B. Theressia mirabatur, posse aliquem siccîs oculîs recolere Christi Passionem. Quid tibi est meum cor? &c.

II. *Punct. 2dum.* Audiam ultima jam verba Patris mei morientis: Vide homo, quæ pro te pati-

patior! & ſuper hæc omnia magis crucior, quòd te tam ingratum experior. Quid ultra debui tibi facere, & non feci? 2dò. Quærit ex me moriés Dominus & Pater meus: habes nè inter tuos amicos, qui te plùs diligat, quàm ego? ſi hunc inveniſti, obliviſcere mei, & illum ama. Quòdſi non inveniſti, præbe mihi cor tuum, præbe animam tuam; ut cum anima mea, commendem eam in manus Patris mei; ut mecum ſit in Paradiſo, & in gloria Patris mei. Quòdſi hæc audiens, rides tamen cum Phariſæis in meis hiſce anguſtiis; nihilominus ego rogo Patrem meum, ut ignoſcat tibi. Quid ad hæc dicam? quid reſpondebo? nisì forte illud: *ſi quis non amat D. Jeſum Chriſtum, ſit anathema.*

III. *Punctum 3tium.* Audiam Spiritum S. Tu quis es? quid dicis de te ipſo? quem te ipſũ facis? Quòdſi dicis è vero: ſum homo *& miſer, miſerabilis & pauper & cæcus & nudus*: Apoc. 3. cur ergo magnificas te ipſum? cur beatiorem vitam vivere vis, quàm vixerit Chriſtus viator? cur commodiùs & plauſibiliùs educari cupis à Patre Cæleſti, qui proprio Filio ſuo non pepercit? prædicas cum Paulo Chriſtum Crucifixum, gentibus ſtultitiam: & ipſe genus, talenta, & ſcientiam jactas? quæ iſta præſumptio ſpiritûs, quæ dementia? Intolerabilis ſuperbia eſt, ait Bernardus, ut, ubi ſe exinani-

vit Majeſtas, vermiculus intumeſcat. Ille vocatus eſt ſeditioſus, ſeductor, peccator, homo non à Deo, operans in Belzebub; qui tamen, dum hæc, imò extrema quæq; pateretur; non comminabatur, ſed dicebat: *Pater ignoſce.* Quid verò tu? ſi unô tangaris digitô; ſi pungaris verbô; excandeſcis, & ùt filius tonitrui, vis, ut deſcendat ignis de cælo, & devoret. Qua ratione tu felicior ac melior vis eſſe Chriſtô? ô quantum portentum! majeſtas infinita tanta patitur propter tuum nihilum, & tu vis nihil pati propter infinitam Majeſtatem!

Anima mea: Ad te clamant ſputa, clamant clavi, irriſiones & verbera, inquit S. Laurent. Juſtin. ut ipſe toto corde, totiſq; viribûs diligatur, qui pro dilectione noſtra talia ac tanta pati dignatus eſt. Auguſtinus addit: *clamant dolorem, clamant amorem.* An tantus amor non meretur amorẽ tuũ? Quid rependã ſalvatori, tã dignato pro me mori? quid repẽdã? S. Bern. totũ me illi debeo pro me facto, quid reddã pro me refecto, & refecto tali modô? ô mi Salvator! offero tibi ſpiritũ meum, ut illum cum Paulo affigas cruci tuæ, & cum tuo ſpiritu commendes in manus Patris: utiq; eſt opus manuum tuarum. Obſecro cum Auguſtino: *Opus manuum tuarum nè deſpicias, ſi vulnera manuum tuarum aſpicias!* Et cum Seraphico Franciſco Moriar amore tui, qui amore mei mori digna-

gnatus es. O mi Magister è cathedra crucis docens crucifigere carnem cum vitiis & concupiscentiis! offero tibi & corpus meum, ut tecum in cruce moriatur sibi, vivat tibi.

Thomæ Kempensis L. 2. c. 12. L. 3. c. 19.

Tessera: *O anima! formam tuam in formam tui reduc Salvatoris.* S. Chrysost.

Nolo vivere sinè vulnere, quando video Dominũ meum Jesum vulneratum. S. Bernard.

Tuta & firma requies est infirmis in vulneribus Salvatoris, securus ibi habito; patent mihi viscera per vulnera. Quidquid mihi ex me deest, usurpo mihi ex visceribus Domini mei, quoniam misericordiâ affluunt. Per foramina corporis, patent mihi arcana cordis, patet magnum pietatis Sacramentum, patent viscera misericordiæ, in quibus visitavit nos oriens ex alto. S. August.

In omnibus adversitatibus meis non inveni tam efficax remedium; quàm vulnera Christi. In his dormio securus, & requiesco intrepidus. Idem.

REFLEXIO
Supra virtutes Theologicas.

I. Vis pace cum Deo frui? harum virtutum trias illam fundat. Gen. 9. *Arcum meum ponã in nubibus, & erit signum fœderis inter me & terrã.* Iridis color cæruleus, est Fides; viridis est spes; ruber Charitas; ùt explicant Viegas, Ribera,

Pererius in Cap. 5. Apoc, & alii. Vis diabolum, mundũ, carnẽ vincere? in hoc arcu, & in hoc ſigno vinces. Nam, ùt ajebat S. Antonius: Fides vincit diabolum, ſpes mundum, charitas carnem. Typus illarum ſunt S. Sophiæ Filiæ, Fides duodennis, ſpes decennis, charitas novennis; quæ tum eosdem vicerunt hoſtes; tum ætatem, ſexum, flagella, ſartagines, equuleos, gladium. Sur. 1. Jan. Conſidera.

II. *imò:* An tua fides non mortua ſinè operibus? *Et dæmones credunt:* Jac. 2. S. Chryſoſtomus & Anſelmus requirunt fidem operoſam, ſpem patientem, charitatem laborioſam in 1. Theſſal 1. v. 3. juxta Syrum.

2dò: An firma? Nam debilis non meretur nomen fidei. Unde Luc. 18: *Filius hominis veniens* ad judicium *non inveniet fidem in terra:* quia frigidam inveniet. Quo ſenſu dicit Auguſt: *Perfecta fides vix invenitur in terra.* Tr: 36. de verb. Dom.

3tiò: An tentationum jaculis opponis ſcutũ fidei? Idem S. Doctor ait: *In tantum tentatio proficit, in quantum fides deficit: & in tantum tentatio deficit, in quantum fides proficit.*

4tò: An experiris in te fructus fidei? hos recenſet Aug: Serm. 10. de verb. Apoſt. *Docet,* inquit, *paupertatẽ, caſtitatem, patientiam, humilitatem; pœnitentes reparat, juſtos reddit ferventiores, reformat mores.*

III.

III. *5tò:* An bonis operibus ſpem fulcis? S. Chryſoſt. in illud Pſal. 4. *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino:* inquit: *Non parva eſt virtus, in Deo confidere; cum juſtitia tamen.*

6tò: An in homine ſpem non fundas? Jerem. 17: *Maledictus homo, qui confidit in homine.* Hic enim, ùt inquit Beda, *rectè denti putrido, & pedi laſſo comparatur.* Spes tales Plato vocabat ſomnia vigilantium.

7mò: An non fundas in aliis creaturis? S. Aug. in illud Pſal. 54: *Jacta ſuper Dominum curam tuam,* dicit: *portum quæro, non ſaxum.* Nam anchora ſpei non poteſt in ſaxo figi.

8vò: An non peccas in ſpem veniæ? S. Greg: L. 28. mor. c. 6. *Peccare, & de Dei Creatoris clementia præſumere; pelago juſtitiæ ejus exponi eſt.*

9nò: An non peccas in ſpem pænitentiæ? Hieron. Ep. 9. ad Salvinam: Nec nobis pænitẽtiæ ſubſidia blandiantur, quæ ſunt infelicium remedia. Cavendum eſt vulnus, quod dolore curatur. Aliud eſt, integrâ nave & ſalvîs mercibûs portum ſalutis intrare; aliud nudum hærere tabulæ, & crebris fluctuum incurſibus ad aſperrima ſaxa collidi.

10mò: An non ſperas à Deo, quod ſcis ejus voluntati repugnare? Id S. Thomas in ſpecie præſumptionis reponit, & inter peccata contra Spiritum S. 2. 2. q. 21. art. 6.

11mò: An te non dejiciunt adverſa? Job. 13.

Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. S. Basil. hom. de grat. act. *Spes retributionis, quæ tristia sunt in hac vita; leviora efficit.* S. P. Ignatius: *Nescitis, quantas vires habeat spes in Deum.*

12mò: Quantam fiduciam adhibes in orando? Cassianus Col. 9. c. 33. *Pro certo non exaudiendum se supplicans quisq; non dubitet; cùm se dubitaverit exaudiri.*

IV. *13tiò:* An Deum amas? Hujus *primum* signum est, si de illo plùs cogitas, quàm de aliis rebus; inquit S. Bonav. Serm. de S. M. Magd. *2dum:* Si per omnia studes ei placere. S. P. Ignatius *tanto erga Deum amore flagrabat, ut toto die eum exquireret; & nihil aliud cogitaret, nihil aliud loqueretur, nihil aliud cuperet: quàm placere Deo.* Card. & Rit. Congr. *3tium* juxta S. Ambrosiũ est, *Si Christum imitari non cessas.*

14tò: An fortis est ùt mors dilectio tua? S. Greg. in c. 8. Cant. Quod mors agit in sensibus corporis, hoc agit dilectio in cupiditatibus mentis. Clariùs August. Ep. 39. ad Hieron. *Sicut mors avellit animam à sensibus carnis; sic charitas à concupiscentiis.*

15tò: An amas *opere & veritate*, seu an ex amore Dei servas mandata? Joan. 14. *Si diligitis me, mandata mea servate.*

16tò: An amas ex toto corde? *Clamat etiam infideli innatâ & ignotâ ratione justitia; quia ex toto corde diligere debeat, cui se totum debere non*

igno-

ignorat: S. Bern. Ideo Cant. 8. Deus poni vult ut signaculum super cor tuum, nè ulli pateat, præter ipsum, vel propter ipsum. Nec Sara cum Agar, nec cum Ismaële Isaac; nec Deus cum inquilino libens habitat. *Totum cor desiderat, ut totum tibi largiatur,* ait S. August.

17mò. An amas ex tota anima? Homo tanto Dei amore flagrare debet, ut nihil prorsus in ullam animæ facultatem irrepere sinat; quod suam erga Deum dilectionem excludat, aut diminuat, aut alio transferat: sed in omnibus illi soli magis magisq; placere assiduè satagat; nec alteri personæ, aut rei creatæ, nisi propter Deum. Vict. Antich. in Marc. c. 16. Rationem dat Augustinus Tr. 7. in Joan. *Non vult Christus communionem, sed solus vult possidere, quod emit. Tanti emit, ut solus possideat. Tu facis ei consortem diabolum.*

18vò: An amas totîs viribûs? *Ignis & amor Dei agunt, quantum possunt, quomodo possunt, quamdiu possunt.* S. Eucher.

19nò: An te plenè possidet, & regit amor? *O felix hominum genus, si vestros animos Amor, quo cælum regitur, regat!* Exclamat Boëtius. Ità rexit Raymundum Lullum apud Lohner: Hic, si quæsivisses: cujus es? respondisset: Amoris. Unde venis? ab amore. Quo pergis? ad amorem. Quis te huc adduxit? Amor. Unde vivis? amore. Ubi habitas? in amore. Bibliot. tit. *Charitas.*

20mò:

20mò: An amâs gratìs? Amicus gratìs amandus eſt; propter ſe, non propter aliud. Si te hortatur amicitiæ regula, ut hominem ames gratìs: quàm gratìs amandus eſt Deus! S. Aug. hom. 38. ex. 50.

21mò: An curas, ut hic amor in te creſcat perpetuò? Levit. 5. *ignis in altari meo ſemper ardebit.* Amor ignis eſt, qui nunquam dicit, ſufficit. Ubi deſinit creſcere, deficit. Judic. 5. *Qui diligunt te, ſicut ſol in ortu ſplendet; ità rutilent:* Hoc eſt aſcendendo ſemper ad amoris perfecti meridiem. Id qui curat, *cogitare non deſinit; quomodo ardentiùs diligat, diligatur dulciùs, fortiùs teneat, familiariùs converſetur.* S. Laur. Juſtin. de Caſt. Connub. an. & verb.

22dò: An ſaltem deſideras amorem? *Qui deſiderat ardenter amorem, intra breve tempus ardebit ardenter.* S. Franc. Sales. L. 12. de amore. c. 2.

23tiò: An nonniſi propter Deum amas proximum? S. Auguſtinũ audi: *Nemo verâ dilectione diligit proximum, niſi qui ipſum in Deo, & propter Deum diligit.* L. 8. de Trinit. c. 8.

LECTIO SECUNDA
De mortificatione Paſſionum.

Alterum inquit Auguſtinus, *genus Crucis eſt, ſcilicet regere motus animi.* Hi ſunt: amor, odium, deſiderium, ſeu concupiſcentia; fuga ſeu abomi-

abominatio; delectatio seu gaudium; dolor seu tristitia; spes, desperatio, timor, audacia, ira. Principales sunt isti: Gaudium, tristitia, spes, timor. Ad hos 4. reliquos reducit S. Thomas. 1. 2. q. 25. a. 4. Corp.

I. Illos in sapientem cadere posse negabant Stoici; quos refutat S Augu: l. 14. Civ. c. 8. Contra, putabant à nemine domari posse, illi, qui, ùt observat S. Gregor. l. 1. Moral. c. 15. *renuunt bona credere, quæ nesciunt operari.* Et sic, inquit Seneca Ep. 72. Non putantes fieri, quæ facere non possunt; ex infirmitate sua de virtute ferunt sententiam. Oppositum multis deducit P. Lancicius l. de hum: Pass: dominio. c. 12. Et S. Gregor: l. 8. moral. c. 19. dicit: *Sunt nonnulli justorum, qui ad apprehendendum culmen perfectionis accincti, dum altiora interiùs appetunt, exteriùs cuncta derelinquunt. Qui rebûs se habitis privant, gloriâ honoris exspoliant, qui internorū desideriô per assiduitatem se amici mæroris afficiunt; habere de exterioribus consolationem nolunt, vitam in se funditus corporeæ consolationis necant. Talibus enim dicitur per Paulum: Mortui estis &c.* De Aurelio Stoico Capitol: memoriæ tradidit, quòd tantæ erat tranquillitatis; ut vultum nunquam mutaverit mærore vel gaudio. At sufficit, quòd veritatem hanc, enunciet ipse Deus Gen. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.*

II.

II. Porro dominium hoc non consistit in apathia, seu immunitate ab omni commotione animi; id enim est speciale Dei privilegium in hac vita: sed in eo, quòd inordinati motus facilè reprimuntur, vel illis etiam semiplenè, vel saltem plenè non assentimur. Istius domini 10. gradus assignat P. Lanc. l. cit. Tres ponit S. Bern. Serm. 7. Quadrag. *1mus* est, ut Christianus gerat se tanquam peregrinum, qui non attendit ad ea, quæ ipsum tardent in cursu. *2dus*: Ut se gerat, tanquam mortuum. *3tius*: Ut insuper sit mundo crucifixus, & ipsi mundus; adeoq; quæ mundus amat, crux ei sint; quæ mundus reputat crucem, illis affigatur, adhæreat. Hoc ipsum exigit S. P. N. Exam. c. 4. §. 44. & 46.

III. Quærit S. Dorotheus: *Quo pacto mundus crucifigitur homini?* *Cùm*, inquit, *homo abrenuntiat mundo, relictis parentibus, possessionibus, agris, negotiationibus, rerum copiâ. Quô pacto homo crucifigitur mundo? Cùm homo, postquam mundi rebus excessit, certat adversùs mundi concupiscentias, adversùs voluptates, adversùs propriam voluntatem, subigitq; innatas passiones & vitia.* Deinde subdit: *Nos videmur quidem nobis mundum crucifixisse, quia reliquimus eum, & ad Monasterium divertimus: at nolumus nos mundo crucifigere. Adhuc enim in animo nostro vigent ejus blanditiæ, adhuc in nobis ipsis affectum abscondimus, compatimur il-*

lius

litus gloriæ, compatimur deliciis & voluptatibus, compatimur ornamento & vestibus; & ob viles & inanes res, delabimur plerumq; in pristinas ejus passiones. Quod sanè nonnisi ex amentia multa provenit: ut, qui pretiosas ac magnas res reliquimus, ob minimas plurimùm perturbemur. Fitq; hoc à nobis pessimè: ùt enim mũdo & rebus ejus abrenuntiavimus; ità & pristinis ejus passionibus abrenuntiare debemus.

IV. Ad idem quæsitum Pinufius Abbas apud Cassianum l. 4. Instit: renunt. c. 34. respondet: *Crux nostra timor Domini est. Sicut ergo crucifixus quis jam non pro animi sui motu membra sua quòquam movendi, vel convertendi habet potestatem: ità & nos voluntates nostras ac desideria, non secundùm id, quod nobis svave est, ac delectat; sed secundùm legem Domini, quò nos illa constrinxerit, applicare debemus. Et sicut is, qui patibulo crucis affigitur, non jam præsentia contemplatur, nec de suis affectionibus cogitat, non pro die crastina solicitudine curâq; distenditur, nullâ possidendi concupiscentiâ permovetur, nullâ superbiâ, nulla contentione, nulla æmulatione succenditur, non de præsentibus dolet injuriis, non præteritarum jam recordatur, seq; cùm adhuc spirat in corpore, cunctis elementis credit esse defunctum, illuc præmittens sui cordis intuitum, quò se non dubitat illico transiturum. Ità nos quoq; timore Domini crucifixos, oportet his omnibus, id est non solùm carnalibus vitiis;*

tiis; sed etiam ipsis elementis mortuos esse, illuc habentes oculos animæ nostræ defixos, quò nos sperare debemus momentis singulis migraturos.

V. Ità S. Paulus Christo confixus fuit cruci; ità eos, qui Christi sunt, jubet esse crucifixos cum vitiis & concupiscentiis; hoc est: jubet mortificare membra, quæ sunt super terram. Juxta Chrysostom, Ambros: Ansel: *Membra vocat Apostolus pravos affectus*; hi enim, inquit Cornelius, sunt quasi membra veteris hominis. Ità crucifixos & mortificatos appellat ibidem mortuos: *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Supra quod S. August. de contin: c. 13. *Talium mortuorum vox est: Vivo autem, jam non ego, vivit verò in me Christus.*

VI. Quòdsi Christianũ quẽvis per cõpressionẽ passionũ expedit esse crucifixum, mortuum, absconditum, seu sepultum in Deo; si expedit non vivere, sed Christum in eo vivere: quantò magìs hoc incumbit Religioso? Is enim hoc ipso, quod Religioni dedit nomen, profitetur, quòd crucifigit sibi mundum & mundo se ipsum; quòd sibi moritur, ut vivat in eo Christus exinanitus usq; ad mortem.

Quocirca prædictus Pinufius Abbas l. c. eum, quem adlegebat monasterio, sic monebat: *Abrenuntiatio nihil est aliud, quàm crucis & mortificationis indicium. Ideoq; noveris, te hodie huic*

huic mundo & actibus ejus ac desideriis esse defunctū, teq́; huic mundo esse crucifixum, tibiq́; hunc mundum. Considera igitur conditiones crucis, sub quibus te deinceps sacramentô oportet in hac luce conversari: quia jam tu non vivis, sed ille vivit in te, qui est crucifixus pro te. Eo ergo habitu ac figurâ, quâ pro nobis in patibulo fuit ille suspensus; nos quoq́; oportet in hac vita degere: ut scilicet secundùm David affigentes de timore Domini carnes nostras, universas voluntates ac desideria, non nostræ concupiscentiæ servientia, sed mortificationi ejus habeamus affixa. Sic enim præceptum Domini cōplebimus dicentis: Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus.

VII. Hoc vult instituti nostri summa præfixa summario: *Homines mundo crucifixos, & quibus mundus ipse sit crucifixus; vitæ nostræ ratio nos esse postulat. Homines inquam novos, qui suis se affectibûs exuerint, ut Christum induant: homines sibi mortuos, ut justitiæ vivant.* Porro justitiæ Deoq́; nemo vivit; quin sibi priùs moriatur, & mundo. Hoc est judicium S. Gregorii in illud 1. Reg. 2. ℣. 6. Dominus mortificat & vivificat: *In his*, inquit, *verbis, etiam ordo notandus est: priùs quippe mortificare dicitur, deinde vivificare; quia nisi sæculo moriamur, Deo per amorem vivere non valemus. Unde is, qui se mortificatum & vivificatum meminerat, loquebatur dicens: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Vivebat,*

bat, sed non mundi vitâ; qui dicebat: Vivo ego jam non ego &c. Mortificatum ergo & vivificatum esse, est: præsentia nulla concupiscere, & æterna desiderare. Idem judicium S. Augustini ep. 114. *Moriatur homo, nè moriatur.*

VIII. Idem judicium Christi Matth. 16: Qui perdiderit animam suam, inveniet eam: hoc est, ùt exponit Origenes: *Qui perdiderit animam, abnegando & mortificando concupiscentias; salvam inveniet in æterna gloria.* Id ipsum Dominus illustrat Joan: 12. similitudine frumenti, quòd nisi moriatur, fructum non adferet. Quod sic expendit V. Beda: *Frumentum si servas, perdis: si seminas, renovas. Quis enim nesciat, quod frumentum cùm in semine mittitur, perit ab oculis, in terra deficit: sed unde putrescit in pulvere, inde virescit in renovatione.*

IX. O quàm pretiosa in conspectu Domini mors ista, quæ vitam æternam p rit! quàm pretiosa crux, de qua dicitur: Tolle crucem, si vis auferre coronam! Verùm & in præsenti quantam affert gloriam! Cicero pro Marcello: *Eum, qui passiones vincit, Deo simillimum* esse judicat. Saltem illud inficiari nemo potest, quòd si victores urbium tam altîs encomiîs extollit fama, quin & in Deorum syllabum refert assentatio: nonne tantò præcellit eis eminentiùs suimet ipsius victor; *quantò melior est patiens virô fortî; & qui dominatur animo suo, expugnatore*

urbium? Et ratio est, quia nullus incessanter expugnat urbes; qui verò semetipsum frangit, sibiq; subigit; continuum secum bellum ducit. Nam teste S. Ephrem: *Bellum militum breve; sed monachi pugna, quoadusq; migret ad Dominum, durat.* Alteram rationem dat S. Gregor: p. 3. Past. admon. 10: *Minor est victoria urbium, quia extra sunt, quæ subiguntur; valde autem majus est, quod per patientiam vincitur; quia ipse à se animus superatur, & semetipsum sibimetipsi subjicit.* Id ipsum alia triplici ratione probat S. Thom: 2. 2. q. 123. a. 6. ad 1. 3tiam rationem dat Urbanus 4. Quia, qui vicit alium, pugnavit se toto: qui se ipsum vicit, tantum dimidiô sui pugnavit, scilicet solâ animâ; & tamen vicit.

X. Econtrario, quàm est vilis & miser, qui se mancipat effrænibus affectibus! Miser *coram Deo*; nam, ùt inquit Augustinus Serm: 50. ad Fr. in eremo: *Qualis est in oculis hominum, qui inversis pedibus ambulat; talis est in oculis Dei & Angelorum, cui passiones dominantur.* Nec enim aqua turbida gustum delectat, nec turbatus passionibus homo, delectat oculos Dei. Nec aqua stagnans in limo, & ad suum non currens principium, placere potest; nec homo, qui non tendit ad suum principium, nempe ad Deum, Deo placere potest. Jam indomitis gravatus affectibus, ægrè valet ad Deum ferri; quia solidus vitæ spiritualis magister Abbas Jsaac a-

pud

pud Cassian. Col. 9. c. 4. comperit, quòd *sicut pluma, quàmlibet ex se levis, si madefiat; non solùm non evolat sursum, sed etiam ad terram deprimitur; sic anima gravata passionibus.*

XI. Non potest ad Deum ferri *per orationē*: nam altare thymiamatis, seu orationis, exigit esse vicinum altari victimarum, in quo mactētur & immolentur brutales appetitus. Hinc S. Nilus Abbas Biblio PP. tom. 3. monet: *Moyses ad rubum prohibitus adire calceatus; quomodo tú non exutus passionibûs accedes ad Deum orandum?* Non potest ad Deum ferri per profectum in Spiritu, hic enim in passionato sperari nequit; sicut fructus in arbore stolonibus obsita. Oraculum est S. Hieronymi: *Tantùm proficies, quantùm tibi ipsi vim intuleris.* Arist: 7. Eth. c. 7. in eo reponit difficultatem virtutis acquirendæ, quòd quis gaudia vel tristitias non frænet. Epictetus totam perfectionem ad hæc reducebat capita: *Sustine & abstine.* Quippe nullus à perfectione deviat, nisi quòd vel molestiam sustinere, vel à voluptate nolit abstinere. Quod est passionibus indulgere.

XII. Imò nec in vocatione putatur perititurus, qui motus animi non cohibet: quia sicut arbor validis agitata ventis eruitur è solo; sic turbine passionū agitatus, radicitùs evellitur è terra sancta, seu Religione. Unde Cassiā: instit: renūt: c. 8. ait: *Multis experimentis edocti tradunt,*

eum

eum in Cœnobio diutiùs perdurare non posse; qui priùs voluntates suas non didicerit superare. Et S. Basilius advertit, quòd Christus Lucæ 9. priùs exigat abnegationem nostrî, quàm sequelam suî per statum monasticum.

XIII. Subjectus passionibus *miser est apud homines.* Nam Superiores, nec alienæ salutis curam ei committere securè queunt; nè pro zelo proferat scandala: nec arcanum aliquod concredere; nè abreptus passione prodat illud: nec seriis admovere negotiis; nè vel negligat illa, vel non ad expectationem transigat, perturbatus affectu violentô. Inter æquales & inferiores, versatur odibilis; utpote vitæ socialis expers. Versatur, vel tanquam erinaceus, qui pungit, etiam cùm pungere nõ intendit;nec tãgi se permittit,si fervet motibꝰ irascibilis potentiæ: vel tanquã talpa,si motibꝰ potentiæ concupiscibilis urgetur, ut nonnisi terrâ rebusq; terrenis oblectetur, nec aperiat oculos ad cælestia.

XIV. Deniq; *miser est apud se ipsum*; quia velut mare procellâ concussum, vexatur fluctibûs passionum. De quo S. Aug. l. 1. Conf. c. 12: *Jussisti Domine, & sic est; ut pœna sibi sit omnis animus inordinatus*; *quia internâ pace caret, nam tanquam mare ventîs agitatur.* Rectè proinde S. Antonius monebat discipulum: *Horre ventrem tuum, & necessitatem hujus sæculi, & concu-*

piscentiam malam, & honorem, tanquam absens de hoc sæculo; & requiem possidebis. In vitis PP. L. 7. c. 26.

XV. Media ad mortificationem Passionum.

1mum: A Deo ferventer petere virtutem hanc. Quia Christus inter viginti regulas, S Mariæ Magdalenæ de Pazis, sic eam docet regulâ 11. *Sis dominatrix tuarum passionum, petendo talem gratiam à me, qui sum dominator omnium creaturarum.*

2dum: Exactus examinis particularis usus.

3tium: Sicut medicus imprimis amovet morbi causam; sic radix & causa passionum rebellium supprimenda. Ea verò est fomes peccati, seu juxta S. Paulum & Conc: Trid: *Lex membrorum & concupiscentia.* Supprimitur autem & enervatur, tum exercitiô virtutum heroicarum; tum usu frequenti SS. Eucharistiæ; ùt cum S. Aug: & Thoma communiter docetur. Et S. Cyrillus Alex: l. 4. in Joan. c. 17. ait: Quòd *Eucharistia sedat in nobis sævientem membrorum nostrorum legem.*

4tum: Juxta S. Basilium est: Crebra corporis mortificatio.

5tum: Non omnes simul aggrediendas esse passiones docet S. Bernardus: sed singillatim. Sicut nec omnes simul hostes adorimur. Nec Tygranis filii sagittas plures simul frangere potuerunt, quas singulas fregerunt facilè.

6tum: A debilioribus & minoribus est incho-

choandum. Priùs enim ſtrangulandi ſerpentes, poſtea necandæ hydræ. Non parcendum tamen majoribus: ſicut Saul. 1. Reg. 15. deteriora mactavit, pepercit aliis.

7mum: Cogitare, quanta præmia ſequantur mortificationem iſtam. Nam inquit S. Auguſtinus: *Omne opus leve fieri ſolet, cùm ejus pretium cogitatur; & ſpes præmii, ſolatium eſt laboris.* Item S. Baſil: *Semper cor tuum promiſſa cæleſtia meditetur, ut ipſa te ad virtutis viam provocent.*

Reliqua media ex præcedente Lectione.

XVI. *Impedimenta hujus virtutis ſunt.*

1mum: Neglectus mediorum. *2dum:* Horror difficultatis in ſe ipſo vincendo. Sed hunc vincet amor Dei: quia juxta S. Aug: *Omnis labor non amantibus gravis eſt; ſolus amor eſt, qui nomen difficultatis erubeſcit.*

3tium eſt ſuperbia: contra quam hæc offert arma Thom. Kemp. Imit. l. 3. c. 23. *Stude fili, alterius potius facere voluntatem, quàm tuam. Elige ſemper minùs, quàm plùs habere. Quære ſemper inferiorem locum, & omnibus ſubjici. Opta ſemper & ora, ut voluntas Dei integrè in te fiat.* Et c. 24. *Non ſit tibi cura de magni nominis umbra, non de multorum familiaritate, nec de privata hominum dilectione.*

4tum In meditando, in diſcutienda conſcientia, in reflexione hebdomadaria, non inquirere ſeriò in motus animi; propoſita in hoc

puncto vel negligere, vel emittere frigidè, vel ad effectum non deducere.

5tum: Principiis non obstare, neq; passionem, mox ut surrexerit, reprimere; donec invalescat. Discipuli S. Dorothei, cùm minores cypressos facilè evellerent ipsius jussu; eam evellere nequiêrunt, quæ altas jam egerat radices. Quô S. iste Pater docuit: Passiones roboratas non facilè vinci posse.

Credisne de quovis anno tuæ vitæ, de quovis mense, die, hora, te rationem olim redditurum? ô quàm gravis incumbet calculus dierum & horarum, quæ non merebũtur diei dies vel horæ vitæ! Putasne vixisse te diem, in qua passionibus non imposuisti frænum? Audi Eusebiũ Emissenũ: *Illũ tantùm diẽ vixisse te puta, in quo voluntatem propriam abnegâsti, in quo pravis desideriis restitisti.* O quot jam periêre dies, ad frangendam protervam voluntatem, ad te vincendum, ad coërcendos animi motus, concessi

MEDITATIO III.
De Doloribus Deiparæ.

I. *Punctum 1mum.* Audiam Simeonem Luc. 2. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Venit, venit ille acer, & omnî gladiô ancipitî acutior gladius doloris, penetrans ad divisionem ani-

mæ,

mæ, Spiritûs, ac medullarum; irruit in MARIAM, tanquam furens hostis, innocuam urbem violenter expugnans, jugulans, dilanians: intendit sævitiam, nè minùs Mater pateretur in corde, quàm Filius in corpore. Venit hic gladius, non interficiens, sed more tyranni, diu torquens innocentem animum Virginis; ut sentiret se mori, non tamen moreretur. Misera hæc mater, afflicta, lacrymabilis, orphana petebat animæ suæ, ut moreretur cum filio, sed fugiebat mors ab ea, & gladius non recedebat de domo cordis ejus. Stabat ad ostium, perseverabat pulsans, & vehementi pulsu cordis feriens graviter. Stabat, & novo ac novo aspectu Filii, velut novîs machinîs Virgineum pectus expugnabat. Ad extremos Filii gemitus, novîs vulneribûs viam sibi faciens, pertransibat omnes animæ potentias, ac omnia penetralia. Sauciabat memoriam, dissecabat intellectum, dilaniabat omnium atrocissimè innocentissimam voluntatem. Pertransibat animam, nec tamen animam egredi sinebat. *Stabat juxta crucem Mater JESU*, stabat fulciente se omnipotentiâ Filii, nè concideret mortua, quod optâsset. O Omnipotens Bonitas, istamne fecisti potentiā in brachio tuo, brachio inquā extento; ut teneres Matrē, tam dirô gladiô laniandam! At justa sunt Domine judicia tua: si enim, ô cælestis Pater! gladium

distrinxisti adversùs virum cohærentem tibi, id est adversùs Filium tuum; quidni distringeres adversùs Matrem ejus? ut, sicut ille suîs doloribûs nos tibi, cæloq; genuit; sic illa in doloribus fieret Mater nostra.

II. *Punctum 2dum.* Audiam Jerem. Thren. 1. *Videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Major erat Deiparæ dolor doloribûs aliorũ hominũ: *1mò:* quia illa fuit immunis à peccato originali; quod efficit cor durum & sinè affectione. Sicut itaq; frigus homini durato modicam creat molestiam; delicatam verò carnem acutè permeat & constringit: ità dolor tenerrimum illud pectus pupugit acerrimè. Quòd si reliquæ mulieres lamentabantur, si Centurio compunctus, si milites, leopardis non absimiles, revertebantur commoti, & percutientes pectora sua; quid fecit Mater? *2dò:* Quò clariùs quis cognoscit personæ afflictæ excellentiam, eò magìs compatitur. Et quisnam inter filios & filias hominum, adeo nôsse poterat hunc filium; ut sua Mater? Ritè illud audiît, ritè retinuit: Hic erit magnus, Flius Altissimi vocabitur, & regnabit in domo Jacob in æternum. Et dicebat fortè: O Gabriel! videsne? ecce ille magnus, nunc inter latrones pendet medius, & inter iniquos reputatus! Ecce sedes David Patris ejus, ecce regnat, ecce posuerunt ei & titulum: *Hic est Rex Judæorum!* *3tiò:* Quô major est

est amor, eò major de dilecti tormentis dolor.
Hæc autē diligebat eū, sicut mater diligit uni-
cū filiū suum. Diligebat eū locò Patris & Ma-
tris; quia solā matrē in terris habuit. Dilige-
bat ardenter, & sicut filiū, & sicut Deū. Dili-
gebat & recogitabat: Nonne cor nostrū ardens
erat in nobis, quando loquebatur nobis per an-
nos triginta in Nazareth? Unde S. Bonav. *Nul-
lus dolor amarior, quia nulla proles charior.* 4tò: Quia
quidquid Filius passus in anima & corpore, id
totum, velut in crystalli centro colligebatur
in corde Matris. 5tò: Quia dolor ejus, à conce-
ptione Filii totâ durabat vitâ; ùt revelavit
S. Birgittæ L. 6. Revel. c. 57. 6tò. Quia
nunquam intermittebat; sed urebat conti-
nuò. Sic sub cruce lancinabat adeo, ut ju-
diciô S. Bernardini, apud Miech. in Litan.
disc. 386. *Si dolor ejus in singulos divisus esset ho-
mines, ruissent omnes exanimes.* O Vesuvie amo-
ris! ô igneum mare doloris! ô Mater dolorosis-
sima, instilla mihi amorem & compassionem!

III. *Punctum 3tium.* Audiam Beatissimam
Cant. 4. *Vadam ad montem myrrhæ.* Vadam ad
Golgotham montem doloris amarissimi. At
permittetne filius ut videas morientem? per-
mittesne mater, ut te filius videat dolentem?
permittetne filius dulcissimam parentem reple-
ri amaritudine? inebriari absynthio? permit-
tesne mater, ut dolores filii tuîs acuantur do-
lori-

loribûs? Mariæ verba dolor eripit, respondet Jesus: Ego ex amore tui patior in corpore, patiatur mater in anima; morior ego pro te, commoriatur corde mater. Cor meum dividet lancea, cor matris pertranseat gladius. Stet juxta crucem. Quid ità optime Jesu? *1mò:* inquit, ut tibi mereatur constantiam in meo obsequio. *2dò:* Ut exemplum det fortiter patiendi. *3tiò:* Ut te in Joanne accipiat in filium. *4tò:* Ut plùs doloris accedat mihi ex aspectu dolorum ejus. *5tò:* Ut mereatur esse Regina Martyrum. *6tò:* Ut operetur mecum redemptionem mundi. Quare S. Damianus ait: *Sicut sinè Christo nihil factum est; ità sinè illa nihil refectum: omnium salus per ipsam facta.* *7mò* tandem, inquit Jesus, ut meam passionem, mortem, omnia merita, gratias à me promeritas in ejus consignem manu. Unde juxta Patres, est *thesauraria gratiarum Dei.* Totum nos Deus habere voluit per Mariam. O dulcis Nòëmi, quam amaritudine replevit Omnipotens! Profiteor cum S. Germano; Nullus est, qui salvus fiat, nisi per te, ô Sanctissima! nullus est, qui liberetur à malis, nisi per te, ô purissima! nullus est, cui donum concedatur nisi per te, ô castissima ! nemo est, cujus misereatur gratia, nisi per te ô honestissima! Ergo cum Anselmo clamo: O Tu illa, piè potens, & potenter pia, MARIA; de qua fons est ortus miseri-

ſericordiæ! Nè contineas, precor, tam veram miſericordiam; ubi tam veram agnoſcis miſeriam. Si enim ego confiteor nequitiam meam; Tune abnegabis benignitatem tuam? Major eſt miſeria mea, quàm mihi expediat; eritne minor miſericordia tua, quàm te deceat?

Teſſera. *Tu es ſpes unica peccatorum, quia per te ſperamus veniam delictorum: & in te noſtrorum eſt expectatio præmiorum.* S. Auguſt.

DIEI NONÆ MEDITATIO I.

De amore DEI & Chriſti.

I. *Punct. 1.* Audiam Jerem: cap. 31: *In charitate perpetua dilexi te.* Cogitabo *1mò*: Amor divinus eſt ipſe Deus. Deus abæternus, immenſus, infinitus: igitur amat me ab æterno, immensè, infinitè. Amat me eodem amore, quo ſe ipſum. O dignatio! *Quid eſt homo, quia magnificas eum; aut quid apponis erga eum cor tuum?* *2dò*: Amat me gratìs, ſinè ſuo fructu, ſinè meis meritis; imò, cum demeritis: nec tamen aquæ multæ meorum demeritorum poſſunt extinguere charitatem ejus. Quis ſimilis amicus? *3tiò*: Amat me ſuper omnia, quia omnia condidit propter me, *omnia ſubjecit ſub pedibus meis.* *4tò*: Amat me plùs, quàm Angelos; *neque enim Angelos, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* *5tò*: Amat

me plùs, quàm amicũ, imò quàm filium: nã quis pro amico vel filio vilẽ assumeret naturã, v. g. bovis vel asini? quis vellet esse opprobriũ hominũ & abjectio plebis? tanta pati? mori? Quis amicũ vel filiũ, ferreô stylô scribit in manibus suis, & lanceâ in corde? quis sustinet ab amico sæpius offendi? *6tò:* Amat me plùs quàm se; ùt ait August: Dilexisti me Domine plùs quàm te, quia dignatus es mori propter me. *7mò:* Potuit me salvare sinè passione, maluit pati; potuit redimere unâ guttâ sanguinis, effudit totum. Parum est: Tanta passus, plura pati paratus esset, si foret opus; ùt revelavit S Birgittæ L. 1. Revel. c. 1. Possetne me amare magis ille, cujus omne bonum penderet ab amore meî? Obstupescite cæli super hoc, quòd Deus amet aliquid extra se! Magis obstupescite, quòd amet hominem, tam vilem, tam ingratam, tam indignam amore suo creaturam; ac tam ardenter amet! Maximè obstupescite, quòd homo non redamet Deum! Ergone tanto amore non potest mereri amorem meum? Quid amplius exigam ab illo, in pretium amoris mei?

II. *Punct. 2.* Audiam Deum Can. 8. *Pone me ùt signaculum super cor tuum.* O beatum signaculum, quod prohibet, nè cor meum pateat ulli, præter Deum, aut propter Deum. *Amor Dei nihil præter Deum cogitare sinit, fastidit cætera;* ait Bernardus. Hinc plùs illum teneor ama-

amare; quàm amicos, fratres, sorores, paren-tes; utì præcipit Evangelium. Præsertim quia hi non àmant, nisi amentur: Christus verò pro inimicis mortuus. Illorum amor fallax, in-constans, quærens quæ sua sunt; amor Dei so-lidus, constans, sincerus, quærens meum bo-num. Illorum amor, etsi vellet, non potest præstare tantum, quantum Deus? *2dò:* Tene-or illum amare super formam, vires, delicias, commoda, & reliqua bona corporis; quia jux-ta S. Chrysostomum: *Amor Dei, quæ svavia sunt, ridet, & non sentit; sicut corpora mortuorum.* Et juxta S. Birgittam: *Omnia terrena sunt ei a-mara, & omnis voluptas venenum.* Item teneor amare plùs, quàm bona fortunæ, quàm bona famæ; ùt itidem de fide est ex Evangelio. T. q. juxta eundem Chrysostomum: *Probrum & dedecus quid sit, ignorat charitas; ùt patet in chari-tate Christi.* Præterea, quia bonîs omnibûs, non aliter nobis uti licet, nisì ad laudem & a-morem Dei. *3tiò:* Immo teneor ex amore Dei me ipsum abnegare, tollere crucem quo-tidie, & sequi Christum ad Calvariam. *4tò:* Teneor amare Deum, plùs quàm Angeli; quia non Angelum assumpsit, justificat, pascit se ipso; sed me. O Deus, qui totus charitas es, si mihi forent infinita corda, totîs & omnibûs in te deberem ferri: cùm autem unicum mihi sit, & arctum nimis; justumne putem, ut illud

partiar in aliquid, quod non es tu, vel non propter te? Totum tibi dedico, qui totum te dedisti mihi.

III. *Punct. 3.* Non cessat clamare Christus: Proverb. 23. *Fili præbe mihi cor tuum.* Clamat vulneribûs, clamat beneficiîs, clamat minîs, clamat instinctibû, clamat per lumen rationis; quòd solus velit esse Dominus cordis mei: sed clamat surdo. *Dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* Ecce *imò:* Magis amo tenebras & nihilum, hoc est me ipsum; quàm Deum: Nam tantône studiô promoveo cultum Dei, quantô bona corporis, famæ, fortunæ meæ? An aliquando propter illa non offendi Deum? *2dò:* Magis amo homines, quàm Deum: amico non infero injurias, immo nihil nego; compatior in adversis, continuò vellem colloqui, omnimodè placere studeo; etiam cum incommodo servio, monentem audio, cōsulenti obedio. Hæc à me Deus obtinere nequit: imò nè offendam hominem, offendo Deum. *3tiò:* Potiore apud me loco hostis, quàm Deus. Hostis, si pro me vitam, famam, vel aurum profunderet, utique obtineret meum cor. Plura fecit JESUS, & non obtinet. Parco hosti mortuo; non parco occiso pro me JESU. Si cui offerretur regnum, ut hostem recipiat in amicum: utique reciperet: mihi offertur Regnum Cælorum, ut optimum Deum recipi-

am

am in amicum; & adhuc in ejus amore frigeo! *4tò:* Quantùm amantur etiam nonnulla bruta! quam ſollicitè curantur! quàm commodè foventur! Infelicior quoad nos honor Dei.

Anima mea, vide, quàm carò mercatur Deus amorem tuum. Quem tandem illo digniorem cenſes, cui cor offeras? cui dones honeſtiùs? cui æquiùs? cui utiliùs? Vide, quòd vel amore Dei ardendum eſt; vel æternùm ardendum in gehenna. Quid horum eligis?

Colloquium ex S. Auguſtino. Quis mihi dabit, quieſcere in te? quis mihi dabit, ut venias in cor meum, & inebries illud; ut obliviſcar mala mea, & unum bonum meum amplectar te? Quid mihi es? miſerere, ut loquar; Quid tibi ſum ipſe, ut amari te jubeas à me; & nisì faciam, iraſcaris mihi, & mineris ingentes miſerias? Parvane iſta miſeria eſt, ſi non amē te? In fine affectus S. Xaverii: O Deus ego amo te.

Thom. à Kempis L. 3. c. 5. 6. 59.

Minùs te Domine amat, qui præter te aliquid amat, quod non propter te amat. S. Auguſtinus.

O quàm velim tanto amore flagrare, quanto tanta majeſtas digna eſt! S. Aloyſius.

Societas JESU eſt Xenodochium vulneratorum amore Dei. V. P. Balthazar Alvarez.

LECTIO PRIMA
De Charitate proximi.

I. Charitas præcepta erga proximum est virtus, quâ proximo bene volumus propter DEUM. Unde ex eodem habitu, & ex eodē motivo procedunt actus amoris erga Deū, & actus amoris erga proximū. Ex quo S. Thō. 2.2.q.25.a.1. infert, utrosq; actus esse ejusdem speciei. Legē de illa imprimìs sanxit DEUS, tū alibi, tū Exod. 23. Levit. 19. Deut. 5. Deinde Salvator noster pluries in Evangelio. Tandē Apostoli continuò illam inculcant. At non sòlum est lex DEI, Christi, Ecclesiæ; sed etiam est lex naturæ. Illam enim *imò* Christus explicat per legem naturæ *affirmativam* Matth. 6. *Quæcunq; vultis, ut faciant vobis homines: & vos facite illis.* 2*dò* Spiritus S. Tob. 4. per legem naturæ *negativam*: *Quod ab alio oderis fieri tibi; vide, nè tu aliquando alteri facias.* Hôc ergo titulô, quòd sit lex naturæ; in nullo casu licitè frangi potest; quia quoties contra lumen rationis agitur, toties agitur contra dictamen cō-scientiæ practicum; adeoq; peccatur.

II. Istud præceptum esse totam legem & Prophetas, dicit Christus. l.c. Et Paulus Rom. 13. *Omne mandatum in hoc verbo instauratur: Diliges proximum, sicut teipsum.* Super quod Ter-

tulli-

tullianus l. 5. contra Martion. c. 4. de S. Paulo ait: *Meritò totam Creatoris disciplinam principali præceptô ejus conclusit: Diliges proximum tanquam te.* Ex quo S. Augustinus infert, quòd, qui contra proximum delinquit; contra omnē delinquit legem. Et ratio est: quia Matth. 22. non solùm à præcepto de dilectione DEI, sed etiam à præcepto de dilectione proximi, universa lex pendet; adeoq; universam legem titubare necesse est, si vacillat præceptum de charitate proximi. Sicut econtra ad Rom. 13. *Qui diligit proximum, legem implevit.* Complet Aug: l. 8. de Trinit. c. 8. *Qui diligit proximum, legem implevit, tam 1mæ quàm 2da tabulæ.* Affirmat utrumq; Corn. à Lap: Sicut odium, & defectus charitatis, totius legis est dissolutio; ità charitas est causa imperans, ut cæteræ omnes leges impleantur.

III. *Proprietates principis hujus virtutis* colliguntur ex epist. ad Rom. c. 12. *1ma*: Quòd debeat esse *sinè simulatione*; hoc est: sincera & candida; utì præcipitur 1. Joan. 3. *Non diligamus verbô, neq; linguâ; sed opere & veritate.* *2da*: Quòd diligendo proximum, debeamus odisse peccata ejus, & amplecti virtutes: *Odientes malum, adhærentes bono.* *3tia*: Quòd charitas debeat esse *fraterna*, seu prout exponit August: *Qualis debet esse inter fratres*; seu *intensa*; ùt explicat Theophylact. *4ta*: Quòd debeat esse sinè fa-

ſtu: *Honore invicem prævenientes*; ſive, ùt ait ad Philip. 2: *Superiores ſibi invicem arbitrantes.* *5ta:* Quòd debeat eſſe prompta, & ſollicita in juvando proximo: *Sollicitudine non pigri.* *6ta:* Fervens: *Spiritu ferventes*, ſeu impetu quodam animi ſuccéſa ad præſtandum officium proximo; inquit Theodoretus. *7ma:* Quòd debeat eſſe propter Deum: *Domino ſervientes.* S. Aug. l. 8. de Trinit. c. 8. *Nemo verâ dilectione diligit proximum; nisì qui ipſum in DEO, & propter DEUM diligit.* S. Gregor. hom. 38. in Evang: *Si quis quemlibet amat, ſed propter DEUM non amat; charitatem non habet, ſed habere ſe putat.* S. Bern. de dilect. DEI: *Qui diligit proximum, priùs diligere debet DEUM. Ut perfecta juſtitia ſit, diligere proximum; DEUM habere in cauſa neceſſe eſt: alioquin proximum purè diligere, quomodo poteſt, qui DEUM non diligit?* Hinc fluit *8va* proprietas: Charitas debet eſſe *univerſalis*, quia idem motivum nempe DEUS, quod compellit ad amandum unum proximum, urget ad amādos omnes. Item *univerſalis*, ut ſe ad omnia officia præſtanda aliis extendat. Id exigit S. Baſil. in Reg. brev. *9na* fluit: Debet eſſe *conſtans* juxta illud: *Charitas, quæ deſeri poteſt, nunquam vera fuit.* Ratio eſt: quia & DEUS ſemper & in omnibus circumſtantiis, dignus eſt; ut propter ipſum ametur proximus, & proximus nunquam & in nulla circumſtantia deſinit

nit esse proximus. *10ma:* Debet esse *gratuita:* Si enim quæret bonum aliquod non propter DEUM; jam non erit motivum ejus DEUS. Hinc item fluit *11ma:* Quòd debeat esse *ex corde puro & conscientia bona:* hoc est: non mundana, non carnalis; sed primariò DEUM respiciens, tanquam suum finem. S. Augustinus per *cor purum*, intelligit: *cor vacuum ab omni cupiditate.*

IV. S. Paulus 1. ad Cor: 13. ad charitatem proximi sic incitat: *Si charitatem non habuero, nihil sum:* quatenus non sum id, quod esse teneor. Nã *1mò;* non sum socius JESU; quia juxta S. Xaverium: Societas JESU est societas amoris atq; concordiæ. *2dò:* non sum discipulus Christi, qui dixit: *In hoc cognoscent, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* *3tiò:* non sum justus justitiâ, quæ est conditio, ut intrem in regnum cælorum; de qua Christus Matth. 5. *Nisi abundaverit justitia vestra plùs, quàm scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum:* seu justitiâ sumptâ pro complexo virtutum. Nam Coloss. 3. *Charitas est vinculum perfectionis. Quia unit omnes virtutes, completq; totum corpus perfectionis;* inquit Theophylact.

V. *Si dixero, quoniam diligo DEUM, & odi fratrem; mendax sum:* quia ex supradictis, amor DEI stare non potest, sinè amore proximi.

Proinde S. Doroth. Tom. 3. Bibl. Doctr. 6. ait: *Quantùm proximo, tantùm & DEO conjungimur.* S. Aug. initiô l. 1. de civit: *Qui proximum odit, & contemnit; mox etiam DEUM odio habebit & contemnet.* *5tò:* Non potiar misericordiâ: quia, quâ mensurâ metior, eâdem remetietur mihi; non dimitto debita, non dimittentur mihi: nec, ut dimittantur, quisquam orabit pro me, tanquam osore aliorum. Et fortè decrevit DEUS, me non liberandum è carcere purgatorio; donec oret pro me is, quem odi. *6tò:* Non sum Christianus: quia sum homicida Christi in ejus membris; quia juxta S. Joannē: *Qui odit fratrem suum, homicida est.* *7mò:* Sum pejor, quàm crucifixores Christi: quia illi non ausi scindere vestem ejus; ego verò scindo vestem ejus inconsutilem, quæ juxta S. Aug. est charitas. *8vò:* Non sum homo, quia non sum animal sociale; vel sum *homo homini lupus.* *9nò;* Sum dæmō: quia judiciô SS. Doroth. Bern. &c. *Sinè charitate religiosa claustra sunt tartara, & habitantes in eis sunt dæmones.* *10mò:* Nomen habeo, quòd vivam; & mortuus sum: quia recisum ab aliis membrum mortuum est. Porro Rom. 12: *Unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.*

VI. Idem Apostolus ibidem proponit *officia* charitatis. *1mò: Charitas patiens est;* hoc est: patitur mores alienos, & injurias sibi illatas.

S. Chry-

S. Chrysost. ait, quòd hìc Apostolus notat *contentiosos*: unde charitas non contendit, non contradicit, non est pertinax. *2dò: Benigna est*: non insultat, non exprobrat, orat pro proximis etiam inimicis, omnibus se præbet affabilem, omnes verbô, exemplô, oratione ad DEUM trahit. S. Chrysost. censet, quòd hìc Apostolus perstringat factiosos, & clandestinos. S. Greg. ait: *Benigna est, quia pro malis bona ministrat. 3tiò: Non æmulatur*, seu non invidet bona, sed optat aliis, adeoq; non fert ægrè aliorum successus. S. Chrysost. putat hìc notari eos, qui ægrè superiores se ferunt. *4tò: Non agit perperam*; seu non est procax. Juxta S. Chrysost. hìc perstringuntur dissoluti. S. Greg. ait: *Non agit perperam, quia se in solum DEI & proximi amorem dilatat. 5tò: Non inflatur: hoc est*: non solùm nulli se præfert; sed etiam omnes tanquam superiores colit; ùt monet Paulus. *6tò: Non est ambitiosa*: hoc est: non appetit nobiliora, eligit viliora. Juxta S. Chrysost. Apostolus notat eos, qui se & demittere, & proximo inservire nolunt. *7mò: Non quærit, quæ sua sunt*: hoc est: non quærit, quod soli sibi, sed quod aliis, quod communitati prosit. S. Chrysostomus putat notari eos; qui cæteros despiciunt. *8vò: Non irritatur*: hoc est: iram non fovet, vindictam non expetit, bonum pro malo reddit. S. Greg. ait: *Non irritatur, quia &*

 inju-

injuriis lacessita, ad nullos se ultionis motus excitat. S.Chrysost. dicit: notari hìc cõtumeliosos. 9nò: *Non cogitat malum:* hoc est: neminem censurat, de nemine malè suspicatur, neminem judicat. S. Doroth. ait: *Nihil adeo provocat DEUM ad iram, nihil ità hominem spoliat, & omni virtute & præsidiô denudat, nec ad summum discrimen adducit; ùt proximum dijudicare ac condemnare.* Certè antichristus est, qui judiciariam Christi potestatem sibi vendicat. Item: *non cogitat malum,* quia nec memoriâ, nec imaginatione volvit defectus proximi; tantô minùs inquirit aliena vitia. 10mò: *Non gaudet super iniquitate:* quia, ait Greg. *Sola dilectione erga omnes inhiat, nec de perditione adversantium insultat.* 11mò: *Congaudet autem veritati:* quia gaudet, si innocentia proximi pateat. Congaudet item sanctitati proximi; quia S. Greg. per *veritatem* hìc intelligit probitatem, oppositam iniquitati, super qua non gaudet charitas. Verba ejus sunt: *Congaudet veritati; quia ùt se, cæteros diligens, per hoc quod rectum in aliis conspicit, quasi de augmento proprii profectûs hilarescit.* 12mò: *Omnia suffert:* hoc est: non irridet, imò irrisiones avertit; tantô minùs detrahit. In vitis PP. lib. 5. Pastor Abbas ajebat: *Quacunq; horâ prodiderimus culpas fratrum; & DEUS nostras prodet.* S. Cyprian. legit: *omnia diligit;* hoc est: libenter perfert adversa. 13tiò: *Omnia credit:* id est: be-
ne

ne ſupponit de omnibus; ùt explicat Chryſoſt. 14tò: *Omnia ſperat*: Græci exponunt: *Omnia ſperat bona de proximo*. 15tò: *Omnia ſuſtinet*: hoc eſt: omnia bona, quæ ſperat, patienter expectat. Ità S. Anſelm. & S. Thom. 16tò: *Charitas nunquam excidit*: hoc eſt: charitas proximi, ſi vera eſt, conſtans eſt. ùt ſupra n. 3.

VII. Ubi perpenſa præcepta, proprietates, motiva, officia charitatis proximi; quærit Spiritus S. 1. Reg. 6: *Quare aggravatis corda veſtra?* Quare aggravas cor tuum contra proximum? Quia te læſit? ô quoties tu læſiſti alios, & vis ignoſci tibi! At ſæpius me læſit? nunquid per hoc deſiît eſſe proximus? At non offendi illum, non prior ad amicitiam invitabo! Utiq; DEUS te non offendit, ſed tu toties illum offendiſti: ipſe tamen prior ad amicitiam te vocat. At jam toties illi peperci! Chriſtus juſſit non ſepties, ſed ſeptuagies ſepties parci. At præterea vilis homo eſt! cùm ſit homo, jam nō eſt vilis, ſed frater tuus. Et nunquid ille vilior eſt reſpectu tui, quàm tu reſpectu DEI? & tamen DEUS toties pepercit tibi. At contemnit alios! Chriſtus factus eſt pro nobis opprobrium hominum, abjectio plebis, maledictum, Judæis ſcandalum, gentibus ſtultitia: tune melior Chriſto? Ad hæc: ſi tantùm æſtimantes te amabis; nonne & ethnici hoc faciunt? At ſi parcam, ille non corriget vitia ſua!

Quis te constituit judicem fratris tui? Tune transgredieris mandatum DEI de charitate, ut alius vitia sua corrigat? Tune eris nequam, ut ipse sit bonus? At antipathia me non permittit, ut ipsum amem! Ergo nec in cælo ipsum amare permittet antipathia. Ergo cælum conditum est propter solos sympathicos! Ergo præceptũ DEI & Christi solos sympathicos obligat. Quæ ejus erat necessitas? Jam tandẽ parcã ipsi: sed eum non alloquar! Quid, si Deus etiã parcat tibi; sed amplius non loquatur ad cor tuũ per gratias? Deinde hoccine est amare proximũ sicut teipsum? an non hoc est, ipsum contristare, & affligere an non est firmare in illo aversionem à te, & odiũ tui? conse quenter, an non est causam esse alieni peccati? At vitiîs laborat; metuo, nè cum perverso pervertar! Utiq; DEUS solem suum oriri facit super bonos & malos. Utiq; idem sol non contrahit maculã à sordibus. Tandem ità cum perverso loquendum, ut ex perverso convertatur.

At constanter se inimicum exhibet! Nunquid Christus non mortuus pro inimicis? *Cùm inimici essemus, reconciliati sumus DEO per mortem Filii ejus.* ad Rom. 5. Præterea cur non vincis in bono malum? Ad hæc, si amabis, ex inimico facies amicum. Tandem vide, nè surgant in judicio, & condemnent te; qui amore in hostes caluerunt, tot sancti, tot fideles, imò

& in-

& infideles. Scis ex Plutarcho, quòd Lycurgus juvenem, à quo fuit orbatus oculô, eripuit populo, quasi pro libitu puniturus: sed illum optimè instituit, & bonis moribus instructum produxit in theatrum: *En*, inquiens, *quem à vobis injurium & violentum accepi; jam frugi & popularem vobis restituo.* Apud Sveton: Augustus Cæsar Cinnam suum in caput hostē ad consulatum extulit. Vide, ne condemnet DEUS, qui Exod. 23. Levit. 19. & per lumē rationis, jubet amare inimicos. Nè condemnet Christus, qui eos diligi præcipit *imò* corde: *Diligite inimicos:* *2dò* ore: dum mandat: *Benedicite maledicentibus*, tem jubet *orare pro persequentibus*, *salutare*, dq; (sicut addunt Græci) in osculo & complexu; utì & Paulus docet 2. ad Cor. 12. In osculo sancto. *3tiò* opere: *Benefacite iis, qui oderunt vos.* Nè multa: de præcepto est, ut nos præstemus tales inimicis, quales nos præstamus amicis *ordinariè*. Quamvis specialis, & *extraordinaria* affectio, ac beneficentia, sit solùm de consilio. Vide S. Thom. 2. 2. q. 25. a. 8. & 9.

At dictum est antiquis: *Diliges proximum tuum, & odiô habebis inimicum tuum!* Noveris: nullibi in scriptura reperiri figmentum hoc: *odiô habebis inimicum tuum:* imò in proximè citata oppositum reperiri. Verùm, juxta Hieronymum, Augustinum, Theophylactum, Scribæ &

Pha-

Pharisæi stultè putantes, solos Judæos sibi esse proximos, ex hoc: *Diliges proximum*: Item ex hoc, quod Deuter. 25. DEUS jusserit Chananæos deleri sub cælo, tanquam pessimos homines: ineptè inferebant, odiô habendos esse omnes, qui suæ non essent gentis. Ità Theophil. Quasi verò judex, cùm reum occidi jubet, hôc ipso velit odiô haberi.

Ex his collige: Illa, quibûs arceri te dicis ab amore proximi; nonne sunt frivola? Num excusabunt coram DEO? Certum habe, aliam esse causam, quòd frigeas in amore proximi; quòd violes tam sanctam, & grandem charitatis legem: nempe, passiones indomitas, teporem, qui intellectum excæcat; superbiam, ejusq; filias, amorem proprium, invidiam, pertinaciam.

VIII. Gradus amoris in inimicum hos assignat S. Chrysost. hom. 18. in Matth. *1mus*, inquit, est: nè prior injuriam ordiaris. *2dus*: ubi est injuria cæpta, nè tu eandem eodem pactô propellas. *3tius*: nè par pari referas; sed quiescas. *4tus*: ut quis etiam præbeat se ipsũ ad injuriam sustinendam. *5tus*: ut etiam ad majorem se præbeat; quàm vult ille, qui fecit. *6tus*: non odisse, à quo ista perpetitur. *7mus*: etiam diligere lædentẽ. *8vus*: beneficiîs quoq; eum libenter afficere. *9nus*; etiam DEUM pro adversariis deprecari.

Me-

Media conſervandæ charitatis apud Roderic. p. 1. tract. 4. c. 7. fol. 142.

Anima mea! DEUS præcipit amare proximum: utiq; non jocatur; quia damnat non amantes. Nè damneris, non ſufficit non odiſſe; ſed amandum eſt. *2dò*: Non ſufficit, utcunq; amare; ſed ſicut me ipſum, hoc eſt: id præſtare alteri; quod vellem præſtari mihi, ſi forem in tali circumſtantia. *3tiò*: Non ſufficit ergo, amare ſolum affectivè: ſed *opere & veritate*. Quia probatio charitatis eſt exhibitio operis: ait Ambr. Unde Chriſtus damnabit illos, qui ipſum in ejus minimis non paverunt, non potârunt, non collegerunt, non cooperuerunt. Hunc amorem teſtamentô nobis reliquit idem Amator pacis, exemplar amoris, & Magiſter; cum hoc, & ex hoc amore expiravit. Hic amor eſt teſſera Chriſtianorum, eſt ſignaculum filiorum DEI, eſt primum alphabetum diſcendum in ſchola Magiſtri hujus.

MEDITATIO II.

De amore Beatiſſimæ.

I. *Punct. 1.* Audiam Iſaiam c. 2. *Mons domûs Domini in vertice montium.* Juxta S. Aug. *Montes vocantur Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, & alii Sancti illuſtres.* Hos montes, ità ſuperat mons domûs Domini, in qua habitavit tota plenitudo

tudo Divinitatis corporaliter; ut ibi incipiat ejus gratia & gloria, ubi aliorum sanctorum desinit. Unde *fundamenta ejus in montibus sanctis.* 1mò: Præ omnibus ab æterno electa, *omnē electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit*; inquit S. Gregor: 2dò: Sinè labe concepta, in primo conceptu rationis usum habuit: *Perfectiùs contemplabatur in utero Matris, quàm ullus in sua vita, & magis etiam dormiendo; quàm ullus Sanctorum vigilando*; ait S. Bernardinus. 3tiò: In primo conceptu majore pollebat gratiâ, quàm omnes collectivè homines & Angeli; & hæc singulîs momentîs duplicabatur; ùt deduxit M. Suarez. Mensuræ autem gratiæ, respondet mensura gloriæ. 4tò: Titulô filiæ DEI Patris, omnia *charismata intrāt in eā*; dicit S. Bernardinus. Damascenus addit: *Omnes res creatas superat, omnibus dominatur.* Titulô Maternitatis Divinæ, quid illâ dignius? *Majorem mundum facere potest Deus, majus cælum facere potest; majorem Matrem non potest*; ex sensu S. Bonaven. Ratio est ex S. Thom. 1. p. q. 25. a. 8. ad 4tum: Quia *ex hoc, quòd sit Mater Dei; habet quandam dignitatem infinitam.* Titulô sponsæ Spiritûs S. *donorum antenuptialium nomine, Spiritum S. accepit*; ùt docet S. Epiphan:

II. *Punct.* 2. Audiam Christum Joan. 19. *Ecce Mater tua.* Tanta Dei Mater, non dedignatur, imò cupit esse mater mea; me adoptat

sibi

sibi in filium. Implevit illa omne Matris officium: *imò: Genuit me Ecclesiæ*, teste August: *Omnium fuit planè Mater membrorum Christi, quæ nos sumus; quia cooperata est charitate suâ, ut omnes fideles in Ecclesia nascerētur.* Hinc & Athanas: Baptismalem omnium regenerationem in illam refundit. Genuit me cælo, quia *omnium salus per ipsam facta est*; ait Hugo de S. Victore. Et S. Bernardinus: *Ab ipso Patre æterno accepit fontalem fæcunditatem, ad generandos omnes electos.* 2dò: *Munus Matris quoad alimoniam, implet in Eucharistia; nè non perfecta sit Mater, cujus sit, nutrire & gignere*; inquit idem Bernardinus. 3tiò: *Non solùm spiritualiter genuit omnes sanctos, etiam veteris testamenti; sed etiam omnium gerit curam maternam*: dicit B. Albertus M. Ipsa enim cuivis providet bona animæ, corporis, famæ, fortunæ. Nam Deus decrevit, non aliter nobis quidquam conferre, nisi per preces & manus MARIÆ, ùt cum S. Bernardo censent Patres. Anima mea: numera, si potes, particularia beneficia, quæ in te effudit Mater ista; quantum pro eis te gratam exhibes?

III. *Punct:* 3. Audiam Christum: *Ecce filius tuus.* Mihi MARIAM in Matrem, MARIÆ me in filium testamentô legavit JESUS in Joanne. Implevit illa per omnia Matris officium; cur ego non impleo officium filii? Teneor amare

Ma-

Matrem, quæ me in mundi hujus ærumnas edidit: & non amo Matrem, quæ me ad æternas genuit delicias! Amo res vanas, fluxas, noxias: amo illos, qui me non amant; vel amando, sua quærunt commoda. Mater pulchræ dilectionis me ardenter amat, amando, non suum, sed meum bonum quærit: nec hoc amore mereri sibi potest amorem meum! In annis teneris aliquæ ejus scintillæ fuerant: nunc refrixit, postquam pluribus ab hâc Matre beneficiis auctus sum. O mare gratiarum emolli cor meum ad tui cultum. Cultus autem hic consistit, juxta Lohner, *imò:* In grandi æstimatione Deiparæ. Anselmus sic illam æstimabat: *Nihil tibi æquale; quod supra te est, solus Deus est; quod infra te est, omne quod Deus non est.* Ex hac æstimatione cavebo, nè quid committam, quod dedeceat filium tantæ matris. *2dò:* Consistit in filiali fiducia: Bernard. monet: *In periculis, in angustiis, in rebus dubiis MARIAM cogita, MARIAM invoca; non recedat ab ore, non recedat à corde. 3tiò:* In constanti veneratione: Totîs medullîs cordium, totîs præcordiorum affectibûs MARIAM veneremur; quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per MARIAM: idem hortatur. *4tò:* Consistit in studiosa imitatione, de qua S. Hieron: ait: *Amate MARIAM, quam colitis; colite, quam amatis; tunc verè colitis & amatis, si imitari velitis*

ex

ex toto corde, quam amatis. Hanc imitationem in tribus præcipuè collocat Bernardus: *Tu virtutum omnium speciosis vernas floribus, inter quos, pulcherrimos tres miramur in te; hi sunt, quorum odore totam domum Dei reples, ô MARIA: Viola humilitatis, Lilium castitatis, & Rosa charitatis.* In his imitari studebo Deiparam.

O Mater, ecce filius tuus: quàm dissimilis tibi, quàm ingratus, quàm refractarius! Planè non sum dignus vocari filius tuus. Tu me ab initio vitæ meæ custodivisti, ex tot laque s diaboli, ex tot periculis animæ, famæ, corporis eruisti; ab ira Dei justè impendente mihi, protexisti: Tu me ad statum religiosum promovisti: Tu me in eodem statu maternè foves. O Mater misericordiæ, non desine fovere. Peccator sum, indignus sum; sed totus tuus sũ. Tuus totus ex asse esse volo. Tibi servire, usque ad mortem, imò in æternum volo, volo, volo.

In fine Formula Sodalitatis.

REFLEXIO
Supra refectionem corporis per esum, potum, recreationem.

Considera *1mò*: An punctualiter descendis ad triclinium? contrarium defectum privatione refectionis puniri jubet S. Isid. Reg. c. 6.

2dò.

2dò: An in descensu strictè silentium observas? Id omnes Ascetæ præcipiunt. Proinde svadent, aliquas orationes illi tempori designandas.

3tiò: An intentionem refectioni præfigis, & quàm sublimem? S. Gertrudem docuit Deus, ut omnem cibi potusq; sumptionem unitam actionibus Christi, offerret ipsi. Scribit Ludovicus de Ponte Duc. Spir. tr.4. c. 11. §. 6.

4tò: An imploras Divinam opem? Quando quid facturi sumus, offeramus Domino sacrificium precum, & ejus adjutorium invocem9: S. Chrysost: hom: 65. in Gen.

5tò: An præmittis benedictionem? Præmittebat Christus Matth. 26. Marci 5. Lucæ 9. Apostoli teste Hilario in c. 14. Marci. Christiani omnes teste Tertuliano Apolog: contra Gentes: *Non priùs discũbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur.* Præmittunt Judæi teste Josepho L. 2. belli c.7. Hæretici, Turcæ, quin & Ethnici apud Plutarchum in symposiacis. Apud S. Greg. L. 1. Dial. c. 4. Monialem possedit dæmon, quòd non præmissâ benedictione lactucam sumpserit.

6tò: An post mensam gratias agis Deo? Deut. 8. v. 10. *Cùm comederis, & satiatus fueris, benedices Domino Deo tuo.* Tertullianus inquit: *Cõvivium oratio dirimit.*

7mò: An post singulas comestiones agis gratias?

tias? S. Ephrem tom. 2. adhort. 1. monet: *semper cibum cum gratiarum actione sumito.*

8vò: Quanta religione benedicis, & agis gratias? Utraq; hæc oratio est collaudatio Dei. Act. 2. v. 47. Jam si non attentè fiat, si frigidè, si præcipitanter; mereturne dici collaudatio Dei? Imò juxta Cyprianum, est *irreverentia Dei.*

9nò: An actus comparâsti, quos elicias assidendo mensæ? S. Fran. Seraph. Borgias, Caraffa, Joan: Abbas, & pleriq; continuis animam reficiebant suspiriis, dum reficiebant corpus. Act. 2. Christiani collaudabant Deum inter edendum.

10mò: An consvetas usurpas pœnitentias? S. Franciscus in Gener. Capitulo prandebat humi sedens.

11mò: An aliis melius ferculum non invides? Antiqui Patres vitium istud canibus dicebant esse proprium.

12mò: An impatientiæ signa non prodis? Id foret contra fratrum, loci, statusq; tui reverentiam: ait S. Isidorus.

13tiò: An libenter acceptas deteriorem cibum? Deteriorem eligebant P. Balthasar Alvarez, Lancicius, Chanovius, & alii plurimi.

14tò: An non appetis altiorem locum in triclinio? Luc. 22. Christus in cænaculo in medio discipulorum fuit, sicut qui ministrat.

15tò.

15tò: An non appetis specialia fercula? Illa pleriq; senes etiam ac debiles, non admittunt salvâ obedientiâ.

16tò: An cibô vel potu stomachum non oneras? aliàs *tibi sponte mortem accersis*; ùt ajebat Xenophon.

17mò: An avidè nimis non voras, instar animalium non ruminantium?

18vò: An ut indulgeas gustui, non edis noxia valetudini? *Ad servandam, non ad perimendā vitam, alimenta nobis provisa sunt*; dicit Philosophus.

19nò: An in æstu violenter sitim non extinguis, præsertim lymphâ, vel cerevisiâ frigidâ?

20mò: An in collatione strictè jejunium observas?

21mò: An abstines ab esca sapidiore, vel saltem illius bolô? Portiones, à quibus continebant se nostri sub P. Sylveira; Angeli deferebant Deiparæ.

22dò: An interdum indicis tibi jejunium? Ut stygios Amalecitas vincas Exodi 17. jejuna cum Josue: hic enim, ùt inquit Hieron. *jejuniô dimicavit.* Juxta eundem Hieron. contra Jovinianum L. 2. & juxta Tertullianum contra Psychicos c. 7. *Potiùs jejuniô, quàm holocaustô, triumphavit Isràël in Masphat.*

23tiò: An extra tempora refectionis non sumis cibum vel potum? Tales S. Isid. Regulæ c. 17.

c. 17. puniri jubet *excommunicatione*: Cassian. 9 L. 4. c. 16. *flagellis & expulsione ex monasterio*: S. Benedictus Regulæ c. 30. *jejuniô & flagellis*. S. Bonav. p. 1. spec. p. 3. c. 4. dicit: Fructus vel aliud quidcunq; extraordinariè, sæcularium more comedere; patens est gulositatis indicium. Vide P. Claud. industr. c. 8. n. 3.

24tò. An sollicitè curas mundam relinquere mappam, & mappulam?

25tò. An quæ superaverunt fragmenta, colligis & detergis; ùt mandat Christus Joan. 6?

26tò. An in tempore cessas à bibendo, mappulamq; componis?

27mò: An pectore vel cubitîs non incumbis mensæ? an scapulas non distendis in pariete? an pedes non divaricas? an crus cruri non supponis? an dentes non purgas, præsertim fuscinulâ, vel mappulâ? an manus tenes quietè? an more Turcico digitîs non uteris pro fuscinula? an ossa non rodis? Vide Lanc. tom. 1. op. 2. c. 9.

28vò. An quantum potes, à tussiendo, nasô emungendo, sonô naribûs vel labiis edendo, fricando corpore, sternutando, spuendo te cohibes?

29nò. An modestiam exactè servas? S. Aloysius nescivit, quot habuerit triclinium fenestras.

30mò. An silentium? S. Pachomii regula n.

 11.

11. præscribit ità: *Quòd si quis vel locutus fuerit, vel riserit in vescendi tempore; aget pœnitentiam: & in eodem loco mox increpabitur; vel stabit, donec surgant alii de vescendo.* S. Benedictus regulæ c. 38. *summum silentium fiet ad mensam, ut nullius mussitatio vel vox, nisi solius legentis audiatur.*

31mò: An non rides ob levem causam? Hunc defectum S. Isidorus plecti vult excommunicatione ad triduum Reg. c. 17. Ejusmodi risũ S. Chrysost. indicium esse dicit levis animi. Homil. 6. in Matth. observat, quòd Christus Dominus non semel flevisse legitur, risisse nunquam.

32dò. An attendis lectioni sacræ? quem ex illa fructum percipis? Joan. 6. *Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*

33tiò. An discedens è triclinio linquam non solvis?

Supra recreationem ordinariam.

1mò. An à Deo petis auxilium, ut religiosè transigas colloquiorum tempus? *Ad quodvis opus sicut respirare jugiter indigemus; ità etiam eô, quod à Deo præstatur, auxiliô.* S. Chrysost. hom 23. in c. 8. Matth.

2dò. An recreationi præmittis intentionem rectam? Nam intentio juxta August. est lumẽ. juxta alios est oculus, quô dirigimur ad agendum honestè, v.g. ad colloquendum.

3tiò. An rigidè silentium observas, donec venias ad colloquendi locum? Hoc exigit Cōgreg. General. 6. Quia Prov. 25. v. 4. Mala aurea verbum dictum in tempore suo. Id est ùt explicat Cornel. Sicut malum aureum annulo argenteo insertū, eum decorat: sic opportunitas ornat verbum, si debitô locô & tempore proferatur.

4tò. An in loco debito recreationem peragis? ùt statuitur p. 4. Const. c. 5. § 5.

5tò; An dignioribus concedis primas in loquendo? Secus imprudentis judicii notam incurres apud Catonem, quin & apud scripturam sacram.

6tò: An non libentiùs cum uno colloqueris, quàm cum altero? Charitas exigit esse universalis ad omnes: aliàs non habet pro motivo Deum.

7mò: An non interrūpis alienum sermonē? Eccl. 11. v. 8. *In medio sermonum non adjicias loqui.* Alioquin, inquit Rabanus: Magìs importunum, quàm prudentem, te esse probas. Talem inter temerarios locat Philosophus.

8vò: An te non ingeris in discursum, donec illum bene percipias & perpendas? Aliàs dicetur tibi: *Sicut pravè intellexisti, sic pravè respondes.* De Consecrat. dist. 2. c. 1.

9nò: An alienos defectus non profers in medium? Ejusmodi sermonem Chrysost. hom. 32.

 ad po-

ad populum, *cano* comparat. Quid enim, inquit, fætidius, verbis, quæ contumeliosi loquuntur?

10mò: An non contendis? *2.* ad Timoth: 2. *Noli contendere verbis, ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.* S. Ephrem in suo testamento testatur: se nunquam cum ullo Christiano contendisse. Plato in Protagora dicit: *Vilium homuncionum est altercari.*

11mò: An non contradicis absq; justa causa? Audi Cajet. 2. 2. q. 38. art. 1: *Cùm quis veritatem cognitam oppugnat; tunc doctrina S. Thomæ procedit, ut peccet mortaliter: nisi excusetur ex levitate materiæ.*

12mò: An non ægrè fers, si tibi quis contradicat? S. Cypr. epist. ad Quintum: Nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam, cùm secum Paulus de circumcisione disceptaret: vendicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, ut diceret, se primatum tenere, & obtemperari sibi à novellis & posteris oportere. Nec despexit Paulum, qui Ecclesiæ priùs persecutor fuisset: sed consilium veritatis admisit: documentum nobis & concordiæ, & patientiæ tribuens, ut non pertinaciter nostra amemus &c. Idem dicit S. Greg. L. 28. Moral. c. 6. aliàs 12.

13tiò: An non adhæres tenaciter sensui proprio? S. Ambros. L. 1. offic. c. 22. *Absit pertinax in familiari sermone contentio.*

14tò: An non clamas? S. Basil ep. ad Canonicam docet: *Christianum non debere clamorem attollere.* Et ep. 1. ad Greg. *Vocis intentio mediocritate temperanda est; ut nec exilior fallat aures, nec contentior odiosâ radat offensione.* Seneca monet. Vox sit sinè clamore. Idem refert, quòd puer ex schola Platonis domum rediens, Patrisq; elatam vocem audiens, dixit: *Nunquam hoc apud Platonem vidi.*

15tò: An non loqueris scurrilia, vel immunda? Talem Patres flagellîs, carcere, expulsione de monasterio puniri jubent.

16tò: An vana? Qui vana loquitur, vanus est. Vanus sermo, vanæ conscientiæ index est; ait S. Bernardus.

17mò: An ludicra? Const. p. 3. c. 1. §. 4. Amandari jubentur rerum ludicrarum narratiunculæ.

18vò: An tædio non afficis audientes? Ex Antisthenis mente, similis es illi, qui fercula multa, sed nauseosa hospitibus apponit.

19nò: An das aliis loquendi campum? Alioquin inter apes cephen es; id est: apis non ad mellificandum, sed ad sonum edendum nata.

20mò; An voce submissa loqueris? an humiliter, an modestè? Ità loqui præcipitur Const. p. 3. c. 1. §. 4. B. Esaias Orat. 27. n. 16. inquit: *Si tempus inciderit, ut necessariò loquendum sit: tunc os tuum aperiens, cum timore Dei, atq;*

tremore, & capite demisso, modestè & submissa voce, verba facito.

21mò; An cum circumspectione? parte 3. Const. ùt supra.

22dò: An spiritualia loqueris? Sic decernitur p. 1. Const. c. 1. S. 6. §. 4.

23tiò: An aptè ad ædificandos proximos? Quod fiet, si rationem spectes, *primò* tui gradûs, ùt vult S. Pater p. 7. Const. c. 4. Hoc est *ætatem* tuam, *scientiam*, *officium*, *conditionem* seu *statum*; inquit Hugo Vict. L. Inst. Novit. c. 13. *2dò:* Si spectes rati nem *audientium*; ùt monet S. Ambros. in c. 4. Colloss. *3tiò:* Si modum loquendi; nempe, si demissè, humiliter, modestè, circumspectè loquaris. Tertull. L. 2. contra Marcion. ait, quòd diabolus Lucæ 4. exinde cognovit Christum esse *Sanctum Dei*; quia hæc in loquendo observavit.

24tò: An caves multiloquium? multiloquis interdici debet recreatio p. 4. Const. c. 5. §. 4. Quia Eccl. 21. *Scientia insensati inenarrabilia verba.*

25tò: An cachinnos frænas? Eccl. 23. *Fatuus in risu exaltat vocem suam: vir autem Sapiens vix tacitè ridebit.* Dacrianus in speculo Monach. *Cachinnum, tanquam altum animæ præcipitium, fuge; sciens, quia risus excussus indisciplinatusq; claustra pudoris violat.* Et Seneca: Rident prudentes, *cachinnos edunt stulti*, arrident adu-

lato-

latores, irrident scurræ, subrident callidi & dolosi.

26tò. An caves ab his abesse colloquiis absq; licentia?

27mò. An datô signô statim conticescis? p. 4. Const. c. 5. n. 5.

LECTIO SECUNDA
De Patientia.

I. Patientia, juxta S. Thomam, 2da 2dæ q. 136. ar. 1. est virtus, *qua bonum rationis conservatur contra tristitiam; nè ratio ipsa ei succumbat.* Juxta Ciceronem, l. 2. de invent. est voluntaria ac diuturna perpessio causâ honestatis, rerum arduarum ac difficilium. Quod S. Thomas ar. 5. sic explicat: Quod dicit: *arduarum:* pertinet ad constantiam in bono. Quod dicit: *Difficilium:* pertinet ad gravitatem mali, quam propriè respicit patientia. Quod verò addit: *Diuturna:* pertinet ad longanimitatem.

II. Patientiam Hieronymus in Epit. Paulæ, Climacus gradu 4. vocant *martirium:* Gregorius hom. 35. in Evang: *Martyrium, ac omnium virtutum radicem & custodem.* Bernardus in Octava Paschæ, *Martyriū & baptismum:* Chrysostomus hom. 67. ad pop. *Remissionem peccatorū:* Tertullianus L. de Pat. c. 11. *comitem, ducem, & complexionem omnium virtutum.*

III.

III. Est *comes virtutum:* cùm enim hæ, juxta Aristot: *versantur circa ardua*; & juxta Epictetum, consistant *in sustinendo & abstinendo*; exercitium illarum nequit non molestum esse. Porro molestiam non aliud frangit, quàm patientia. Hinc Seneca dicit: *Ubi patientia, ibi est individuus comitatus virtutum.* Est *dux virtutum,* quia præit illas, & trahit. Unde S. P. Ignatius rogatus: Quæ via esset ad virtutem? respondit: *Si multa & magna pro Christo patiamini.* Est *complexio omnium virtutum:* quia in ipsa totam illarum rationem locabat Antisthenes. Nam cùm dixit: *Virtutem sibi sufficere ad felicitatem,* mox subdit: *Nec ulla re opus habere, nisi robore Socratico:* qui nempe Socrates ad omnium rerum patientiam obduruerat; teste Laërtio L. 6. c. 1.

Totum id de moralibus virtutibus per se clarum; nec non de charitate Theologica, quæ 1. Cor. 13. *debet esse patiens.* Sed etiam fidem & spem minùs frugiferas esse dicit S. Cyprianus; nisi fæcundentur à patientia. *Quod Christiani sumus,* inquit, *fidei & spei res est: ut autem fides & spes ad fructum possint pervenire, patientiâ opus est.*

IV. S. Paulus Rom. 8. istos ei tribuit effectus: quòd nos facit hæredes Dei, cohæredes Christi, conformes imagini filii Dei, vocari, prædestinari, justificari, conglorificari, conregna-

gnare. S. Cyprianus de bono patient. Serm. 3. adſcribit iſtos: Patientia eſt, quæ nos Deo cō-mendat, & ſervat. Ipſa eſt, quæ iram temperat, linguam frænat, mentem gubernat, pacem cuſtodit, diſciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium multatis extinguit, coërcet potentiam divitum, inopiam pauperum refovet, facit humiles in proſperis, in adverſis fortes, cō-tra contumelias & injurias mites; docet delinquentibus citò ignoſcere; ſi ipſe delinquat, diu & multùm rogare; tentationes expugnat, perſecutiones tolerat, paſſiones & martyria conſummat. Tertullianus l. c. c. 15. addit: effectus omnes, quos Paulus aſſignat charitati 1mæ Cor. 13.

V. Effectus iſtos compara cum effectibus impatientiæ. *1mò*: Impatiens omnium incurrit odia, tanquam moroſus, tanquam ulcus non ferens tangi, tanquam vitæ ſocialis peſtis. Hinc, nec internâ, nec externâ quiete fruitur adeóq; vivens, infernum patitur; ùt inquit S. Gregorius. *2dò*: Nec creditur piè vivere: nam idem S. Doctor L. 6. epiſt. 191. ait: *Fidenter dico: minùs piè vivis, ſi minùs perſecutionem pateris.* Veritas hæc fundatur in 2. ad Timoth. 3. Ibi per *perſecutionem* S. Chryſo-ſtomus intelligit etiam labores, angores, dolores, curas. *3tiò*: Graviùs patitur: impatien-

tia

tia enim acuit & auget triſtitiam ex adverſis pungentibus enatam: ſicut patientia lenit eam & levat. *4tò:* Impatiens patitur velut dæmō; quia quidquid moleſti accidit, inevitabiliter debet ferre; at ſinè fructu: immo cum peccato. O miſerum! & pati cogitur, & quia malè patitur, meretur, ut patiatur ampliùs. *5tò:* Sanè miſerum! Quia per quod evadere pænas debuerat, per hoc incurrit pænas. Quo quid infelicius? *6tò:* Impatientia ducit in periculum ſalutis. Quia Chriſtus vult nos *in patientia poſſidere animas.* Deus decrevit, ut non aliâ ducat ad cælum viâ; quàm viâ arctâ, viâ crucis, viâ Chriſti; quem oportuit pati, & ità intrare in gloriam. Impatiens aliam ſibi viam eligit· fierine poteſt, ut non exerret? Ah quis feſtinans domum, jucundius iter prælįgit tutiori & breviori? Quis nauta leniorem exoptat ventum potiùs, quàm acrem, ſed qui feliciùs illum ad portum pellat? *7mò:* Impatiens non eſt diſcipulus Chriſti, imò nec Chriſtianus: quia S. Thereſſia Itin. perfect. c. 16. ait: *Eos, qui pati nolunt, nec Chriſtianos eſſe.* Simile dictum in vitis Patrum: *Qui non bajulat crucem ſuam, non poteſt eſſe Chriſti diſcipulus, ſed neq; Chriſtianus.*

VI. Aſcetæ cum Alphonſo Roderic. p. 1. tract. 7 c. 5. tres patientiæ gradus aſſignant, *1mus* eſt: adverſa ferre patienter. *2dus:* ferre liben-

libenter. *3tius:* ferre gaudenter. Sumitur hæc doctrina ex S. Bernardo, qui Ser. 1. de S. Andr. dicit: *Incipientium esse, crucem sustinere patienter; proficientium portare libenter; perfectorum verò, amplecti eam ardenter.*

VII. Ad 1mum gradum spectant actus isti: *1mus:* Non prorumpere in verba aspera, non conqueri, nullo signo exteriore dolorem prodere. Amanguzii P. Joan. Fernandez socius S. Xaverii, sputum in suam ejectum faciem modestè detersit, & minimè turbatus sermonē cæptum prosecutus; hôc modô, conspuentem primò, deinde alios pertraxit ad fidem. Hist. Soc. p. 1. L. 11. Zenonis discipulus cæsus à patre, quòd non responderit, quidnam in schola didicerit? hoc solùm dixit: *Hoc fructûs ex Philosophia retuli, ut patris iram commodè possim ferre.* *2dus:* Affligenti non exprobare, non expostulare, suam innocentiam ei non remonstrare. De Socrate scribit Seneca, L. 3. de ira c. 11. quòd colaphum à sua Xantippe passus, hoc tantùm protulit: *Molestum esse, quòd homines nesciant, quando cum galea debeant prodire.* Hic actus usitatus erat S. Petro Martyri Ordinis S. Dominici. *3tius* actus: non inquirere, non suspicari, nolle scire, quis sit author afflictionis; sed in ea ità esse constitutū, quasi ad se minimè pertineat. Ità Zeno quærenti: Quô pacto ferret convitia? respondit: *Perinde, atq; Legatus,*

tus, qui sinè responso dimittitur. *4tus* actus: Nolle ulcisci: hoc enim esset, involare in jus Dei dicentis: *Mihi vindicta, ego retribuam.* S. Gregorius Nanzianzenus Catholicos volentes vicem reddere hæreticis, sic hortatus: *Hæc sit ultio, ut, qui nos affecerunt injuriis, salutem consequantur.* S. Augustinus: vindicari vis Christiane? nondum vindicatus est Christus. Non potes magis nocere hosti, quàm tolerando. Sic *scopuli à fluctibus cæsi, illos dissolvunt,* inquit Chrysostomus.

5tus: Non ostendere, quòd sciatur fabricator crucis; id enim esset, ulcisci aliquomodo, & reddere malum pro malo. *6tus* actus: strictô silentiô se tueri. *Christus contra dolos (Judæorum) silentiô dimicavit;* ait Augustinus in psal. 7. & Ambrosius L. 1. offic: c. 5 Quando aliquis nobis convitiatur, lacessit, ad jurgium vocat; tunc silentium exerceamus, tunc muti fieri non erubescamus: hæc sunt arma justi, ut cedendo vincat. *7mus* actus: pœnas, etiam sinè culpa inflictas, æquanimiter sustinere. Audi Senecam: affecti sumus pœnâ? succurrat, non tantùm quid patiamur; sed quid fecerimus: si volumus æqui omnes rerum judices esse, hoc primum nobis svadeamus: *Neminem nostrûm esse sinè culpa.*

8vus: Eodem animo tentationi resistere. Hanc enim ad persecutionem refert S. Augustinus

tinus in psal. 125. dicens: si mortuus est diabolus, mortuæ sunt persecutiones: si autem ille vivit, unde non tentationes suggerit? unde non sævit? unde non minas & scandala procurat? *gnus:* Idem S. Doctor in psal. 118. cruciatum vocat, *peccata videre aliena* Loth.(2. Pet. 2.) *persecutionem patiebatur, non vapulando, sed malos videndo*; ait S. Leo. *Magnus bonorum labor est, mores tolerare contrarios*: dicit S. Prosper.

10mus: Contemnere injurias. Aristoteles 4. Eth. c. 3. ait: *Magnanimus ignominiam hominum contemnit.* Vel christianè loquendo, injurias ferre imprimis *humiliter*: S. Franciscus Borgias à tussiente Bustamantio sputîs per noctem fædatus, veniam petenti dixit: *Non est, quòd ea re labores, non enim in hoc cubiculo locus quispiam dignior me est, in quem conjiciantur sputa.* Schottus l. 4. Vit. c. 4. Deinde ferre *generosè*; ùt propositô Christi exemplô svadet Chrysostomus hom. 69. ad pop. svadent & ethnicorum exempla: Scævola ignem, Empedocles Ætnæ incendia, Regulus toto corpore cruces tulit; nè unus pro tot hostibus viveret; inquit Tertullianus.

11mus: Oblivisci injuriæ. Cicero de Julio: *Cæsar nihil oblivisci solet, nisi injurias.* Phocion in theatrum productus ad necem, rogatus: quid filio nuntiari vellet? respondit: *Volo, ut illatæ mihi ab Atheniensibus injuriæ obliviscatur.*

Immo

Immo injurias non agnoſcere. Cato in facie percuſſus, negavit ſibi mali aliquid accidiſſe. De quo Seneca: *Animo majore injuriam non agnovit, quàm ignoviſſet.*

12mus: Nec lacrymîs egeratur dolor. B. Henrico Suſoni, Ordinis Prædicatorum, oranti, ut ſaltem lacrymîs ſolari ſe ſe poſſet in afflictione; dixit Chriſtus: Proh pudor! *Viſne in fæminæ morem lacrymari? certè tibi apud omnes cæli cives, ignominiæ notam inures. Sur. 25. Januar.*

Ad ſecundum gradum ſpectant actus hi: *1mus:* Cum S. Paulo Rom. 5. Placere ſibi in infirmitatibus, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis. Quia S. Catharinæ Senenſi revelavit Deus, quòd tribulatio eſt ſignum apertè demonſtrativum, quòd *in anima ſit charitas omnino perfecta; ſi cum dulci patientia toleretur. Dial. 10.*

2dus: Non quærere, immo nec admittere compaſſiones, conſolationes, defenſiones; ac ità affici, ac ſi alius, & quem penitus abnegavimus, patiatur; ùt docet Chryſoſtomus. Anaxarchus, dum pilô graviſſimè concuteretur, dixit: Tunde, tunde Anaxarichi follem; Anaxarchum enim non tundis.

3tius: Culpas falsò impoſitas non elidere, ùt S. Laurentius Juſtinianus. S. Macarius Ægyptius, S. Marinus ſeu Marina. Eulalius Monachus omnium delicta in ſe mendaciter cōjecta,

jecta, nunquam excusavit; sed Deus miraculô excusavit eum: ùt testatur Rosveidus ex Ruffino. *4tus;* Libenter pati personas, loca, officia, quæ horrentur. Palladio teste: S. Isidora Virgo tamdiu commansit suis sodalibus, quamdiu ab illis continuô contemptu, verberibûs, inediâ, contumeliîs, detrusione ad vilissima obsequia, ejectione extra domum vexabatur; ad ubi, Deo sanctitatem ejus revelante, honorari cæpit; profugit inde. S. Philippus Nerius 33. annos maluit incolere domum S. Hieronymi, ubi incommodîs & crucibûs onerabatur; quàm ad suas commodiores ædes descendere. S. Dominicus libens concionatus ibi, ubi opplebatur contemptu; ùt scribit Ferdin. de Castill.

5tus Actus: Gratias agere ei, qui se tentari permttit: ut iîsdem verbîs monet Chrysostomus. *6tus:* Non solùm non quærere famam, plausus, favores, ex dictis & factis suis; sed etiam contentum esse, si ea in sinistram trahantur partem, censuris & reprehensionibus subjiciatur. In hoc excelluerunt S. Joannes Franciscus Regis, P. Gaspar Drużbicki, P. Nicolaus Lancicius. *7mus:* Libenter gloriari in infirmitatibus, cum S. Paulo. *8vus:* Detractores & detractiones magni facere: nam inquit S. Gertrudis: *Singula detrahentium verba tibi coronæ sint locô.* De S. Stephano Abbate testatur

S. Gre-

S. Gregorius, quòd reddebat contumeliis gratias, damnum putabat lucrum, adversarios æstimabat adjutores. 9nus: Orare Deum, nè de cruce deponat. Sic orabat S. Xaverius: *Domine nè hanc crucem mihi auferas; nisì majorem immittas.*

Ad 3tium gradum spectant actus isti: *1mus: Communicando Christi passionibus, gaudere.* 1. Pet. 2. Rectè enim ait S. Laurentius Justinianus Fasc. Am. c. 4. *Utriusq; lætitiæ ingens est causa; & persecutionem pati pro Christo, & conformari Christo. De persecutione quidem merces, & de conformitate honor.* SS. Marcus & Marcellianus clavîs ferreîs affixi palo, dixerunt: *Nunquam sic jucundè epulati sumus.* 2*das*: Tristari in prosperis, exemplô Sanctorum Ignatii & Xaverii; ùt refert historia nostra p. 1. Item exemplô P. Balth. Alvarez, qui post secundos successus, gravi oppressus cruce, quasi respirans, amæno vultu dixit: *Nunc video, Deum mihi bene velle; quem per suorum amicorum viam deducit: Nam diu fui sollicitus, quòd videretur mei Dominus oblitus.* 3*tius*: Diligere inimicos, & orare pro persequentibus. Hunc enim esse amicum, & filium Dei declaratum S. Angelæ de Fulgin: Et Augustinus Serm. 5. de S. Steph. spondet, quòd *sic efficieris Dei non solùm amicus, sed etiam filius.* Enimverò si es terra bona, fructum debes afferre illis, qui te sulcāt, & ara-

tro ſcindunt: ſi ſpinas & tribulos germinabis eis, eris terra maledicta.

4tus: Benefacere his, qui oderunt nos; amicos eis conciliare, honorificè meminiſſe, excuſare, juvare, defendere. Eluxit hoc, tum in aliis Sanctis, tum in S. Ludvina; ùt legitur in ejus vita. Paphnucius, eum, qui ſe furti inſimulavit, à dæmone liberavit. Vide Caſſianum Coll: 18. c. 15. Teſte S. Baſilio Pericles illum, qui ſibi per diem conviciatus eſt; veſpere cum face domum reduci juſſit. *5tus:* Dolere de illorum malis; prout hom. 2. de Davide ſcribit S. Chryſoſtomus: *Poſtquam audiverat Regem Saul in acie cecidiſſe; & diſcidit veſtimenta ſua, & cinere conſperſus eſt, & eo luctu luxit, quô quis lugeret amiſſô primogenitô, germanôq; filiô.*

6tus: Chriſtus Matth. 5. Non ſolùm gaudere, ſed etiam exultare jubet in maledictionibus, odiis, perſecutionibus. De S. Paulo Chryſoſtomus Hom. 1. in 2. Cor: *Cùm videret, quaſi nivis cumulos, tentationes quotidie ingruentes; non aliter, quàm ſi in Paradiſo vixiſſet, ità geſtiebat.* S. Vincentius torquenti ſe Daciano exultans dixit: *Has epulas ego ſemper deſideravi: nunquam aliquis adeò bene ſervivit mihi, ſicut tu. Hom. 15. in Evang.* *7mum* Actum affert S. Gregorius: *Contra eum, qui mala irrogat, nullo dolore morderi: Nam qui ſic proximi mala portat, ut*

tamen tacitus doleat; patientiam non exhibet; sed ostendit.

Media ad patientiam. 1mum est: Humilitas vera. *2dum:* Abnegatio amoris proprii. De his Lect de humilitate. *3tium:* Cogitare, quæ passus Christus; nam experimur, quòd: *si passio Redemptoris ad memoriam reducitur, nihil est tam durum, quod non æquô animô toleretur. 4tum:* Recogitare præmia patientibus promissa. Cyprianus ait: *Nullus hìc dolor est de incursione malorum præsentium; quibus fiducia est futurorum bonorum. 5tum:* Quoties bilis accenditur, nè ebulliat; cohibenda lingua, exemplô Augusti Cæsaris, qui in ejusmodi casu, non priùs verbum protulit, quàm alphabetum integrum recitaverit; prout exinde laudatur ab Ambrosio. *6tum:* Ad unicam horam votum emittere, per illam perferendi tranquillè, quidquid acciderit molesti: ubi hæc transîerit, votum extendi poterit ad horam alteram. Ad hoc exercitium assumendi essent imprimis actus 1mi gradûs patientiæ. *7mum:* Deprehensæ culpæ contrariæ non abeant impunè; sed voluntariîs pænîs, vindicentur.

8vum: Meminisse, quòd sumus filii Excelsi, & sæculô majores. Hoc medio ad apicem patientiæ Philosophi eluctabantur, hoc adversis quibusvis opponebant scutum cum Seneca de Provid. c. 4. *Prospera in plebem, & in viles*

ingenia deveniunt; at calamitates, terroresq; mortalium sub jugum mittere; proprium viri est. Ibidem. c. 5. Militares viri gloriantur vulneribus; calamitas virtutis occasio est. Dux lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur insidiis. Præceptores plus laboris ab his exigunt, in quibus certior est spes. Nunquam virtutis molle documentum est. Verberat nos & lacerat fortuna? Patiamur: non est sævitia, certamen est. Et c. 6. *Labor optimos citat, ignis aurum probat, miseria viros fortes.* Hæc autem excelsitas animi si titubat, tribulatione firmatur: nam judiciô Gersonis Serm: de OO. SS. *Ut arca Nöe, quò magis abundârunt aquæ diluvii, tantò altiùs ferebatur; sic mansvetus animus, quò majores erunt tribulationis aquæ; tantò erit excelsior.*

gnum: Cogita omnem procellam desursum dabi; crucem omnem de manu Dei. Hæc non onerat; sed ornat, benedicit, armat, sanctificat.

Anima mea: *velis, nolis, calamitatem patieris. Quòd si gratè; maximè lucraberis. Si verò ægrè & impatienter feras; non minorem facies illam, sed majorem reddes procellam. Ergo quod necessitatis est; hoc nostræ voluntatis esse faciamus.* S. Chrysostomus hom: 66. ad pop. Nonne honestiùs, flagellari cum hominibus, quàm olim cum dæmonibus; ùt impatientibus minatur S. Ambrosius?

fius? Nonne digniùs, cum Sancta Catharina Senensi coronam à Christo spineam acceptare; quàm non acceptando, non desponsari Christo? Nonne utiliùs, tollere onus leve, quod æternum gloriæ pondus operatur in Cælis, & sicut Paulus Christo configi cruci; quàm latroni? Nonne delectabiliùs Christum & Matrem ejus sequi ad Calvariam; quàm desertorem Judam ad laqueum? Ergo monet Jeremias c. 31. *Pone tibi amaritudines, & dirige cor tuum in viam rectam*; hoc est: in viam crucis. Quia juxta Bernardum: *Hæc est via vitæ, tribulatio præsens, via gloriæ, via Regni.*

MEDITATIO III.

De Filia amoris, seu conformitate cum voluntate DEI.

I. *Punctum 1mum:* Audiam Ecclesiasticum: Cap. 11. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à DEO sunt.* Cogitabo 1mò: Est de fide, quidquid accidit, accidere volente Deo. Nec capillus de capite, nec passer super terrã cadet, sinè Patre cælesti Matth. 10. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.* Prov. 16. S. Augustinus: *Ad DEUM tuum refer flagellum tuum, quia nec diabolus* tibi aliquid facit, nisì ille permittat, qui desuper habet potestatem. Quantum proinde nefas, nolle

gustare, si quid amarum propinat DEUS! Quàm insolens audacia, ejus resistere voluntati? Egone impediam DEUM, nè faciat, quod ipsi libet? & postquam jam fecit, egone meis querelis efficiam, nè fecerit? Cogitabo *2dò:* Quidquid immittit DEUS, ad nostrum immittit bonum. Nam, ùt dixit S. Catharinæ Senensi in Dial. cùm sit omnipotens, potest avertere mala, conferre bona; cùm sit Omniscius, novit, quæ nobis obsint, quæ prosint; cùm sit optimus, non infert, nisi quæ prosunt; licèt molesta videantur. Cogitabo *3tiò:* Hinc sequitur, quòd, quidquid evenit acerbi, bonum est, *DEI beneficium est*, ùt inquit Aug. Et Hieron. Epist. ad Paulam. *Bonus est DEUS, & omnia, quæ bonus facit, bona sint, necesse est.* Igitur adversa non sunt mala, sed nostra de illis judicia mala sunt. Non adversa nos affligunt, sed nostræ de illis opiniones. Sic Epictetus: *Homines non perturbantur rebus, sed iis, quales de rebus habent, opinionibûs.*

II. *Punctum 2dum:* Audiā DEUM apud Thō. Kemp. l. 3. Cap. 11. *Desiderium tuum ponas totaliter secundùm beneplacitum meum; & tui ipsius amator non sis; sed meæ voluntatis cupidus æmulator.* Cogitabo: Stare secundùm beneplacitum DEI, & ejus æmulari voluntatē, est, velle, quod DEUS vult & quia DEUS vult; ac nolle, quod DEUS non vult, & quia DEUS non vult: nec

in prosperis extolli, nec in adversis dejici, sed semper sibi similem esse. Quod *imò*: tam est *gloriosum*, quàm gloriosum est, similem esse Christo, ût revelatum S. Catharinæ Senensi. Imò similem esse DEO, quem Plato In Tymæo sic definit: *Est unum, & idem, semper sibi simile.* *2dò*: Est *necessarium*: nam ad perfectionem tendere nequimus, nisì nos voluntati DEI conformemus: ût DEUS ipse docuit prædictam S. Catharinam. Et ratio est: quia, juxta S. Thomam, perfectio consistit in amore DEI: porro S. Prosper ait: *Illi diligunt DEUM, qui volendo, quod vult DEUS, & nolendo, quod non vult, acquiescunt.* S. item Hieron. ex Cicer. *Eadem velle, & eadem nolle, ea demum firma amicitia est*, seu amor mutuus. *3tiò*: S. Paulus ad Rom. 14. beatitudinem terrestrem reponit in pace & gaudio. Quanta verò pax tum interna, tum externa, quantum exinde gaudium; dum se quis plenè subjecit voluntati DEI! velut olympus nullo turbine, nullâ procellâ, nulla sorte percutitur. Patet hoc in discursu pii mendici cum Theologo apud Blosium In append. ad Instit. Spirit. Cap. 1. *4tò*: Committo me totum arbitrio medici: cur non cõmitto arbitrio DEI? voluntas mea ducit me in interitum; voluntas DEI ducit me in patriam: cur priorem pessimum ducem non rejicio? cur alteri fidissimo non adhæreo?

III.

III. *Punctum 3tium* Media ad hanc virtutem sunt: *1mum*: ad illa verba: *Fiat voluntas tua*, orandus ardenter DEUS, ut disponat de nobis, prout ipsi placet. Sic orabat P. Joannes Alvarez eximius Apostolus. *2dum*: Etiam extra orationem Dominicam actum istum usurpare cum S. Gertrude, quæ subinde 365. vicibus illum repetiît: per quod ità profecit, ut eligere jussa sanitatem vel morbum, responderit: *vehementissimè desidero, ut non facias voluntatem meam*. *3tium*: in orando præsertim ad præcipua Missæ mysteria; offerre se ad subeũda quævis adversa, exemplô P. Drużbicki. *4tum*: plenè subjicere se menti Superioris, ex hoc motivo, quòd exponat mentem DEI. *5tum*: interdum cogitare: si contingeret hæc vel illa molestia; quomodo me gererem? & statim congruîs armari propositîs. *6tum*: teste Lohner; multi verba hæc: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*: seu ùt explicat Theophylactus: *Tabula sum, pingat pictor, quod voluerit, faciat Deus, quod voluerit*; hæc, inquã, verba usurpando ferventer & crebrò, virtutis hujus apicem attigerunt. Si enim actus hic deduxit Divinum Verbum ad unionem hypostaticam cum homine; quidnî humanam adducat animam, ad unionem cum Divino velle?

4tum: Anima mea: resipisce tandem, subjice te manui DEI: *ad omnia tibi occurrat DEUS*,

idem percutiens, sed & sanans; mortificans, sed & vivificans; humilians, sed & sublimans. Tertull. contra Marcion. cap. 14. Infert molesta? Pater est, castigat filium, quem recipit; imaginem suam à pulvere purgat, aurum à scoria. Dominus est, nunquid non licet ipsi, quod vult facere? DEUS est, illine rebellabis? illine præscribes, quomodo disponat de te? Tantumne sustines, quantum Job? & si tantum perferres, id cederet in bonum tuum; tanquam immissum ab optimi DEI manu; deberesq; dicere cum Nazianzeno: Epist. 63. *Gratias ago, ut in lætis rebus, ità etiam in acerbis; quia exploratum habeo, nihil rerum nostrarum apud summam rationem, expers esse rationis.* At tu si verbulô tangaris, Acheronta moves contra tangentem. Credisne, quòd Semei tuo præcepit Dominus, ut malediceret tibi? Dicesne DEO: quare sic fecerit? Ah in jaculum sævis; & jaculantem non attendis! Audi S. Dorotheum Doctr. 7. Nos verò, cùm verbum ullum in nos dictum audimus, canes imitamur; hi enim, cùm quis in eos lapidem jecerit, jaciente dimisso, lapidem remordent. Ità nos, Deô dimissô, qui nobis tribulationes, ad peccatorũ nostrorum purgationem, procurat; ad lapidẽ, hoc est, ad proximum currimus.

O DEUS Crucifixe! quid fugiam pati propter te, qui tanta pertulisti propter me? imò

qui

qui tanta pertulisti etiam à me? Subdo me plenè voluntati tuæ. Quomodo pro te martyrium subirem, si detrecto subire levia? Subibo! & aliqua portione martyrii potiar. Amabo meum Semei, & tanquam proximum, & tanquam coronæ cælestis fabrum. Si peccat ille, saltem ego non peccem; & sic minuentur peccata.

DIEI DECIMÆ MEDITATIO I.

De Gloria Cælesti.

I. *Punctum 1mum.* Audiam Isaiam c. 60. *Tunc videbis, & afflues; mirabitur, & dilatabitur cor tuum.* Quis intellectus capere sufficit, illa supernæ civitatis quanta sint gaudia? Videre DEI essentiam, *sicuti est*; idq; *facie ad faciem*: videre summam Trinitatem in unica Deitate: immergi Oceano perfectionum Dei ùt Sapientiæ, Bonitatis, Pulchritudinis &c. hinc autem, non jam torrente, sed pelago potari voluptatis! Videre Divinum Cor amore perenni flagrans erga Sanctos; unde sequitur certitudo de perpetuitate bonorum, quibus fruuntur. Ex visione Dei manat amor; ut Sanctus nihil amet, nihil velit; nisì Deum, vel propter Deum. De quo Bern: ad frat: de mon: *Illic fit homo cum Deo unus Spiritus, non*

tantùm unitate volendi idem; sed expressiore quadam unitate virtutis, aliud velle non valendi. Ex amore Dei sequitur mutuus, ardens, constans Beatorum amor; & actus, quos amor imperat: ùt delectatio, gaudium, gratulatio de felicitate singulorum. Inardeſcis ad hæc; sed noveris, quòd illi Deum videbunt, *imò: Qui mundo sunt corde* Math 5. hoc est, ùt explicat Aug. *qui habent mundum cordis oculum.* 2dò: Qui avertunt oculos, nè videant vanitatem sæculi. 3tiò: Qui nec despiciunt, nec despici fugiunt. 4tò: *Qui non ad oculum serviunt, quasi hominibus placentes; sed ùt servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo.* 5tò: Qui crebrò mentis, & corporis oculos in Cælo figunt. quo fit, ut eis terra sordeat; sicut S. P. Ignatio sordebat, dum Cælum aspiceret. *O quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te! Ps. 30. O quando introibo ad templum sanctũ tuũ, & confitebor nomini tuo Domine! Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo Ps. 141.*

II. *Punctum 2dum.* Audiam David Ps. 20. *Magna est gloria ejus in salutari tuo, gloriam & magnum decorem impones super eum.* Magna est etiã *Accidentalis* gloria Sanctorum: utì virtutes supernaturales, & naturales illi statui congruæ; dulcis conversatio cum Christo, Deipara, Sanctis, decus mãsionis ex c. 21. Apoc. dotes similes dotibus Christi gloriosi, juxta cujusque me-

rita, ùt docet S. Paulus 1. Cor. 15. Nimirum *in anima* summa pax & harmonia potentiarum; scientia decretorum, & vi rum, quibus eam Deus duxit ad se; mysteriorum fidei, & omnium ad illam spectantium. *In corpore*, impassibilitas, agilitas, claritas, pulchritudo; sensuum omnium voluptas; ùt cum S. Thoma docet Henriquez de fin. ult. Denique sequitur omne bonum, quod nec oculus vidit, nec auris audivit: quia *mensuram bonam Dominus da it in sinus nostros, confertam in interiore homine, cogitatam in exteriore, supereffluentem in Deo: ibi cumulus felicitatis est, ibi supereminens gloria, ibi supereffluens beatitudo*; dicit Hugo Vict. tom. 3. inter oper. S. Aug. Et Aug. spondet: Ibi erit, quidquid voles; & non erit, quidquid noles. Anima mea; Incipe gustare hāc beati udinem; *Suge, suge, & bibe dominicæ dulcedinis inenarrabilem svavitatem, immergere & replere, adhære, & inhære*. Aug. de subst. dilect.

III. *Punctum 3tium.* Audiam Jerem: c. 31. *Dirige cor tuum in viam rectam.* Anima mea, stas in bivio; una via ducit ad cælum, altera ducit ad gehennam. Quam eliges? Ah jam elegisti! *Dereliquisti vias rectas, & divertisti in vias pravas!* Eccli 2. Nonne tempus est, ut dirigas cor tuum in viam rectam, quâ scilicet itur ad astra? Id tam necessarium est, quàm necessarium est, te non esse miseram in æternum.

num. At parum eſt, arripuiſſe viam rectam: Apoſtolum audi: 1. Cor. 9. *Sic currite, ut apprehendatis.* Vide, quòd omnes exerantur vires, ut præcurratur ad coronam corruptibilem: quanto conatu contendẽdum eſt, ut coronam accipias incorruptam? Iſte conatus, juxta eundem S. Paulum, ſtat in hoc: *ut omnis, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtineat.* Nẽpe, *imò:* à concupiſcentia carnis; & deliciis; quia ſtadii noſtri via, eſt via difficilis & ardua; via crucis, mortificationis, laboris; & *mala beſtia*, ſeu beſtialis homo, non aſcendet per eã. *2dò:* à concupiſcentia oculorum, & divitiis; nam arcta nimis eſt eadem via, non capit onuſtum rerum copiâ: *calcabunt eam pedes pauperũ, greſſus egenorum. 3tiò:* à ſuperbia vitæ, honoribus, gloriâ: quia ſtadiodromi non ventis ſuperbiæ vecti pervolant ad metam; ſed humiles, pedites, calcantes omnia terrena, rapiunt coronam.

O quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt! Educ Domine de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo. Tunc ſatiabor, cùm apparuerit gloria tua, fons vitæ, vena aquarum viventium. Quando veniam ad aquas dulcedinis tuæ de terra deſerta, & invia, & inaquoſa? Deſidero Domine videre te:

re te:

re te: ô quando apparebo ante faciem tuam, ut videam virtutem tuam, & gloriam tuam? S. August.

LECTIO PRIMA
De Modestia.

I. Modestia juxta S. Thomam 2da 2dæ q. 160. dicitur à modo & moderatione, quia omnibus actibus, & gestibus modum ponit, eosque moderatur. In re est virtus humilitati infundata, moderativa actionum & passionum. Unde S. Bernardus vocat eam sororem collactaneam humilitatis.

S. Thomas 2da 2dæ q. 160. a. 2. species modestiæ ponit quatuor. *1ma*, inquit, est, quæ moderatur appetitum excellentiæ. *2da*, quæ moderatur curiositatem sciendi. *3tia*, quæ moderatur sensus, & actus hominis. *4ta* est modestia vestitûs.

II. Virtus hæc 1mò mirè commendat quemvis, oculis, & cordibus hominum. Ità commendabat Salvatorem nostrum, ut populi cohortarentur se se: venite, videamus Filium Mariæ. Ità commendabat Monachos S. Bernardi teste Surio in ejus vita l. 2. c. 1.; ut visîs illîs Innocentius II. & Cardinales, nec oculos à Lacrymis præ gaudio, nec cor ab eorum amore potuerint cohibere. Corporis enim

nim compositio indicat, qualis in eo latet anima: sicut index edocet, quale sit intus horologium. Quare S. Ambrosius dicit: *Facies index plerumque est conscientiæ, & tacitus sermo mentis.* Et S. Hieronymus: Speculum mentis est facies, & taciti oculi, tam modesti, quàm vagabundi; mentis fatentur arcana.

III. S. Gregorius Nazianzenus internam impietatem Juliani ex externo cognovit habitu: Neque enim, inquit, mihi boni quidquam significare videbantur: Cervix non firma, humeri subsultantes, & ad æquilibrium subinde agitati, oculus insolens, & oberrans, furioseque intuens; pedes instabiles, & titubantes; nasus contumeliam, & contemptum spirans; risus petulantes, & effrænati; nutus & renutus ratione carentes; sermo hærens, Spirituque intercisus; interrogationes præcipites, & imperitæ, responsiones his nihilò meliores. &c. ùt hæc conspexi, statim prolocutus sum: *Quale malum Romanorum terra nutrit!*

Talem descripsit Spiritus S. Prov. 6. *Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur.*

IV. 2dò: Virtus hæc summè ædificat proximos. Illâ concionabatur S. Franciscus Seraph. nempe tacitus ac compositus obibat plateas; & sic exemplô sanctô spectantes ad virtutis amorem pertrahebat. Enimverò efficaciùs

exem-

exempla ſvadent, quàm verba; quia ùt ait Seneca: Homines magìs oculis credunt, quàm auribus. S. Lucianus Martyr, teſte Metaphraſte, ſolâ modeſtiâ quosdam ethnicos ad Chriſtiana convertit ſacra. Quod impiè ſibi metuens Maximianus Imperator, cominus eum intueri noluit. Id à nobis exigit S. Pater 3. p. Conſt. c. 1. §. 4. ut nos mutuò conſiderantes in devotione creſcamus.

V. 3tiò: Virtus hæc ſpiritũ fovet. Unde Evagrius ait: *Armatura tutiſſima animi, modeſtia eſt.* Sicut enim ſpiritus Apothecæ, ſi claudantur, nõ evaneſcũt; ità ſpiritus Religioſus nõ evaneſcit, ſi modeſtia claudat ſenſus. Meritò itaque ab Ambroſio dicitur: Cuſtos & purpura virtutũ: à Platone, ſalus mentis & ſapientia; ab Ariſtotele 6. Eth. Conſervans mentem & ſapientiā.

VI. Ad 1mam modeſtiæ ſpeciem ſpectant humilitatis actus. Affirmat hoc & S. Ephrē. l. de virt. & vit. *In gloria modeſtia cernitur, quando quis ità mentē moderatur, ut nec honoribus, nec dignitatibus, nec laudibus aucupandis vincatur.* Vid. Lect. 1. diei 6.

Ad 2dam ſpeciem ſpectat 1mò: non inquirere, quid de me ſtatuet ſuperior, ùt præcipitur Inſtr. 13. n. 2. Patribus 3tiæ Probationis: Caveant, nè ulla ratione ſcire ſatagant, aut inquirant, qua in re ſuperiores occupare illos ſtatuant; ſed cum indifferentia obedientiæ

nutum

nutum præſtolentur. *2dò:* Non inquirere, quid circa alios ſtatuendum eſt: de quo S. Baſilius: *Nullô modô quis Antiſtitis conſilia curiosè perveſtiget.* Hinc enim pullulant impedimenta in gubernando, ſuſpiciones, inquietudo interna & externa, querimoniæ, neglectus eorum, quæ ad nos pertinent. Verè enim dixit pius Author: non aliunde noſtra negliguntur, quàm quod circa aliena ſatagimus: contra quam monet Apoſtolus 1. ad Timoth. 4. Attende tibi, & doctrinæ. Item S. Dorotheus: *Tuam ipſius rem agito.*

3tiò: Non ſcrutari aliena dicta & facta. *Vitium hoc,* inquit Auguſtinus, *inemendabilem reddit: Curioſus enim, quàm intentus eſt ad cognoſcendam vitam alienam, tam deſes ad corigendam ſuam.* *4tò:* Non auſcultare ſæculi rumores. S. Baſilius monet: Aures ab audiendis mundanis narrationibus abducito, quantùm potes; nè aliquando cæni reſperſione animam oblinas tuam. S. Bonaventura: Rumores neſcias, quia inquietant cor, & mentem diſtrahunt, & devotionem exhauriunt, & tempus ſinè utilitate conſumunt.

VII. Ad 3tiam ſpeciem ſpectant, quæ S. Pater p. 3. Conſt. c. 1. præſcribit: *1mò:* Caput huc illuc leviter non movere, ſed rectum tenere, cum modica in partem anteriorem inflexione. Quia contrarium vitium Nanzianzenus

zenus damnat in Juliano. *2dò*: Oculos demittere, nam Ariſtoteles in Phyſiognomiis c. 6. dicit: *Signum modeſti eſt, oculus neque valde apertus, neque omnino clauſus.* Tantò magis per feneſtras in plateas non proſpicere; hoc enim nemo non graviter damnat, tanquam ſummè ſcandaloſum Religioni infame, caſtitati exitiale, indicium laſciviæ, ùt ajebat P. Fabricius Bamfus. S. Carolus Borromæus in hortum proprium contiguum palatio nunquam proſpexit.

3tiò: In loquendo cum hominibus præſertim alicujus authoritatis non defigere aſpectũ in vultus eorum. Non defigere item in res vanas. *Hoc enim*, inquit S. Dorotheus: *Labores monaſticos deperire facit.* *4tò*: Rugas vitare in fronte, & naſo. Quia Ariſtoteles in Phyſiogn. c. 9. docet: Complexionem & affectiones animi cognoſci ex facie, naſo, oculis, fronte. *5tò*: Labia nec nimis comprimere, nec nimis diducere. *6tò*: Tota facie hilaritatem potiùs præ ſe ferre, quàm triſtitiam, aut alium inordinatum affectum. Id & Chriſtus commendat Matth. 6. & S. Pater inquiebat: *Religioſus duas tantùm habet triſtitiæ cauſas; dum aut ipſe, aut proximus offendit Deum.*

7mò: Manus quietè tenere, nec illas incedendo agitare, inſtar ſeminantis; nec pendulas demittere, inſtar languentis. *8vô*: Riſum

moderari, quia S. Augustinus contra Academ. docet. *Ratio præveniat risum tuum; nihil enim fœdius risu irrisione dignissimo.* Et serm. 7. de temp. Risus frequens corrumpit mores. *9nò:* Incessus sit moderatus; quia S. Bernardus monet: sit in ingressu tuo simplicitas, in incessu honestas. Et Beda: Gressu corporis, habitus demonstratur mentis.

10mò: Omnes denique gestus, ac motus ædificationem pariant; nam juxta Bernardum: *animus in gestu corporis apparet: gestus signum est mentis.* Et S. Augustinus in Regul: In omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum; sed quod vestram deceat sanctitatem. *11mò.* His addit S. Ephrem: *Modestia cernitur in cibo, quando nec delicatioribus quis delectatur; nec extra præfinitum edendi tempus cibum appetit; nec dapum varietatem & pulchritudinem avidè requirit. In potu, quando non solùm vini, sed nec aquæ quidem potu immodicè fruitur* Huc spectant instructiones de accumbendo mensæ.

VIII. Ad 4tam speciem spectat *1mò:* Curare vestium munditiem, ùt præcipit S. Pater Const. p. 3. c. 1. Et S. Basilius in Reg. *2dò:* Cavere vestitum mollem; nam Augustus Cæsar, teste Macrobio; aiebat: *Vestitus mollis superbiæ vexillum est, nidusq; luxuriæ.* *3tiò:* Semper decenter vestitum esse; quia S. Isidorus

Reg.

Reg. c. 12. præscribit: *Monachi in monasterio palliis semper operiantur, ut pro honestate tecti incedant.* *4tò;* Etiam in cubiculo solum versantē decorè vestitum esse. De hoc tale præceptū dat S. Ambrosius Episcopo Constantio: *Et si quis solus est, se ipsum præ cæteris erubescat; quem maximè debet vereri.* Et Cato apud Plutarchū: unumquemque se ipsum maximè revereri debere; nunquam enim esse sinè se ipso.

5tò: Non egredi è cubiculo, nisì decenter vestitum; quia S. Bonaventura putat: *Sinè tunica talari prodire æquè indecorum esse Religioso, ac sæcularem nudum egredi.*

6tò: Decenter cingi: quia contrarium in Julio C. Vitium subjacebat scommati Syllanorum: *Cavete puerum malè præcinctum.* Sveton. *7mò:* Non discingi in publico; hoc enim, ait Nigronius, foret contra scripturam, Concilia, reverentiā aliorū; contra castitatem, & modestiam.

IX. *Remedia modestiæ.* *1mum* est amor disciplinæ; nā, ùt inquit S. Bern. Epist. 113. Disciplina mentē, & corpus componit, cervicē submittit; ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguā, gulam frænat, iram sedat, format incessum.

2dum medium: Meminisse, spectaculum se factum esse mundo, Angelis, & hominibus. P. Edmundus Campianus ajebat: *Ubicunque fuero, meminero me in orbis theatro versari.* *3tium*

est: interna compositio; ex hac enim procedere debet externa. Sicut tranquillitas maris externa inde provenit, quòd intus non turbetur. Maximè verò cohibendæ sunt passiones iræ, tristitiæ, ambitionis. *4tum* est: Habere fidos amicos, qui moneant, quoties difforme aliquid modestiæ adverterint. S. Carolus Borromæus duos Sacerdotes instituerat, ut mores ejus observâssent, & monuissent: Oculatiùs enim nos intuentur alii, quàm nos ipsi.

5tum: Crebra reflexio in suos mores; sinè hac enim homo cæcus est, veluti anus illa apud Senecam l. 6. epist. 51., quæ cæcam se esse, nesciebat, sed in tenebroso loco inclusam dicebat. *6tum* medium dat idem Seneca: *Versare cum Catonibus, & Scipionibus.* Ut enim ex plerisque herbis emanant odores, & virtutes sanativæ; ità ex consortio gravium, & modestorum emanat gravitas & modestia.

X. Anima mea, compone sensus ad leges modestiæ: etiam à licitis coërce, nè defluant ad illicita. Eva licitè convertit in pomum oculos; at per hoc ad illicitum ipsius esum delapsa. Non nimium culpanda Dinæ curiositas, quantam ei labem inspersit! Vix aperiuntur istæ fenestræ, quin per illas vel mors intret; vel virus, quod postea mortem inferat. Id S. Chrysostomus hom. 3. de verb. Isa. illu-

strat

ſtrat exemplô cervæ; quæ, licèt venatores effugit; quia tamen venenatũ excepit jaculum, perit miſerè. Nec tibi fide: nam *quantalibet gravitate mens vigeat, carnales tamen ſenſus pueriliter exteriùs perſtrepunt: & nisì refrænentur, ad fluxa quæque & levia mentem enervem trahunt.* S. Hieron. in Thren. c. 3.

MEDITATIO II.

De triplici ad Cælum via.

I. *Punctum 1mum.* Audiam Jerem c. 6. *Videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona; & ambulate in ea.* S. Thomas ſic explicat: *Speculamini, quæ ſit optima vivendi ratio. Conſiderate majorum veſtrorum exitus bonos & malos: & videte, an bonos ſequi cum bono exitu, an malos, cum malo, velitis.* 1*mâ* viâ tendunt, qui à mortalibus peccatis abſtinent; ſed de venialibus minùs ſoliciti. O præclaros Dei filios; qui, citra mortem, omnes injurias audent inferre Patri! Hi, quia modica ſpernunt, paulatim decident in maxima. 2*dâ* tendunt, qui venialia vitant, non tamen imperfectiones. At, ſicut venialia ſunt gradus ad mortalia, ſic imperfectiones ſunt gradus ad venialia. Scintillæ generant magnos ignes; rurſus ignes modici depaſcunt maxima: *Quantulus ignis quantam incendit ſylvam Jac 3.* 3*tiâ* tendunt, qui fugiũt etiam defectus leves.

II. *Punctum 2dum.* Quam ex his mihi viam eligam? Istas eligendi regulas proponit S. Pater: *1ma:* Quam viam eligendam suaderem illi, cui vellem optimè? hac igitur ipse gradiar. *2da:* Si nunc mors ingrueret; qualem me viam arripuisse vellem? *3tia:* Si jam ante Judicem Deum starem; an non præferrem 3tiam viam duabus prioribus? *4ta:* Si huc redire concederetur è purgatorio, quam viam sequerer? utique tertiam? hanc igitur tenebo. Id exigunt à me dignitas, bonitas, beneficia Dei. Exigit tanta Cælestis gloria bene currentibus præparata. O quàm difficiles vias init mercator, propter lucrum; urinator propter gemmas, venator propter feram, auceps propter aviculam! Exigit salus mea: qui scilicet relinquo viam planam, amænam, svavem; si hæc à latronibus obsidetur: & arripio minùs commodam, sed periculîs immunem. Exigit status meus; nam ad quid veni? cur sæculum reliqui? ad quid me tam graviter obligavi? utique ad sectandam altiorem, & altiorem perfectionem. Imperfectiones autem non vitare, & esse perfectum velle; est ablui sepiâ & candidum esse velle.

III. *Punctum 3tium.* Audiam Spiritum S. Prov, 26. v. 13. *Piger dicit: Leo est in via, & leæna in itineribus.* O mirificam Circen, Pigritiam; quæ leonem format ex formica! Via

Dei

Dei non caret obicibus, ſed qui ſuperari poſſunt ab omnibus, & ſuperantur à plurimis. *1mus* obex, humani ſunt reſpectus. At nonne potior reſpectus Dei? *Qui hominibus placent, confuſi ſunt.* Si hominibus placere vellem, Chriſti ſervus non eſſem. Tandem, quid magìs humanos conciliat reſpectus, quàm ſanctitas? *Alter* obex eſt, ætas, aut valetudo gravis: At maximè Senibus & infirmis, incumbit vitæ perfectæ ſtudium; ob vicinæ mortis periculũ. Gregorii, Baſilii, ſemper debiles corpore; ſemper affligunt corpus. *3tius* obex eſt horror difficultatis: At cur illam perfringunt alii? egóne primus, egóne ultimus in hoc ſtadio? Nonne difficiliora pro me ſuperavit Chriſtus, & pertulit? *4tus* obex, habitus pravi ſunt, & paſſiones indomitæ: At priùs erant evellendi pravi habitus, & ſubigendæ paſſiones; quàm cogitandum de hac ad Cœlum via tertia. Hæc & ejuſmodi alia obſtacula prætenſa in via perfectionis, juvabuntne coram Deo Judice? Aliter tunc ſentiam, ſed ſerò.

Quando veniam ante faciem tuam? quamdiu miſer jactabor in fluctibus mortalitatis meæ? Audi clamantem Domine! de hoc mari magno, & adduc me ad portum felicitatis æternæ! Aug. ſoliloq. c. 35. Aſſumat ſpiritus meus pennas, ùt Aquilæ; & non deficiat: volet, & perveniat uſque ad decorem domûs

tuæ,

tuæ, & thronum gloriæ tuæ; & ibi super mensam refectionis Civium Supernorum pascatur in loco pascuæ, juxta fluenta plenissima. Manual. c. 3.

REFLEXIO
Supra somnum, & supra manè.

1mò: an intentione recta concedis cubitum? an elevata? an extensa ad omnes offeribiles, etiam alienas motiones & mutationes? volendo etiam per singula respiria laudare DEUM; quod ipse docuit S. Mechtildem teste Blos. Mon. Sp. c. 9: & S. Gertrudem apud Ludov. Ponte Duc. Spir. trac. 4, c. 11. §. 6.

2dò: An bene digessisti cibum & potum; nè causet altum & gravem somnum? Nam Religiosus debet esse canis in dormitorio; juxta Ascetas. S. Hieronym. de se scribit: *Consvetudinem meam nôsti: brevissimô somnô utor, & quasi intervigiliô. Aliquando me dormivisse sentio, aliquãdo suspicor.*

3tiò: An ad lectum accedis tanquam ad lethum? an in illo te ponis, tanquam in sarcophago? Somnus enim juxta Philosophum: *est mors brevis.*

4tò: Proinde, an moribundo proprios actus elicis? nimirum: fidei, spei, charitatis, contritionis, propositi, deprecationis, subjectionis

nis dominio & voluntati Dei, gratiarum actionis pro beneficiis, tibi & aliis collatis, præsertim hac die; amoris inimicorum? An ſpiritualiter communicas? An vota renovas? Hæc omnia ſvadent Aſcetæ cum P. Drużbicki.

5tò: Cùm ipſe te diſponis ad requiem, an defunctis imploras requiem æternam? An oras pro peccatoribus; maximè nè hac nocte Deũ offendant? Hæc utraq; pietas delectat Chriſtũ, qui S. Gertrudi l. 4. c. 18. Inſin: dixit: *Qui pro animabus purgandis, & pro peccatoribus devotè oraverit; hoc tam dignanter acceptabo, ac ſi ad me incarceratum crebriùs veniendo, blandis conſolationibûs ſuis deſolationem meam ſublevâſſet.*

6tò: Expetiſne tibi ipſi gratias, ut ſanctè noctem tranſigas? commendâſne te Beatiſſimæ, S. Angelo tuo, ſanctis? quàm ardenter? quàm humiliter? quàm fiducialiter?

7mò: Proteſtaríſne, quòd nullatenus DEUM offendere velis; Unde ſi quid in ſomno minùs decens contigerit, id fore contra tuam voluntatem? Sic enim *non nocebit, quidquid per ſomnia pravè affecto corpore patiaris,* ùt revelatum. S. Mechtildi apud Blos l. c.

8vò: An etiam dormiens uſque ad ſangvinem reſiſtis phantaſmati, exempló S. Xaverii?

9nò: An Obdormire curas in affectu amoris Dei, ſub pedibus Crucifixi & Deiparæ? Chriſtus Dominus S. Mechtildi apud Bloſium Mon:

Spir:

Spir: c. 9. dixit: Cùm somni capiendi tempus appetit, & jam quispiam incubiturus est; is primùm de me pium aliquid animô volvens, *& amoris plenos mecum tacitus sermones miscens, venientem somnum excipiat.*

10mò: Comparâstíne actus pro intervigiliis: ùt svadet S. Theod Studita?

11mò: Usurpasne mortificationes? S. Paula, Elisabeth, Hedvigis, humi cubabant. Alii disciplinîs in se desæviũt; alii stãdo, alii genuflexi, alii cum P. Gonsalvo Sylveira in cilicio ferreo, Christo passo noctem consecrant: aliqui per aliquot ejus horas meditationi vacant præsertim Passionis Christi, cum S. Francisco Xaverio; vit: l. 6. c. 5. S. Rosa Peruana 16. annis, ligna septem imponebat lectulo, quibus testarum fragmina sic inserebat, ut pars mucronata obverteretur corpori: pro cervicali petram poligonam, & scabram adhibebat; felle fauces & os amaricabat. Hinc accedẽs ad stratum tota tremebat. Sed audiît à Christo: *Memento filia, longè duriorem fuisse lectulũ, in quo somnum mortis cepi.* Leonard Hansen: vit: c. 9.

12mò: Aspergísne tam te, quàm lectum aquâ benedíctâ ad abigendos dæmones? Vide Gretser: l. 2. de Bened: aquæ. c. 10. ad 20.

13tiò: Qua devotione signum crucis supra te formas, & super lectum? dæmones enim cha-

characterem hunc ſupremi Regis obſervantes, territi fugiunt: inquit S. Cyrill. Catech. 4.

14tò: Curàſne decenter ad quietem te componere? decumbere dextro latere?

15tò: An in formam crucis componis manus? Crux enim eſt lorica, qua Chriſti miles pectus muniat: ajebat S. Ephr.

16tò: An, ùt decet, te contegis? Nôſti, quòd Deipara viſitans Religioſorum cubicula, præteribat non bene tectos.

17mò: Aſſveviſtíne ſpirare JESU & MARIÆ nomina?

18vò: Perferſne patienter morſus vermium? S. Ludvina & P. Lancicius tarmites vulneribus reponebant.

19nò: An oras, ut tranquillè dormias? Sic orare Chriſtus docuit S. Gertrudem Inſin. L. 1. c. 52. Per tranquilliſſimam ſvavitatem, quâ ab æterno in ſinu Patris accubuiſti; & per amæniſſimam pauſationem in utero Virginali, qua novem menſibus quieviſti; & per jucundiſſimam delectationem, qua unquam in aliqua amante anima dignatus es delectari: rogo misericordiſſime Deus, ut non ad meum commodum, ſed ad æternam laudem tuam, mihi concedere digneris aliquantam requiem, qua laſſata membra corporis, uſui exercitationis reſtituantur.

20mò: An ſomno longiore non torpes? Grave

ve est: si te otiosum in stratis solis orientis radius inverecundo pudore conveniat; & lux clara feriat oculos, somnolento adhuc corpore depressos. S. Ambros. in psal. 128. ser. 19.

Supra manè.

Tota ferè humana dies pendet à manè. Si bonîs illam actibûs initiaveris, in talibus decurret. Sicut, quod primùm seminaveris in agro, hoc deinceps crescet, & augescet. Id sciens diabolus, inquit Cornelius à Lapide, evigilanti conatur objicere cogitationes fædas, mundanas, & vanas. Confirmat S. Climacus: *Est è spiritibus malis unus, qui præcursor dicitur; qui nos è somno surgentes protinus excipit, primùmque nostrum cogitatum inquinare nititur.* Ergo vide

1mò: An experrectus mox animum ad Deum elevas? per quos actus? quàm ferventer? Nam congruum est, ut filius somnô solutus, Patrem salutet. Catena Græca testatur, quòd lege cautum apud Judæos erat; ut à strato surgentes, Divina eloquia animô pertractarent.

2dò: An signo crucis te munis? Religionis hujus incurius, apud Cantipr: à Christo reprehensus; alter à dæmone vexatus. Thō. Kemp. L. 2. c. 12. ait: In cruce salus, in Cruce vita, in cruce protectio ab hostibus, in cruce infusio

sio supernæ svavitatis, in cruce robur mentis, in cruce gaudium spiritûs, in cruce summa virtutis.

3tiò: An venneraris Deiparam? an affectu S. Aloysii, Ven: Berchmans & aliorum? Infantes quoties expergiuntur, Matrem invocant.

4tò: An, etiam ante surgendi tempus, dum te plenè somnus deseruit, ideo non decumbis; ut indulgeas corporis lenocinio? tunc enim prava phantasmata dæmon ingerit: utì S. Macario sui discipuli sunt fassi.

5tò: An etiam de necessario somno detrahis? Arist: in æconom. monet: Opus est præmaturè surgere, quod & ad sanitatem, & ad curam rei familiaris, & ad studium Philosophiæ prodest plurimùm. Hoc implevit abundè S. Borgias, qui à media nocte meditationi vacabat, totúsque inflammatus extra se videbatur: vitæ l. 4. c. 4.

6tò: An ad primum ictum excitantis campanæ te proripis è lecto? *Horâ surgendi non te trices*: Eccli 32. Quæsiêrat B. Bertrandus ex Deipara: quid à se, propter eam, vellet fieri? & audiît: *Surge ad primum ictum signi dati.*

7mò: Consecráine linguam JESU & MARIÆ nominibus, exemplô plurimorum?

8vò: An eadem sacra nomina crucisque titulum figuras in fronte, ore, corde? Isto clypeo P. Młodzianowski, tutabatur se contra casus corporis & animæ. *9nò:*

9nò: An exoſcularis veſtē Religioſā, dum induis, vel exuis? oſculo huic annexā indulgentiā vide apud Lezana. t. 3. v. Habitus n. 12.

10mò: An in ornando te, decentiam omnem adhibes? An te ſic veſtis in conſpectu S. Angeli Cuſtodis, ac in conſpectu viri gravis? Ità ſemper verſari Lucilio ſvadet Seneca. Socrates & Cato dicebant: velle ſe cujusvis actûs habere ſpectatores omnes homines.

11mò: Quos actus elicis, dum veſtes induis?

12mò: An anili more non interpretaris ſomnia? quod omnes prudentes, etiam ethnici deteſtantur; utì Cicero de Divin. Quia multos errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in illis: Eccli 34. v. 7.

13tiò: An deteſtaris minùs honeſtum ſomniū?

14tò: Cùm ſomnus frater ſit mortis, juxta Homerum, aliqui poſtquam ſurrexerint, imaginantur ſe tanquam à morte redivivos; adeoque redivivis proprios actus eliciunt; prævident modos piè tranſigendi diem, & ſe propoſitîs muniunt contra defectus.

15tò. Perſeveráſne in actibus piis, & mente collecta ſaltèm ad meditationem? quia verè dixit Palæmon Abbas: *Qui ante orandum diſſipat animam, ex oratione nihil colligit.*

16tò: Quos exerces actus lavando faciem & manus? aliqui tunc animæ ſuæ maculas, alii conſputam Chriſti faciem, & manus perforatas,

tás; alii mortem cogitant. Teste P. Petro Cottono: Persona quædam vix hanc acceptavit pænitentiam, ut abluendo manus cogitaret: *heu carnem istam vermes exedent?* hôc modô vitam, & mortem sanctam est adepta.

17mò: An à surgendo rigidè silentium observas usque ad Missam?

18vò: An è cubiculo nonnisi decenter ornatus prodis? S. Ephrem Tr. 2. in doctr. var. c. 88. *Cum solo colobio incedere, monacho turpe est, & indecorum.*

19nò: An festinas quantocyus ad visitandùm Deum Eucharisticum? P. Theophilus Raynaudus sapientiâ clarus, illuc à nemine se præcurri passus.

20mò: An diurnis actionibus præfigis intentionem? Hæc est basis meritorum, amussis operum, pharos prælucens ad Cælum. Eam nō de consilio, sed de præcepto præfigendam probat S. Thom. 2. 2. q. 69. a. 1.

21mò: Illam, quàm crebrò renovas? P. Lancicius ad singulos passus renovabat. Saltèm ad horologii sonum, & notabiliores actiones est renovanda.

LECTIO SECUNDA

De perseverantia in bene cæptis.

Perseverantia, juxta S. Thomam, *2. 2.* q. 128.

128. Corp. est *in ratione bene considerata stabilis & perpetua permansio.* Triplex est: *1ma* vincit adversa. *2da* proponit perseverare in bono. *3tia* continuat cæptum bonum usque ad finem 1. 2. q. 109. a. 1. De hac 3tia nunc agitur.

I. Sublimibûs eam laudibûs efferunt SS. PP. Augustinꝰ Ser. 8. ad fr. eré. Perseverãtia informat meritũ, colorat boni propositũ, remunerat currenté, coronat pugnantem, ducit ad braviũ, conducit cunctos ad portũ. Hæc est tunica talaris S. Joseph, usque ad finẽ contingens; hæc est tunica Sacerdotalis, usque ad pedes perveniens; hæc est causa hostiæ, quã tenemur reddere Deo, & offerre; hæc est calcaneũ bonæ operationis, quod cõtra morsũ serpentis debemꝰ observare; hæc est virtus, quæ Deum ligat; hæc est, quæ omne bonum informat; hæc est perseverantia, qua laureantur Martyres, qua Virgines coronãtur; qua Sacerdotes sublimantur, & Cõfessores. Hactenus S. Doctor.

S. Laurentiꝰ Justin: *Perseverantia est singularis filia summi Regis*; quam, qui duxerit, dotis nomine cælum accipit, Deo colligatur, & fit unꝰ Spiritus cum eo: quo quid nobilius? quid utilius? quid svavius? *Est virtutum consummatio*: sinè qua virtutes aliæ sunt velut palatium absque tecto, indignum à Deo incoli. Meritò ridetur Lucæ 14, qui cæpit ædificare, & non potuit consummare. *Sinè qua, neque, qui pugnat,*

victo-

victoriam; nec palmam victor consequitur. Ad auroram usque luctatus Jacob, ut vicisset Angelum Gen. 32. Tu quomodo vinces tentationẽ, carnem, diabolum; nisi perseveraveris in pugna? Succumbes hosti, palmam amittes. *Est nutrix ad meritum.* Sinè hujus nutricis cibo, ad montem Dei Horeb, hoc est ad cælum, non pervenies. Si enim, Lucæ 9. Non est aptus regno Dei, qui mittit manum suam ad aratrũ, & solùm respicit retro: quantò minùs est aptus, qui cæpit excolere agrum animæ, & nedum retro respicit; verùm & laborem cæptum deserit?

Est mediatrix ad præmium. Sicut ad terminũ non pertingitur, nisi per medium; ità nonnisi per perseverantiam devenitur ad præmium. Rectè S. Isidorus Lib. 2. Sent. c. 7. Non inchoantibus præmium promittitur, sed perseverantibus; tunc enim placet Deo nostra conversatio, quando bonum, quod inchoamus, perseveranti fine complemus. *Est soror patientiæ.* Igitur, sicut patientia necessaria nobis est, ut reportemus promissiones; ità perseverantia. *In cassum quippe bonum agitur, si ante vitæ terminum deseritur; quia & frustra velociter currit, qui priusquam ad metas venerit, deficit:* inquit S. Gregor.

Est vinculum charitatis. Cùm & perfectio nostra, juxta S. Thomam, & juxta multos, ami-

citia Dei consistat in charitate: Si desit hoc vinculum charitatis, solvitur amicitia cum Deo, multòminùs ad perfectionem tenditur. *Est propugnaculum sanctitatis:* quô dirutô, ruit sanctitas. Tum plerique, tum juxta Cæsar: Arelat. & alios, Heli diu sanctè vixit: at ubi propugnaculū hoc corruit, damnatus est. *Non quæruntur in christianis initia, sed finis. Paulus malè cæpit, sed bene finivit: Judæ laudantur exordia, sed exitus proditione damnatur:* ait S. Hieronymus Ep. 10. ad Fursum. Item contra Jovin. *Incipere, plurimorum est; perseverare, paucorum: Unde & grande præmium eorum, qui perseveraverint.*

Pergit ulteriùs S. Laurent. in laudibus virtutis hujus: *Tolle hanc; nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Sola est, cui æternitas redditur; vel potiùs, quæ æternitati hominem reddit; dicente Domino: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Solum non perseverâsse, est amisisse coronam.*

Itaque, *væ his, qui perdiderunt sustinentiam; & qui dereliquerunt vias rectas, & diverterunt in pravas* Eccli 2. Super quod S. Gregorius lib. 5. in 1. Reg. cap. 13. *Sustinentiam perdunt, qui bona inchoant; non consummant.* Sanè væ! impēsè laborare, enixè currere, festinare totîs viribûs ad orientē; & infeliciter in occidente perenni sistere; ob abruptum, vel retroactum cursum.

O be-

O beata Ezechielis animalia, quæ non revertebātur, cùm incederent!

Peculiariter, sacrîs perfunctos exercitiis, ad constantiam in bono stimulare debet, *imò:* quia, cùm ex summo calore prodeant in frigus, periculosiùs frigescent; nisì calorem sollicitè tueantur, servando spiritum recèns haustum. *2dò:* quia virtutes, quas parârunt; necdum adeptæ robur; sunt quasi tenellæ plantæ: nisi magnô studiô foveantur, arescent. Sunt, velut semina nuper sata; nisì naviter protegantur contra volucres, seu dæmones, & contra spinas, seu passiones; actum de illis est. *3tiò:* Dona, quæ nunc descenderunt de sursum à patre luminum; sunt arma, quibûs militemus: sunt esca, quâ nutriamur; sunt talenta, quibûs negotiemur. Si negligantur; hostis potietur palmâ, fame conficietur anima, talentorum Dominus ad iracundiam provocabitur, dona repetet; ùt à servis nequam. Quô quid infelicius?

II. *Media* ad hancvirtutem.

Primum est Amor Dei: cùm enim omnia vincat amor, facilè vincet molestiam, ortam ex perseverantia in bono. *2dum* est, *desiderium proficiendi:* quô deficiente, frigescimus, & in vitia labimur. Ita Nanzian: Cave, nè unquam in via virtutis subsistas; tibi enim, qui à viti-

osa vita excessisti, perinde puto esse, sistere; ac si in imum vitii gurgitem labereris. *Justorum semita, quasi lux splendens, procedit, & crescit, usque ad perfectum diem Prov. 4. v. 18.* 3tium: assvescere primò in levioribus perseverare, & sensim ad graviora progredi. S. Dominicus Loricatus, rogatus, quomodo tātas austeritates ferre posset, respondit: à *parvis cæpi, & constanter gradatim ad majora perrexi; quæ mihi jam tam facilia sunt, quam olim erant parva. Labor enim laborem adescat, vigilias vigiliæ pariunt; & corpus, in quo sensim nutritur, in eo & roboratur.* Milo priùs vitulos portando, didicit portare boves.

4tum Dat Celantiæ S. Hieronym. nempe: *Oblivisci præterita opera bona.* Totum, inquit, spatium vitæ tuæ sit, ut peragere possis justitiā; nè, de præterita justitia confidens, remissior efficiaris. Sed, sicut ait Apostolus: *Posteriora obliviscens, ad ea, quæ sunt anteriora, me extendens, ad destinatum persequor bravium.* S. Antonius inculcabat suis: *Hodie vos religiosum stadium arripuisse arbitremini.* 5tum: Considerare exempla perseverantium. S. Petrus Dam. Lib. 7. Ep. 19. ad Blancham: *Nequaquam Loth sequeris uxorem, sed potiùs Annæ imitaberis stabilitæ virtutem; cujus vultus non sunt ampliùs in diversa mutati.* Quia, ùt explicat Gilbertus Abbas: *Nihil imminutum est desiderii semel concepti.* 6tū: Considerare breviatem laboris, æternitatem

præ-

præmii; ùt ſuum Joſaphatum docebat Barlaā, teſte Damaſceno. *7mum* eſt, humilitas; quia Deus humilibus dat gratiam perſeverandi. Unde Rupertus illud Apocalypſis 3. *Tene, quòd habes* (ſeu perſevera in bono) *ut nemo accipiat coronam tuam*: Sic exponit: *Tu in humilitate firmo pede conſiſte, nè moto pede corruas; & corruendo, coronam tibi præparatam amittas.*

III. *Impedimenta* Perſeverantiæ.

Currebas bene, quis te impedivit? *1mò*: *Amor caducorum bonorum*? vide, quàm vilî pretiô vendis cælum, animam, Deum. *2dò: Puſillanimitas*? Dic: omnia poſſum in eo, qui me confortat. Potuerunt hi & hæ, & ego non potero? Qui dedit velle, dabit perficere. *3tiò: Mutabilitas animi*? audi Hieronymum: Joſeph unum habuit propoſitum placere Deo, hoc nulla varietate temporis immutatum eſt, nec fratrū invidiâ, nec conditione ſervitutis, nec ætatis illecebrîs, nec Dñæ promiſsîs nec ſquallore carceris, nec tumore Ægyptiacæ poteſtatis: *ſed ſemper unus fuit.* Non ſequêris Joſeph? ſequêris eos, qui ſicut luna mutantur. *4tò: Ignavia*? Hæc quò te deducet? quomodo, qui adverſo flumine lembum trahit, ſi remiſerit manus, ſtatim retro labitur, & fluentibus aquis, quò non vult, ducitur: Sic humana conditio, ſi paululùm ſe remiſerit, diſcet fragili-

tatem suam: ait idem S. Doctor Lib 3. contra Pelag. 5tò: *Passiones indomitæ?* de his lectio 2da diei 8væ. 6tò: *Socii retrahentes, irridentes, murmurantes?* tales vicit Moysis constantia Exodi 5. Super quod Aug. Cùm quisque Christianꝰ cæperit bene vivere, fervere bonis operibus, mundumq; contemnere; in ipsa novitate operum suorum patitur reprehensores, & contradictores, frigidos christianos: si autem perseveraverit, & eos superaverit perdurando, & non defecerit à bonis operibus: iidem nobis obsequentur, qui antè prohibebant.

Hîs perpensîs: In bene cæptis nè deficias, in via salutis nè sistas; sic currito, ut cõprehendas. Ibi tu Christiane, tui cursûs profectûsq; fige metam, ubi Christus posuit illam. Factus est obediens usque ad mortẽ. Quantumlibet ergo cucurreris, si usque ad mortem non cucurreris; bravium non apprehendes. Bravium Christus est, quòd si illo currente, tu gradum sistis; nõ Christo appropias, sed te magis elõgas; timendumq; est tibi, quod ait David: *Ecce qui elongant se à Te Domine, peribunt.* Itaquè si proficere currere est; ubi proficere, ibi currere desinis; ubi verò non currere, ibi & non proficere incipis. Hæc S. Bernard: epist. 253.

ME-

MEDITATIO III.
Concludens Exercitia.

I. *Punctum 1mum:* Audiam S. Paulum Hebr. 6. *Terra bibens imbrem, proferens autem spinas & tribulos; reproba est, & maledicto proxima: cujus consummatio in combustionem.* Non possum negare, quòd per hos dies fecerit Dominus descendere ad me imbrem matutinum & serotinum, hoc est; gratias prævenientes, concomitantes, & subsequentes. Descenderunt sanctæ illustrationes sicut stillicidia stillantia super terram intellectûs mei. Vidi enim, non esse finem meum, ut fruar deliciîs, prout errabant ethnici Philosophi; ut vivam populari aurâ, velut Chamæleon; ut serviam Deo hujus mundi, id est ventri; aut illi diabolicæ trinitati: concupiscentiæ carnis, concupiscentiæ oculorum, & superbiæ vitæ: sed ut ad Deum trinum & unum contendam triplici viâ: *1mò:* servitiô, *2dò:* reverentiâ & timore, *3tiò:* laude & amore. Vidi pænas aberrantium ab hoc fine, mortem pessimam peccatorum, judicium sinè misericordia, supplicium æternum. Vidi, quid à me exigat Deus, Religio, conscientia. Descendit in terram voluntatis meæ pluvia *voluntaria* inspirationum, quâ humectetur, molliatur, frugificat. Putemne hæc dona temerè

merè & nullo collata fine? Væ mihi non minùs quàm Corozain & Bethsaidæ; si hæc cælestia semina ceciderunt inter spinas, vel in petram, vel secus viam!

II. *Punctum 2dum:* Ejusmodi terra *imò:* reproba est: quia Deus mandavit nubibus, nè pluant super illam imbrem auxiliorum efficacium. Nam ex mente S. Cypriani: Deus deserit, à quo deseritur; spernit, à quo spernitur; non loquitur, à quo non auditur; excæcat, qui cæcutit ad ejus lumina. *2dò:* Inquit Apostolus: talis terra *maledicetur* à Deo, tanquã montes Gelboe, quia ibi frustra ceciderunt tot fortes instinctus, lumina, piæ affectiones. Maledicetur à S. Patre, quia in ea laborem perdit. Maledicetur à plerisq; qui per hæc exercitia ex Babylone accesserunt ad civitatem Dei viventis, Jerusalem cælestem. Maledicetur à Religione, quam in re gravi decipit & ludit. *3tiò: Consummatio ejus in combustionem: dabitur in escam igni*, utinam non æterno. Si enim servus nequam, cujus Dominus ventrem pascit, vapulabit multîs: quantò magìs servus nequã, cujus animam pascit Deus innumerîs gratiîs!

III. *Punctum tertium:* Audiam Christum Matth. 9. *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Jamne sanus factus sum? jamne sinè metu irem nunc in domum meam? in domum æternitatis? sin minùs, timendum illud

decre-

decretum: *Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.* Si jam sanus sum, hujus tria dat signa S. Bern. de 4. mod. oran. *1mum:* inquit, si jam surgis desideriô supernorum; *2dum:* Si grabatum tollis; corpus scilicet à terrenis elevans voluptatibus, ut jam non feratur anima concupiscentiîs ejus, sed magìs ipsa, ùt dignum est, regat illud, & ferat, quò non vult. *3tium:* Si demum *ambulas*, quæ retro sunt, obliviscens, & ad ea, quæ ante te sunt, te extendens desideriô & propositô proficiendi: curatum te esse non dubita. Non ergo sufficit sanari, sed *1mò: Surgendum est* de pravis habitibus. *2dò: Tollendæ* occasiones morbi. *3tiò:* Vadendum de virtute in virtutem; donec videatur Deus Deorum in Sion, ubi nostra domus est. Aliàs recidetur in morbum, quod plerumq; fatale est. Quia per relapsus Deus avertitur, impediuntur & infirmantur gratiæ; invalescunt vitia, homo fit pronior ad ruinam, debilior ad resistendum tentationi, dæmon potentior & audacior, passiones vehementiores, remedia lentiora. Vera conversio exigit, ut non eatur in antiquam sylvã defectuum. Sic Matthæus ad telonium, Magdalena ad vanitates, Zachæus ad fraudes nõ rediît. At uxor Lothi in lapidem salis versa, quòd respexerit illuc, unde exivit. Nec Christus legitur, quempiam bis vel ter resuscitâsse, sanâsse, absolvisse.

IV.

IV. *Punctum 4tum:* Audiam Prophetam: 3. Reg. 18. *Usquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum; si Baal est Deus, sequimini illum.* Anima mea! quē hactenus es secuta? quem tibi deinceps sequendū eligis? Via Baal est via iniquitatis, via polluta, via Jeroboam, via inferi, via lata, quæ ducit ad perditionem. Via Christi est via recta, via mandatorum Dei, Ecclesiæ, Religionis; via crucis, via arcta, quæ ducit ad cælum. Perge ergo, perge, quâ viâ vis, & quò vis. At nisi sequaris Christum, qui est via vitæ; vide *1mò:* quò pervenies? *2dò:* quàm rigidam olim rationem reddes singularum meditationum, reflexionū, luminum, instinctuum? *Remissius erit Tyro & Sidoni in die judicii.* *3tiò:* quàm abuteris patientiâ Dei, qui te sterilē ficū non succidit, non arefacit, non privat gratiis, sed tolerat & expectat. *4tò:* quod operæ pretiū erit, vacâsse te exercitiis per hos dies? an non hoc, ut illos frustra perderes? ut districtiùs judiceris, & graviùs puniaris? ut illuderes S. Patri, Religioni, quin & ipsi Deo? sed Deus non irridetur. *Meliùs erat non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti 2. Petr. 2.*

In Colloquio agam gratias, erubescam de negligentiis, dolebo, deprecabor, petam veniam & auxilia. Deinde: Dominus Deus auxiliator meus! Deus salus animæ meæ! Iste De-

us meus, & exaltabo eum; Deus Patris mei Ignatii, & glorificabo eum; vitāq; meam disponam dehinc ad majorem ejus gloriam. Dixi, nunc cæpi vivere tibi; *custodi in æternùm hanc voluntatem cordis mei, & semper in veneratione tui mens ista permaneat* 1. *Paral.* 29. Confirma hoc, quod operatus es in me, & qui dedisti velle, da perficere. *Inspira in me opus sanctum, ut te cogitem: compelle, ut faciam: suade, ut te diligam: conserva, ut te teneam: custodi, nè te perdam.* S. Augustinus.

Suscipe Domine universam libertatem &c. vel: Anima Christi &c.

Te Deum laudamus.

Thomæ Kemp. L. 1. c. 25. L. 3. c. 35.

Si non locutus fuissem eis, peccatum non haberēt: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Joan. 15.

Sanitate indignus; qui seipsum, postquam sanatus est, vulnerat, nec mundari meretur, qui seipsum post gratiam coinquinat. S. Chrysost.

Audi Patrem erudientem, nè sentias judicem punientem. S. Augustinus.

Ad Majorem DEI Gloriam.



RE-

PRO RENOVATIONE I.

Nuptiæ factæ. Joan. 2.

Renovatio noſtra eſt renovatio Sponſaliorum cum Chriſto.

MEDITATIO I.

Anima tenetur implere, quod ſpopondit Sponſo Chriſto.

I. *Punctum 1mum:* Audiam Eccleſiaſticum c. 14. v. 11. *DEO dignas oblationes offer.* Quid offeram dignum dignitati DEI? *Vota mea Domino reddam*, his digniùs nihil habeo. Nam *1mò:* ſunt hoſtia placationis, hoſtia laudis, holocauſta præſtantiſſima. *2dò:* ſunt odor ſvavitatis, hoſtia accepta, placens DEO. Quare Pſal. 75. dicitur: *Vovete & reddite Domino Deo veſtro.* Super quod Auguſtinus: *Quisq; quod poteſt, voveat, & reddat. Non ſitis pigri ad vovendum, non enim viribûs veſtris implebitis:* ſed DEUS ad implendum pergratum ſibi promiſſum, vires cōferet. *3tiò:* Sunt martyrium tantò nobilius, quantò longius. S. Bern. S. 30. Cant. *4tò.* vota fecerunt Apoſtoli, ùt docet S. Thomas 2da 2dæ quæſt. 88. a. 4. ad 3. fecit Deipara, fecit Chriſtus; ùt probat Suarez 3. p. q. 40.

40. diſt.20.ſect. 2. & Salmeron tom.5.tract.4. Non enim vovendi hæc eſt ſola cauſa, ut firmetur fragilitas voventis; ſed etiam ratio majoris meriti. O quàm pulchrum, quàm utile, quàm ſvave hos Duces ſequi: *5tò:* Vota ſunt initium vitæ cæleſtis: nam in cælo terrenum nihil appetetur: erunt omnes, ſicut Angeli DEI; obedient perfectè DEO. *6tò:* Voventi & reddenti nunc indulgentiæ plenariæ, poſthac æternæ vitæ ſunt cauſa.

II. *Punctũ 2dũ.* Præſtantiæ votorũ tres alias cauſas affert S. Thomas l. c. a. 6. *1ma eſt:* quia opus ex voto factũ, v. g. jejuniũ, digniùs eſt, & plùs meretur: quia eſt actus non ſolùm temperãtiæ, ſed etiã Religionis, quæ princeps eſt moraliũ virtutũ. Conſonat Salvianus l. 2. ad Eccles. Cathol. *Sicut Religio melior eſt irreligioſitate; ſic melius eſt jejuniũ votũ, quàm non votum.* Et Auguſtinꝰ l. de Virg. c. 8. Honoratiùs in animi bonis illa cõtinentia numeranda eſt, quâ integritas carnis ipſi Creatori animæ & carnis cõſecratur, vovetur, fovetur. *2da ratio:* quia qui vovet aliquid & facit; & opus offert, quod vovit: & voluntatem; adeoq; plùs offert. Sicut plùs daret homini, qui daret ei arborem cum fructibus; quàm, qui daret ei fructus tãtùm; inquit S. Anſelmus. c. 84. *3tia ratio:* quia *per votum immobiliter voluntas firmatur in bonum. Facere autem aliquid ex voluntate firmata in*

bonum; pertinet ad perfectionem virtutis; ùt patet 2. Ethic. c. 4. Sicut etiam peccare mente obstinatâ, aggravat peccatum, & dicitur peccatum in Spiritum Sanctum. Hæc S. Doctor.

III. *Punctum 3tium.* Audiam Eccles. c. 5. v. 3. *Quodcunq; voveris, redde; multoq; meliùs est, non vovere; quàm post votum promissa non reddere.* Cogitabo *imò:* Non reddere votum, *non est mentiri hominibus, sed DEO.* Non est quodcunq; peccatum, sed sacrilegium. Non est quodcunq; sacrilegium; sed quo nullum est deterius. Ità S. Bernar: ep. 353. *Nullum sacrilegium reperitur deterius, quàm in voluntate semel oblata DEO, recuperare potestatem.* Non est sacrilegium inter deterrima quodcunq; sed infame nimis: quia est furtum rei dicatæ DEO: *quia contrectatio rei alienæ invito Domino, furtum est:* Religiosus autem *quidquid est, & habet, non ejus est, sed DEI,* inquiunt Basilius in Reg. fus. & Bernardus ser. 19. in Cant. & Pinufius, teste Cassiano inst. renunt. l. 4. c. 36. tyronem sic monebat: *Cave, nè quid eorum ampliùs resumas, quæ renuntians abjecisti.* Cogitabo *2dò:* Cui vovi? vovi DEO meo maximo: ipsine illudā? Ah! *DEUS non irridetur.* Cogitabo *3tiò:* Coram quo vovi? vovi *coram Sacratissima Virgine MARIA, & curia cælesti universa.* Heu, quot olim stabunt testes, accusabunt, convincent, arguent, damnabunt!

IV. *Punctum 4tum:* Audiam DEUM Isaiæ 61. v. 8. *Ego Dominus odio habens rapinam in holocausto.* Vota & reddenda, & fideliter reddenda: quia *displicet DEO infidelis & stulta promissio.* Unde S. Fulgentius de deb. conjug. c. 8. *Quàm sit malum, quàm sollicitè fugiendum; si quis de hoc, quod DEO voverit, retinere, aut rapere, mortifera prævaricatione pertentet; exemplo sit Ananias & Sapphira;* qui tertiam rapuerunt partem de rebus votis. Rapina verò est, *1mò:* aliquid habere proprium. Tales etiam exhumandos, & sepeliendos ùt asinos, statuit Clemens III. c. super quodam. & Innocentius III. in Conc. Later. cap. Monachi. Sic à Sanctis Macario & Isidoro sepultus Monachus, penes quem inventi 5. solidi; clamantibus omnibus: *Pecunia tua tecum sit in perditionem;* ùt scribit S. Hieronymus Epist. 22. ad Eustoch. Sic Januarius Monachus, ùt scribit S. Augustinus. Sic alius apud S. Gregorium l. 4. dial. c. 9. Sic item alius apud Cæsarium hist. l. 9. c. 64. *2dò:* rapina est, disponere de aliqua re cum licentia interpretativa; dum expressa potest obtineri. *3tiò:* rapina est habere superflua, quàmvis cum licentia. S. Bernardus ait: *Si quid habes ultra victum & vestitum simplicem, non tuum est, rapina est, sacrilegium est.* Licèt enim talis non peccat contra obedientiam; peccat tamē contra paupertatem, nam superior non potest

sinè

sinè gravi causa, rescindere subditi contractū, v.g. paupertatis, legitimè cum DEO factum. Trident. Sess: 25. c. 2. de regular. *4tò:* ex hoc ipso: Rapina est, modîs indebitîs consequi dimissionem, vel relaxationem voti: & talem velut apostatam obligat votum coram DEO; coram quo nulla succedit fraus.

Anima mea, vide, num tuæ paupertatis murus non hiat per rimas; num castitas imitetur Angelicam; num obedientiæ cadaver non revixit nequiter? Erubesce, dole, deprecare, propone, pete gratiam; & fideliter redde Altissimo vota tua.

MEDITATIO II.

De renovando amore erga Sponsum Christum.

I. *Punctum 1mum:* Audiam S. Paulum 1.Cor. 16. *Qui non amat Dominum nostrum Christum, sit anathema.* Amorem Christi svadet *imò* justus metus, nè simus anathema: hoc est, nè Christus nos execretur, & separet à se: ùt explicat Justinus q. 122. Svadet *2dò* præstantia virtutis hujus, quæ scilicet nos facit Seraphinos; ùt fecit S. Franciscum. Facit filios DEI; quia: *Omnis, qui diligit, ex DEO natus est.* Joan. 4. Facit similes DEO; quia juxta Climacum grad. 30. *est similitudo DEI.* Ipsum DE-

UM triumphat; inquit S. Bern. Serm. 64. Est regina virtutum; juxta Basilium. Est mater virtutum, illas generans, fovens, & alens; juxta Laurent. Justin. l. de ligno vitæ c. 4. Est anima virtutum; juxta Augustinum. *3tiò:* svadet ejus utilitas & necessitas: nam idem Augustinus in Psal. 121. ait: Nos quasi duabûs alis charitas ad cælum extollit; amore DEI, & proximi. Audet item dicere: *Sola charitas est, quæ nos perducit ad DEUM.* Puta in sensu Bullæ: *Unigenitus.* *4tò:* svadet æquitas: quid enim justius, quàm redamare Christum sic amantem? Recolam ejus beneficia generalia & particularia. Hæc si non merentur, ut amem ipsum; quid illi præscribam amplius, quo mercetur amorem sui? *5tò:* svadet facilitas: Non enim diligendo manus lassantur, vel brachia luxantur, vel pedes laborant; inquit Hieronymus. Non dicitur mihi: perfer tormenta, sis ex eis, qui Hebr. 1. lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt, circuîerunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, augustiati, afflicti. Sed mihi dicitur: Fac hoc, quod facit DEUS; quod faciunt Beati, quod te beatum faciet; sinè quo beatus esse vix potes. *Dilige Dominum DEUM tuum.* O verè, Ephraim sum delicatus DEO, dū à me tam parum exigit.

II. *Punctum 2dum:* Audiam à matre mea Re-

ligione dici mihi 2. Mach. 7. *Peto nate, ut ad cælum aspicias.* Vide, quæ præparavit DEUS iis, qui diligunt illum: vide, quod oculus non vidit, nec auris audivit. Vide jucunditatem & exultationem, quam thesaurizat super fideles in dilectione Dominus. Ibi te tuus expectat Magister Christus discipulum, promovendum ad gradum & lauream Beatorum: si præbeas ei cor tuum. Expectat Mater Societatis Maria; si filius sapiens lætificas Matrem tuam, amando JESUM. Expectat triumphantium Sociorum exercitus, de sua felicitate jam securus; adhuc de tua solicitus. Inclamat: Eja miles Christi, vince, non carnifices non rotas, non equuleos, non ignes: sed tui frigus in amando Christo. Ex ejus amore sta in acie, dimica fortiter. labora, sicut bonus miles Christi sede, tace, desuda, sustine vigila! Vide, quæ te maneat requies, quæ merces, quæ corona! Expectat te tuus Pat. Ignatius. & exclamat: Fili si dederis omnem substantiam pro dilectione Christi, quasi nihil despicies eam. Da tua, da te, da omnia; ut hanc pretiosam margaritam compares. Cæli aspice, regnum amoris. fomitem amoris, præmium amoris. & sordebit tibi terra; sicut sordebat mihi. Christus erit tuum gaudium tuum desiderium. tuus amor, tua omnia.

III. *Punctum 3tium:* Quærit ex me Christus

Joan.

Joan. 16. *Amas me?* respondebo: Tu scis Domine, quia amo te. At Christus exigit amari *imò: ex toto corde*, seu juxta Chaldæum: *Ex toto valde*: hoc est, omni conatu & intensione. Hinc S. Bernardus ait: *Modus diligendi Deum, est, diligere sinè modo.* 2dò: exigit Christus amari *ex tota anima*, seu ex tota mente, hoc est, ut intellectus jugiter Christum cogitet; quia S. Bernardus ait: *Omne tēpus, quo de ipso non cogitas; perdidisse te putes.* Voluntas, ut nihil amet, nisì Christum, vel propter Christum; inquit Hugo Antiochenus. Ut Christus à memoria non recedat: *Cave, nè quando obliviscaris Domini*; Deut. 8. 3tiò: exigit Christus amari *ex tota fortitudine*, seu totis viribus: *ut nec mori pro amore ejus pertimescas*; dicit S. Bernardus Serm. 20. in Cant. Nascitur hic amor ex appretiatione Christi super omnia. Unde monet Thomas Kempensis de imit. l. 2. c. 5. Nihil magnum, nihil altum, nihil gratum, nihil acceptum tibi sit: nisì purè DEUS, aut de DEO sit. Quia: *Amans DEUM anima, sub DEO despicit universa.*

Anima mea, si non posses aliter amare Christum, (inquit Asceta noster) deberes omni felicitate privare te, ut illum ames. At tu privas te felicitate perenni, ut ipsum non ames. Quanta fatuitas! O JESU serò te amavi, pulchritudo tam antiqua, & tam nova; serò te

te amavi! tu intus eras, & ego foris; tu mecum eras, & ego tecum non eram. Væ tempori, quo te non amavi, *Aug.* meta cordium, voluptas animæ, nectar intellectûs, volũtatis & memoriæ cælica dulcedo, centrum amoris. JESU summa benignitas, mira cordis jucunditas, incomprehensa bonitas, tua me stringit charitas. *Bern.* Divine Spiritus, amor æterne, infunde amorem cordi meo, inflamma pectus gelidum. O cælum, ô amoris patris, quando me recipies, ut ardeam amore JESU!

In fine Affectus S. Xaverii; O DEUS ego amo te, nec amo te, ut salves me &c.

MEDITATIO III.

De renovanda imitatione sponsi Christi.

I. *Punctum imum.* Audiam S. Paulum: *Quos præscivit & prædestinavit, conformes fieri imagini Filii sui:* Conformem fieri imagini Christi, est depingere in se Christum: depingere in se Christum, est imitari Christum. Hanc imitationem exigit, imò ipse Christus; quia: *Propter hoc naturam nostram suscepit, ut in se velut in tabula quadam, veram veritatem & virtutem depingeret, eamq́; nobis omnibus, tanquàm Archetypum imitandum proponeret;* inquit S. Basilius. Serm:

 de

de renun. Hinc S. Gregorius ait: *Quod quisq; vitæ suæ est pictor; & artifex hujus operis est voluntas; colores autem sunt virtutes; exemplar Christus esse debet.* 2dò: exigit salus nostra: non enim possumus aliâ viâ Cælum ingredi, nisi quâ Christus ingressus est: nam non aliâ viâ possunt ingredi membra, nisi quâ intravit caput. 3tiò: exigit aliena salus: cùm enim matrisent filioli, quos iterum parturimus, donec formetur Christus in eis; clarè sequitur, quòd priùs in nobis Christus efformari debeat, ut formetur in illis: nam oportet, ut priùs in nobis exprimamus factis, quod svademus verbis; quia non prosunt Apostolica verba, si desint exempla. Tale judicium est S. Gregorii. Præf. ad lib. dial. *Ad amorem Patriæ Cælestis plùs exempla, quàm prædicamenta succendunt.* 4tò: exigit status Religiosus, seu tendentia ad perfectionem; nam ad perfectionem tendere, non est aliud, quàm sequi Christum. Unde Cassianus Instit. abre. c. 32. ait: quòd abrenuntiatio seculi, est imago Christi. 5tò: exigit ratio Christiani: nam S. Cyprianus de hab. Virg. ait: *Qui esse cupimus Christiani, debemus, quod Christus fecit, imitari. Qui dicit se in Christo manere, debet, quomodo ille ambulavit, & ipse ambulare. Ambulandum est igitur vestigiis paribus, & æmulâ ingressione nitendum est.* 6tò: exigit ratio hominis: quia juxta S. Leonem Serm. de

jejun. 10. Mens. *Homo ideo creatus est, ad imaginem Dei, ut sit imitator sui authoris.*

II. *Punctum 2dum.* Audiam Ecclesiasticum: c. 23. *Gloria magna est, sequi Dominum.* Cogitabo: *1mò:* si Armiger Jonathæ. 1. Reg. 12. magnam promeruit gloriam: quòd in arduam rupem est secutus herum; quantam Christianus merebitur, si sequetur Christum, ac etiam ad rupem Calvariæ? *2dò.* Tertullianus censet, nihil esse dignius nomine Christiano porro juxta S. Clem. Alex. Strom: *Ille tantùm Christianus est, qui Christum sequitur;* sicut Ciceronianus, qui Ciceronem sequitur. *3tiò:* illa æstimatur imago præstantissima, quæ genuinè rem exprimit, cujus est imago. Jam ex mente Cassiani I. c. tota vita Religiosa nîl est aliud, quàm effigies Christi. Christum itaq; quantò perfectiùs in se depinget, tantò magìs æstimari merebitur. *4tò:* si filii hujus sæculi honori sibi ducunt, quòd ad exempla Regum componant mores; quantus honor erit, componere mores ad exemplum Regum Regis Christi! *5tò.* S. *ad humanam pertinet laudem ut Patrum decus in prole resplendeat; quantò magìs gloriosum est, ex Deo natos, in Authoris sui imagine fulgere!* inquit S. Leo.

III. *Punctum 3tium.* Quod nos arcet, ab imitando Christo: *1mum est: Horror difficultatis;* quia rectè Thom. Kemp. Imit. c. 25. l. 1. ait: *Unũ est, quod multos à profectu, & ferventi emendatione*

retra-

retrahit, horror difficultatis. enimverò illi maximè in virtutibus proficiunt, qui ea, quæ sibi magis gravia sunt, viriliùs vincere nituntur. Et Hierony: *Tantùm proficies, quantum tibi vim intuleris.* Quod ut prestes, cogita frequenter, inquit idem Thom. Kemp. ibidem: *Ad quid venisti, & cur sæculū reliquisti?* Ità se animabat Arsenius & alii. *2dum est:* neglectus gratiarum urgentium nos, ad imitandum Christum. At Chrysos. monet: Justô Dei judiciô fit, ut qui gratiam vel neglexerit, vel depulerit, abutens donîs Dei, & talentîs summi Patris familias, dum fas erat; postmodum ad eam veniendi, nequaquam recursus habeatur. *3tium est:* passiones indomitæ, quæ nos impellunt ad sectanda sensualia. Ità sentit Thom. Kemp. *Totum & maximum impedimentum est, quia non sumus à passionibus liberi.* Contra hoc impedimentum militat lectio de mortificatione passionum. Tandem omnia, quæ nos ab imitatione Christi retrahunt, facilè franget; qui æstimationem ejus conceperit. Nam tantò viriliùs nitimur ad aliquid, quantò magìs illud æstimamus.

Anima mea, placet consequi Christum? sequendus est. Placet sequi? sectandæ virtutes ejus. Nam: *In cassum laborat in acquisitione virtutum, qui eas alibi, quàm in Christo quærit,* inquit S. Bernar. Placet sublimis virtutum perfectio? nulla est certior tutiorq; ratio ad perfectionis

nis apicem perveniendi; quàm peritum itineris sequi ducem ait S. Xaverius. Quis autem Peritior dux, quàm Christus; qui sic est Dux ad apicē perfectionis, ut simul etiam sit via? de qua S. Aug. In Psal. 109. *Parum erat Deo, ut filium suum daret demonstrationem vitæ, eum ipsum viam fecit regentem te.* Placet corona virtutum non vulgaris, hoc est magna Cælestis gloria? *Quantò se quisq; Christo in virtutis imitatione hic conformare studuerit, tantò ei in prima gloria & claritate appropinquabit, & similior erit;* dicit S. Bonav. In quo verò maximè Christum imitari debeas: ipse docet Lucæ 9. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.*

MEDITATIO IV.

De non deserendo sponso, seu de renovanda æstimatione Vocationis Religiosæ.

I. *Punctū 1.* Audiam David. Psal. 123. *Anima nostra erepta est de laqueo venantium.* Unde me Deus vocavit? vocavit me ex præsenti sæculo nequam, ubi, ut ait Origenes; *Omnia retibus plena sunt, diabolus laqueis cuncta implevit.* O! miseram sæcularium sortem! *imò in vita* quantus labor circa bona Corporis, famæ, fortunæ! quan-

quantûs metus, ne pereant! quantus dolor, si pereant! quanta illorum pericula ab elementis, hostibus, æmulis, domesticis, falsis fratribus! & ecce in his omnibus laqueis dicit S. Ambrosius lib. de bono morali c. 5. *Laqueus in auro, viscus in argento, nexus in prædio, hamus in prælatione, clavus in amore.* I. Timoth. 9. *Qui divites fieri volunt, incidunt in laqueum diaboli.* Porro per divitias, hoc loco, apud Cornel: à Lap. intelligitur: *mens vana, cupida, deliciosa, superba.* Rationem dat S. Thomas. Quia divitiæ sunt medium ad delicias & superbiam. *Heu quàm paucos inveniemus*, inquit Bernardus, *qui ab hoc liberati laqueo, exultent? quàm multos, qui dolent, quòd parum sibi videntur irretiti; & adhuc, quantum possunt ipsi, se involvere ac intricare laborant!* 2dò *in morte.* Quem curæ mundi absorbuerant, ac merserant in desideriis vanis; dum eum occupant laquei mortis, vix emergit ad cælestia. Adstant domestici, lugent; sed de studio salutis ægro mentionem non ingerunt; sua Commoda promovent, dolore inutili moribundum laniant. Conscientia clamat: *Et hæc, quæ parâsti, cujus erunt?* justéne parâsti? laborâsti, quid comparâsti pro æternitate? O! si tantum laborâsses pro cælo? quantum pro inferno. Hinc timor, mæror, angor, desperatio. Tunc experitur, quod dicit Ambros. *In medio laqueorum ambulas; quia*

vitia,

vitæ, tot retia; quot peccata, tot laquei. *gtiò post mortem.* Ratio exigitur de domesticis, clientibus, subditis, amicis, inimicis, de minimo nummo acquisito, & expenso: itur in interitum laquei. Meritò S. Antonius, teste Athanasio, vidit totum mundum laqueis obtensum, in quos incedebant animæ; & exclamavit: *Domine quis evadet hos laqueos?* ac audivit. *Humilitas:* quæ virtus, quia in mundo vix locum habet, quis est modus evadendi laqueos.

II. *Punctum 2.* Audiam David psal. 83, *Quàm dilecta tabernacula tua Domine? concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Quò me Deus vocavit? vocavit me de tenebris in admirabile lumen suum; ex tabernaculis peccatorum, in tabernacula sua; è Babylone, ad Hierusalem cælestem, ad visionem pacis internæ, ac externæ; scilicet ad Religionem; ubi non est peccandi materia, non est *Meum ac Tuum* frigidū illud verbum, & quidquid est malorum, in vitam nostram invehens, inquit Chrysostom9. Ubi DEI laudes cunctæ personant; ubi singulis in sodalibus videtur DEUS; ubi Christi voces audiuntur: *Qui vos audit, me audit:* ubi vivitur vitâ Christi, qui se in instanti unionis hypostaticæ votîs obstrinxit religiosîs; ut probat Suarez in 3. p. tom. 2. disp. 28. sect. 1ma: Tandem ubi juxta Bernardum, *Homo vivit puriùs, cadit rariùs, surgit velociùs, incedit cautiùs,*

tiùs, rigatur frequentiùs, fructificat uberiùs, m ri-tur securiùs, purgatur citiùs, præmiatur copiosiùs. Vocavit me Deus ad eum statum, qui juxta Hieronymum, est pretiosissimus lapis inter decora Ecclesiæ; juxta Nazianzenum primitiæ Religionis Christianæ, & corona fidei; juxta Bernardum, *margarita evangelica, pro qua danda omnia; vita beata; paradisus terrestris.* Vocavit me ad eum statum, in quo centuplum accipitur in hac vita, & vita æterna possidebitur: in cujus susceptione omnis deletur pœna, sicut per Baptismū; ùt docent SS. Hieronym: Bernard. Thomas, Antoninus: in quo omnes sunt ministri Christi Regum Regis, honorificandi olim à Patre; genus electum, gens sancta, populus acquisitionis.

At æstimatio Vocationis est vana, nisì præstem id, ad quod vocatus sum. Unde.

III. *Punctum 3.* Audiam Christum Math. 5to: *Estote perfecti.* Ad quid me vocavit DEUS? ad parandam utiq; perfectionem. Quia juxta S. Thom. 2. 2. q. 186. *Status Religionis, est quadam disciplina vel exercitium ad perfectionem perveniendi:* hoc est, ad perfectam charitatem; quia inquit, *Ipsa perfectio Charitatis est finis status religionis.* Religiosus ergo non tendens ad perfectionem, mortaliter peccat. *imò:* quia ùt probat S. Thom. tum alibi; tum præsertim in 2. ad Corinth: 13. S. Hieronym ad Helio-

dor.

dor. Euseb. Emiss, Azor, Pelliz. tr. 5. quia, inquam, talis votum violat tendendi ad perfectionem, quod em fit per ingressum religionis: Sicut per ipsam susceptionem Sacerdotii vovetur castitas. *2dò:* quia talis non potest excusari à contemptu, saltem virtuali, perfectionis. *3tiò:* quia talis graviter peccat contra justitiam; tum quia contravenit contractui inito cum Religione; quæ ipsum eatenus alit, instruit, fovet, curat; quatenus promisit se curaturum perfectionem. Tum quia injustè fruitur privilegiis, exemptione ab oneribus; fundationibus, eleemosynis, quas fideles hoc titulo conferunt Religiosis, quòd sint Religiosi, seu quòd tendant ad perfectionem. *4tò:* quia juxta S. Thom. 2. 2. q. 184. a. 4. talis peccat hypocrisi & mendacio in re gravi, dũ se simulat Religiosum, & non est. Plures ibi rationes affert S. Doctor. Concludit Petrus Cluniacensis lib. 1mo collect: *Istos devorat infernus, qui sub vestitu Religioso negligenter vivunt.*

Expergiscere anima mea, expergiscere! quid sopore opprimeris, dum salutis tuæ navis periclitatur conteri? Voca ad calculum omnes à novitiatu Annos, menses, dies; expende, quãtùm in singulis perfectionis accesserit! O Deus! ultionum Domine! pones aliquando mecum rationem vitæ meæ, occasionum proficiendi, auxiliorum, temporis nequiter transacti. Heu

quò à facie tua fugiam? Videbo tunc, at serò, me nec Religiosum, nec secularem vixisse: sed monstrum quodpiam, ex utroque compositum. Periit miserè tantū tempus: illud jam revocare non possum, verùm deinceps recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, & ulteriores ad tuam quàm maximā gloriam disponam. Adjuva me Deus salutaris meus.

MEDITATIO V.

De renovāda observatione legū Sponsum Christi obligantium.

1. *Punctum 1mum.* Audiam Moysen Deuter. 5. *Non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram; sed per viam, quam præcepit Dominus, ambulabitis; ut vivatis.* Ambulandum est in lege Domini, seu per viam regularum. *1mò.* quia id est honestum coram Deo, & hominibus: sicut è contra, declinare ab hac via, est incurrere apud Deum, & homines infamiam; quia est, Deo, & Religioni turpiter fidem frangere. *2dò* quia nihil magis delectat animam Religiosi, quàm hâc viâ progredi: nam sic potitur pace tam internâ, quàm externâ *in vita*; judiciô Thomæ Kemp. & Pauli: *Quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos & misericordia Dei.* Quippe sic Religiosus sistit in suo cen-

tro, hoc est: assequitur finem suum, nempe perfectionem Religiosam; quæ, juxta Ascetas, consistit in exacta regularum observatione. Potitur pace & *in morte*; quia securè cum Augustino dicit: *Feci Domine, quod jussisti, da, quod promisisti.* 3tiò quia nihil utilius, quàm istâ gradi viâ. Hæc enim arcta est, sed recta ad Cælum ducit. Immò: qui ab illa non declinant, in vita beati sunt: *Beati, qui ambulant in lege Domini* Ps. 118. Leges enim nostræ continent omnes beatitudines Evangelicas. Hinc Vicarius Christi declaravit: vivum se canonizaturum, qui eas impleverit. Econtra *maledictus, qui non permanserit in omnibus, quæ in libro legis scripta sunt*; nec salutis certus est: Religiosis enim non aliam ad salutem Deus determinavit viam ex sensu Ascetarum, quàm executionem legum suarum: quâ derelictâ, indignos se reddunt gratiis efficacibus; & sic exerrant à semita justitiæ, & via salutis: ideo additum: Ambuletis per viam hanc, *ut vivatis.*

II. *Punctum 2dum.* Cogitabo: quid me impedit, nè curram viâ mandatorum S. Patris, seu regularum? Fortè *imò*: quia non tanti illas æstimo, ùt par est. Sed quanta stultitia, minùs æstimare regulas, quas Deus revelavit S. Patri; quarum aliquas Deipara dictavit; in quibus est digitus Dei, juxta effatum Pauli III; quas tota laudat Ecclesia Tridenti coacta: quæ

sunt

sunt efficacissimum medium ad perfectionem! *2dò:* impedit illa persvasio: Prætor minima non curat. At imprimis regulæ non sunt quid minimum, ùt constat ex dictis modò. Deinde, sint quid minimum: at obligavi me ad illas implendas. & hôc pactô promissa mihi vita æterna: At sæpe illarum observationi alligatur finalis gratia: at, qui in modico iniquus est, & in majori iniquus erit: quia in pænam violationis regularum permittetur labi in peccata gravia. At servus maximè fidelem se ostendit in minimis; & quia super pauca fidelis est, super multa constituetur. At Christus minimum apicem legis implevit pro salute mea! *3tiò:* impediunt respectus humani. Sed hi juvabuntnè me in morte? An non perdent? Nonne pluris faciendus Dei respectus? *4tò:* impedit persvasio hæc: Regulæ non obligant sub peccato: De hoc sit.

III. *Punctum 3tium.* Est peccatum, majus vel minus, pro circumstantiis; regulam violare *1mò;* juxta S. Thomam 2. 2. q. 186. a. 9. *Ex negligentiâ:* hoc est, ùt explicat P. Hermanni, *ex modica perfectionis cura.* *2dò:* Violare v.g. silentium, *ex libidine:* seu, ùt explicat Cajetanus: *Ex inordinato motu.* Quia quicquid fit ex inordinato motu, peccatum est; licèt ex se sit indifferens; ait Valentia *3tiò: Ex contemptu* regulæ vel superioris; ùt superior est.

4tò: Si regula respicit voti materiam; quia tūc etiam votum violatur. Vide Molina Tom. 3. Instit. *5tò:* Si respicit materiam præcepti: quia tunc violatur præceptum. *6tò:* Si respicit *Spiritualia*, ut meditationes, orationes, examina; quia tunc peccatur per acediam. *7mò:* Si respicit ædificationem proximi, ad quam tenentur lege naturæ, quibus incumbit alienæ salutis cura; inquit Gaudier Introd: c. 23. §. 3. Tales, præter regulas modestiæ, sunt multæ. *8vò:* Si violatio regulæ disciplinam lædit exemplô pravô. *9nò:* Si externis præbet scandalū; ut docet S. Thomas 2.2. q. 186. a. 9. in Corp. Vide plura apud Gaudier l. c.

IV. *Punctum 4tum.* Multi docent: Ex consvetudine regulas violare, esse mortale. Ità S. Thomas in 2. ad Cor. 13. Suarez Tom. 4. Relig. c. 4. Sanchez l. 6. sum. c. 4. Et apud ipsum alii. Azor & apud ipsum alii. Vasquez 1. 2. q. 96. op. 158. a. 6. Pelliz: tract. 5. c. 1. Tabiena v. Relig. Carthus. de Reform. claustr. a. 6. Elizal. in Doctr. mor. l. 8. q. 14. Rationes illorum sunt: *1ma:* Quia hoc est interpretativè regulas contemnere. *2da.* Est contemnere perfectionem. *3tia* Quia est graviter turbare domum. Vide Sanchez l. c. *4ta:* Est conjicere se in periculum violandi vota; ut fusè probat Elizalde q. 15. §. 3. *5ta:* Est conjicere se in periculum committendi

quæ-

quæcunq; mortalia; ex rationibus, quibus probavi, quòd venialia peccata disponunt ad mortalia. medit: 2.diei 2. *6ta:* Est intolerabilem esse Religioni, & expelli dignum Sanch. L. 6. Decal. c. 4. n. 18. *7ma:* Est infirmare finem Legislatoris. Vide Vasquez l. c. *8va:* Est in eo statu se locare, ut Religiosus non censeatur esse Religiosus; quod est graviter difforme rationi; ut deducit Elizalde l. c. *9na:* Quia, si superior graviter peccat permittendo violari regulas, (ut docetur cum Lugo de just. disp. 9. à n. 21.) tantò magis graviter peccat, illas libere violans.

Huc spectant rationes allatæ puncto 3tio medit. præced.

MEDITATIO VI.

De renovandis ornamentis Sponsæ Christi.

I. *Punctum 1mum.* Audiam Christum Matth. 22. *Quomodo huc intrâsti, non habens vestem nuptialem?* Cogitabo 1mò: Quantô studiô filii huj9 sæculi componunt, ac ornant se; ut oculis humanis placeant! nec labori, nec sumptui, nec molestiis, imò nec dolori parcunt. Quin & nonnulli, quasi lucis filii, seu Religiosi varii, quomodo seta capillorum torquent in cincinnos, gestus, vocem, faciem, vestes comunt!

cur non tantũ Deo, quantũ mundo; non tantũ saluti, quantũ vanitati; non tantũ animæ, quãtum carni? Cogitabo *2dò:* Si è nuptiis ejectus in tenebras ille, qui non habuit vestẽ nuptialẽ; quomodo admittetur sponsa squallida, centone tecta, non vestita veste nuptiali? porro per vestem nuptialẽ Chrysostom9 intelligit charitatẽ, Gregorius Opera charitatis, Hieronym9 morũ sanctitatẽ; Hilarius gratiã Spiritûs Sancti; Augustinus contra Faustũ per carentẽ veste nuptiali, intelligit quærentẽ suam, non Domini sui gloriã. Cogitabo *3tiò.* Si ad nuptias agni non admittitur sponsa, nisi præparata, hoc est ornata; quomodo admittetur ad thronum ejus? imò, cùm juxta Gregorium, ipsa sit *thronus DEI*; expedit magis ornatam esse, quàm thronum Salomonis, vel Assveri.

II. *Punctũ 2dum:* Audiã S. Paulum Rom. 13. *Induamur Arma lucis.* Arma lucis, juxta interpretes, sunt solidæ virtutes; quæ mirè nos ornant corã Deo. consistunt illæ *imò* in quattuor F. nẽpe: Fugere vel minimã labẽ animæ: Ferri semper in Deũ, præsertim per charitatem & orationem: Ferventer omnia agere, hoc est accuratè, ac ex motivo sublimi: Ferre molesta fortiter. *2dò:* in usu bono triplici: scilicet in usu temporis, in usu gratiarum, in usu talentorum & potentiarum internarum, & externarum, præsertim gustûs. *3tiò* in 3plici *sicut;*

idest,

idest, sicut vult Deus, sic agere, pati, vivere; sicut Sancti & perfecti viri: sicut Deo, superiori obedire. Hæc sunt arma lucis, quibus animam ornari Sponsus exigit.

III. *Punctum 3tium*: Audiam eundem S. Paulum 2. ad Cor. 8. *Providemus bona, non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Axioma fert: *Conscientiam Deo, famam proximo debemus.* Unde judició S. Anselmi: *Qui suam famam negligit, in proximi salutem crudelis est.* Ornaméta quoad homines exprimunt gemmæ Rationalis Exodi 28. Quatuor ordines gemmarum, sunt quatuor virtutes Cardinales, ait S. Hieron. Tres lapides in singulis ordinibus, sunt tres virtutes Theologicæ, inquit Beda. Lapis *Sardius*, quia generatur intra saxum, significat mortificationem externam, juxta Mendoza. *Topasius*, juxta Ambrosium, Tostatum, Alcazar, reprimit animi passiones! *Smaragdus* significat Virginitatem; ait Pierius; horret venerem, ùt docet Albertus magnus. *Carbunculus* significat ardentem zelum, juxta Pineda: *Si perfundatur aquâ,* (tribulationis) *magis lucet*; ait Plinius. *Sapphirus* dicitur à gemmariis; *gēma Cælestis*; de qua Nissenus: Orat. 14. *Sapphirus est, cujus cor, ea, quæ sursum sunt, vult, & respicit. Sapphirus est, cujus conversatio in Cælis,* seu Cælestis est; non terrena sapiens, non superba, non fastidiosa, non secularis, non mul-

tiloqua, non vaniloqua: sed modesta, humilis, exemplaris. *Jaspis* juxta Galenum, Stomachũ roborat; scilicet ad amara quævis concoquenda. Locò Jaspidis Hebræi ponunt hìc adamantem; qui significat infractum robur in tolerandis laboribus & adversis. *Lygurius*, seu juxta Hiero. *Hiacynthus*, significat obedientiã, & conformitatem cum voluntate DEI: nam de illo Solinus ait: *Cum Cælo colorem mutat. Achates* significat amorem solitudinis, & fugam solis publici; quia teste Plinio, pulchriùs lucet nocte, quàm die. *Amethystus*, juxta Rúeum, facit sobrios, & vigiles; quod à nobis exigitur 1. Petr. 1. *Chrysolitus*, inquit Ansel: Boëtius: *Est naturæ solis, cujus speciem aureo suo colore refert.* Significat, quòd lucere tantùm, sit vanum; ardere, parum; lucere, & ardere perfectum. Nam hæc est natura solis. *Onyx* Significat candorem, & innocentiam, juxta Alcazar. Juxta Rúeum, *reprimit animi tumorem, & fastum. Beryllus*, contra naturam aliarum gemmarum, *pulchrior est, non insertus auro*; dicit Plinius: quare significat paupertatem.

Hæ virtutes nos etiam hominibus commendant. Illas igitur studebo renovare, providebo media, petam gratiam.

Te Deum laudamus.

PRO

PRO RENOVATIONE II.

Renovationis nostræ Typus est Conversio Filii prodigi.

MEDITATIO I.

De Filii Prodigi Conversione.

I. *Punctum 1mum* Cogitabo 1mò: Adoptavit me Deus in filium, dedit amplam substantiæ portionem; nimirum tot naturalia bona, corporis, animæ, famæ, fortunæ. Nam juxta Hieron: *Substantia Dei est omne, quòd vivimus, sapimus, cogitamus, in verba prorumpimus.* An putem, quòd hæc in me temerè nullove fine projecerit? Ideo contulit, ut eis non aliter utar, quàm ad ipsius gloriam, olim illorum rationem rigidam redditurus. Contulit & tot bona supernaturalia, quia juxta Cornelium: *Substantia Dei sunt omnia bona naturæ & gratiæ.* Quid ego? deserui Patrem, in regionem longinquam abiî; hoc est, *in oblivionem Dei*, ùt explicat Augustinus: *Oblitus sum Domini factoris mei!* Toties autem sum oblitus, quoties illum offendi. Dissipavi substantiam, nam, ùt ait Theophilactus: *Qui egreditur domo à Deo, & se à timore Dei elongat, omnia Divina bona expendit, prodigit, dissipat.* Quod ipsum dedu-

cit Cornelius etiam de bonis naturalibus. Cogitabo 2dò: Quibus me viis elongaverim à Patre meo: Imprimis deserui viam mandatorum, seu regularum; quam ab initio arripueram; inii viam Jeroboam, quâ currere videbam imperfectos. Hâc deveni ad teporem in adhibendis mediis ad perfectionem. Indè pullulavit frigus in rebus spiritualibus; deinde nausea, tandem & earum neglectus, ùt meditationis, examinis &c. Exinde velut ex equo Trojano prodiêre mille mala. Et jam nihil erat, quod me penes Patrem meum, hoc est in fervore curaq; debita salutis detineret. Cogitabo 3tiò: Per hæc in quantam egestatem me conjeci! Deficit familiaritas & conjunctio cum Deo, horror peccatorum venialium: refrixit amor Dei, radices egit amor proprius; terrenorum imò desiderium, deinde sollicita successit cura. Tandem placuit pasci siliquis, & pascere porcos; seu brutales appetitus & passiones.

II. *Punctum 2dum.* In se tandem reversus prodigus; hoc est, agnovit miseriam suam; ingemuit, ad Patrem redire statuit. Illum ego secutus sum errantem, quidnî sequar pœnitentem? Redeundum ad Patrem est, eâdem viâ, quâ ille rediît. Nimirum 1mò *Reversus in se*, hoc est, perpendit miserum statum suum. *2dò:* Recogitavit delicias Paternæ Domûs, quibus

stultè

ſtultè privavit ſe ſe, propter unas nugas. *3tiò:* Concepit ſpem in bonitate Patris. *4tò:* Abrupit in redeundo moram, deſeruit ſiliquas, & porcos, id eſt animalem vitam. *5tò:* Deprecatus Patrem ſubmiſit ſe pœnæ: *Fac me ſicut unum de mercenariis.* *6tò:* Humiliavit ſe: *Non ſum dignus vocari Filius.* *7mò:* Doluit, deteſtatus peccata, confeſſus eſt: *Peccavi in cælum & coram Te.* Anima mea, vade & tu ad Patrem, & fac ſimiliter.

III. *Punctum 3tium* Placatum reperit Patrem filius prodigus, comiter acceptus, ornatus 1mâ ſtolâ. Non minùs miſericordem ego reperiam, quia Ezech. 33. *Impietas impii non nocebit ei, in quacunq; die converſus fuerit, ab impietate ſua.* Quod ut aſſequar: anima mea, *non tardes converti ad Dominum, & nè differas de die in diem: ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Eccli 5. Non tardes, *1mò:* Quia ſicut morbus, ità inveteratum peccatum, difficilè ſanatur. Arborem annoſam non evertes. Deut. 9. Nonniſi in brachio extento populus educi potuit ex Ægypto, quòd ibi diu manſerit. Lex peccati eſt violentia conſvetudinis, quâ trahitur & tenetur, etiam invitus animus; eo meritò, quo in eam volens illabitur, nec ſeriò de emergendo cogitat, ſed de die in diẽ ſaniora conſilia differt. inquit S. Hieron: *Ponit tales Deus in poſſeſſionem ericii*

Iſaiæ

Isaiæ 14. qui, dum horret partûs aculeos, illum detinet, quantum potest: at hic grandior factus, magis pungit in egressu. *2dò*: Per hanc dilationem pænitentiæ, insuper crescunt scelera, & in augmenta facinorum prosilitur, quoties securâ impunitate peccatur, ait Chrysost. hom: de Absalon. *3tiò*: Quia ineptiores reddimur ad bonum. Asperam & insvavē virtutum viam, facit consvetudo vitiorum; ut mirum non sit, nullum boni operis esse principium, in sordibus vitiorum subsistere: Principium vitæ melioris est, illa deseruisse. S. Hieronym.

Pater, peccavi in Cælum & coram te. Ingemisco tanquam reus &c.

MEDITATIO II.

De misero statu Filii prodigi deserentis Domum Patris; seu Religionem.

I. *Punctum 1mum*: Desertoris ejusmodi miser status *animæ*: Quia petulanter deserere Religionem, est mortaliter peccare. Rationem *1mam* dat S. Basil: In reg. fus c. 14. Quia talis, *sacrilegii scelere se obstrinxit, quippe qui seipsum Deo, cui se consecraverat, subterfuratus sit.* *2dam* Const: Mon: c. 22. Quia *magnam scandalorum se-*

segetem multis præbeat, perversoq; exemplo alios ad sui imitationem instiget. Per quod & Religionem infamat, dum facit, ut eam imperiti intolerabilem esse censeant. *3tiam:* quia tanquã recisum à corpore membrum debet mori, nempe Deo. *4tam:* Quia, *qui semel in defectionem hanc se præcipitavit, omni vitiorum genere cumulatur, intemperantiâ, avaritiâ, edacitate, falsitate, omniq; morum perversitate; & denique extremis malis infixus, in profundum nequitiæ præceps abit.* Nam tanquam Luciper profundiùs mergitur; quia de Cælo, quod est Religio, cecidit: intensiùs frigescit, quia de loco summi fervoris exiit in acre frigus: graviùs colliditur, quia se dedit ex alto, præcipitem. Id adeo verum est, ut juret S. August. ep. 137. quòd, *quomodo difficilè sit expertus meliores, quàm, qui in Monasteriis profecerunt: ità non sit expertus pejores, quàm qui è monasteriis exciderunt.* Si enim in calore frixerunt, quî fieri potest, ùt in frigore non congelentur?

II. *Punctum 2dum.* Miser status *corporis:* Quia *imò:* paucitas dierum ejus finitur brevì. Nam ex decreto Dei, qui sprevit, ac dishonoravit Matrem suam, nempe Religionem; non potest esse *longævus super terram,* Exod. 20. Præterea nonne breviat, & consumit vitam, Conscientia perpetuò rodens, & clamans Bernardi verbis: *Attende cor tuum, discute intentionem,*

con-

consule veritatem: cur abieris? cur ordinem tuum, cur fratres, cur locum deserueris? 2dò: Quanta miseria, tot immergi curis, requiem non habere ab ærumnis, angore, labore, periculis! illâ servitute stringi, quâ, ut se liberaret ethnicus Philosophus, aurum injecit mari! Rectè S. Augustinus Serm. 28. de verbis Apost. *Aurum, quod ærumna perquirit, quod avaritia cupit, quod solicitudo custodit; aurum materia laborum, periculosa res possidentium; aurum malus dominus, proditor servus.* 3tiò: Quia desertor ejusmodi cum filio prodigo seriùs aut citiùs *incipit egere*, premitur pauperie. Nam statutum est: *Egestas & ignominia ei, qui deserit disciplinam.* Proverb. 13.

III. *Punctum 3tium.* Miser status *famæ*. Quis enim æstimet salem infatuatum, & foras missum? quis non censeat conculcandum? Id enimverò prædixit Jeremias c. 17. *Recedentes à Te, in terra scribentur;* nimirum, ut calcentur, deleantur, obliterentur. Idem declarat S. Spiritus Eccli 3. *Quàm malæ famæ est, qui derelinquit Patrem,* seu Patriarcham Ordinis; *& est maledictus à Deo, qui exasperat Matrem,* seu Ordinem. Alii legunt: *Quàm execrabilis, infamis;* qui derelinquit Patrem! nam quis non execretur eos, qui deserunt Patrem; ut pascant porcos seu brutas cupiditates? quis absque stomacho cernat, eos pro modica lente, pro-

digerĕ primogenita? quis non damnet, videns eos, ùt inquit Bernardus; ep. 111. rursus in naufragium, unde nudi evaserant, revocari: rursus in ignem, unde vix semiusti exiêrant, relabi: rursus in latrones, à quibus sem vivi relicti fuerant, recidere: & militem Christi prope jam raptô Cælô triumphantem, ab ipso jam introitu gloriæ, tanquam canem ad vomitum, tanquam suem ad lutum redire? S. Ephrem postquam asseruit, tales etiam ab amicis, affinibus, à Parentibus despici: subdit: *Quis enim non irrideat, aspiciens eum, qui herì in Monasterio se ipsum ad ministerium Fratrum præcinxerat; hodie famulorum comitatu stipatum?* Videmus, desertores istos in altum niti; sed ùt Sysyphi lapides; imò, sicut lapides contaminatos, projici in locum immundum: 1. Machab. 4.

O beata Mater Religio! ô dulcis domus Patris mei! ô terrestre Cælum! non te deseram. Ut jumentum fiam apud te, utere me tanquã jumento, pasce tanquam jumentum, tracta velut jumentum. Meum erit, agere, quod jubeas; ferre, quod imponas; pati, quod infligas. O S. Pater quàm dilecta tabernacula tua! melior est una dies in atriis tuis, super millia. Hìc vivam, hìc moriar. Utinam vivam, ùt filius tuus; utinam moriar, ùt filius Tuus! Tibi gratiæ, quòd me adoptaveris in filium; mihi confusio faciei, quòd me non exhibuerim filium

um tuum. Protege me, fove me, affige tibi me; ut non deseram Te, ut non separer in æternum à Te.

Filius Prodigus mortuus erat, & revixit. Luc. 15.

MEDITATIO III.

De renovandis primitiis spiritûs.

I. *Punctum 1mum:* Cogitabo 1mò: Vera mors est, sejungi à Patre, hoc est à Deo. Ità Cyril. Alex. Orat. de exit. animæ. *Mors propriè est, non quæ animam dirimit à corpore, sed quæ animam à DEO separat.* Rationem dat Isidorus lib. de sum. bono. Vita corporis anima, vita animæ DEUS; & sicut corpus mortuum est sinè anima, ità anima mortua est sinè DEO. Confirmat Gregorius lib. 4. moral. c. 17. In scriptura mors carnis dicitur umbra mortis; quia sicut vera mors est, quâ anima separatur à DEO; ità umbra mortis est, quâ anima separatur à corpore. Consulā conscientiā, an animæ morte aliquando non interii, præsertim in Religione? O quantum monstrum, Religiosus, & peccatum mortale! exclamavit moriens P. Antonius Padillius. Cogitabo, 2dò: An saltèm non refrixit ille spiritus, qui fervebat in Religionis ingressu? Tunc non commoda quærebam,

rebam, non officia splendida, non plausus, nō gloriam inanem, non conversationes vanas. Viguit horror peccati vel minimi; legum vel minimarum, ordinis domestici, sensuum exacta custodia. Viguit studium mortificationis, orationis fervidæ, ædificationis, externæ pacis, & internæ, patientiæ, humilitatis. Vivitne nunc iste spiritus? ah evanuit! Ergo vivo sinè spiritu: ergo nomen habeo, quòd vivam, & mortuus sum. Igitur sicut prodigus in se reversus, hoc est (ùt legit Syrus) rediît ad animam suam & DEUM: ità mihi mortuo, redeundum est ad animam, & ad Deum fontem vitæ. Redeo ad te Pater misericordiarum, *in misericordia tua vivifica me.* Nunc cæpi vivere tibi: ô dextera Excelsi muta me!

II. *Punctum 2dum:* Filius prodigus in se reversus, seu ad priorem vitam à sua divagatione rediît; ùt Theophylactus explicat. Quid illum movit ad reditum? respondet Nissenus Tract. de orat. quòd movit *opprimens ærumna.* Quàm *lugubris ærumna,* fame perire vagum filium; dum in domo Patris alii vitæ panibûs abundant; gaudiô, pace, sanctis deliciîs affluunt in domo fervoris! Quàm *lugubris ærumna* ab exprobrante argui conscientia: *Charitatem tuam primam reliquisti:* ad perfectionem non progrederis, imò regrederis! quia navigas adverso flumine, dum remigare cessas, hôc ipso

retro

retro raperis. Confer primitias religiosæ vitæ cum vita præsente. Quàm *lugubris ærumna*, minantem audire DEUM Apoc. 2. *Prima opera fac; sin autem, venio tibi, & movebo candelabrũ tuum de loco suo.* O pænam tepidi! recedit ab illo Dominus, tanquam à Saule; dicit enim *venio tibi;* adeoq; cum illo non est per speciales gratias. Plùs est: movetur candelabrum ejus de loco suo, removetur ab altari propitiationis, exturbatur è societate ferventium, mancipat se cum frigidis societati diaboli. Sic enim Bernardus De mod. bene viv. c. 20. *Qui congregationem sanctam relinqunt, & ad sæcularem vitam descendunt; à societate DEI elongantur, atq; dominio diaboli subjugantur.* Anima mea, vide, quantis in periculis versaris! *prima opera fac*, redi ad fervorem pristinum.

III. *Punctum 3tiũ.* Ut revivifcat spiritus, medium *1mum* est: Non *servire porcis*, seu animalibus affectibus. *2dum:* In se reverti crebrò, inquirere sollicitè vel minimam in DEI servitio negligentiam, & punire; exemplô S. Patris, qui singulis horis discutiebat se, ùt scribit Maffeus Lib. 3. Vit. c. 1. Item S. Xaverii, ùt scribit Turselinus Lib. 6. Vit. c. 6. Item S. Borgiæ lib. 4. Vit. c. 4. Meditari de teporis damnis, de necessitate, utilitate, excellentia fervoris. *3tium* medium est: Animosè de veterno surgere, contra illum firma proposita statu-

ſtatuere. *Surgam, & ibo ad Patrem.* *4tum:* frequenter & exactè confiteri: *Pater peccavi.* Quod primam confeſſionem vocat Ambroſius. *5tum:* In omni opere meminiſſe præſentis DEI. *Peccavi coram te.* *6tum* eſt vera humilitas. *Non ſum dignus vocari filius tuus.* Quia DEUS, ſicut ſuperbis reſiſtit, ſic humilibus dat gratiam efficacem ad excitandum fervorem. *7mum:* ſunt generoſæ reſolutiones, ad ardua quævis in obſequio DEI ſubeunda: *Fac me, ſicut unum de mercenariis.* *8vum* eſt ardens charitas, ſeu *ſtola prima*, juxta Hieron. *9num:* Dignè paſci *vitulô ſaginatô*, qui juxta Gloſſam. Auguſt. Chryſoſt. eſt Chriſtus Euchariſticus, fons fervoris. *10mum* eſt *annulus*, qui juxta Gloſs, ſignificat *fidelitatem* in exequendis bonis propoſitis. *11mū* ſunt calceamenta, quæ ex mente Hieron. Aug. Ambros. ſignificant imitationem exemplorum rectorum.

O! prime & noviſſime, Spiritum primum innova in viſceribus meis! ô ignis conſumens, conſume frigus meum! Qui ignem veniſti mittere in terram, accende illum in anima mea! Qui nova facis omnia, renova me!

Fili-

Filius prodigus abiît plenus amplâ substantiâ, rediît vacuus & egenus.

MEDITATIO IV.

De renovanda paupertate.

I. *Punctum 1mum*: Audiam S. Jacobum c. 2. v. 5. *Nonne Deus elegit pauperes, divites in fide, hæredes regni?* Lubet esse *electum Dei?* lubeat esse pauperem; hoc est conformem imaginis filii Dei, qui cibi, potûs, amictûs egenus vixit; imò lubeat esse similem Deo, qui ab æterno se solo contentus erat. Socrates similem Diis dixit, qui paucis eget. Lubet esse *certum electionis* ad vitam æternam. Math. 19 v. 21. lubeat *relinquere omnia, & sequi Christum*. Lubet habere *signum electionis* hujus, quod juxta Patres est *pax animi?* si vis vacare animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis: inquit Seneca. Lubet habere *electionis causas*, seu virtutes? *arcta via virtutum est, non capit magna onera portantes*; dicit Lactatius. Hæc omnia cõfirmat S. Climacus: *Paupertas est abdicatio sollicitudinis sæculi, iter ad DEUM sinè impedimento, expulsio tristitiæ, fundamentum pacis, munditia vitæ; facit, ut Dei mandata perfectè exequamur.*

II. *Punctum 2dum*: Deus elegit *divites in fide*, seu generaliùs loquendo, *divites virtutibus*. So-

lum

lum illum Deus divitem novit, qui sit dives æternitati dicit S. Ambrosius. Et Gregorius veras divitias virtutes vocat; has autem paupertas tribuit. Quia: *Sicùt rerum facultates instrumenta sunt omnium vitiorum, sic rerum abnegatio generatrix, nutrixq; est omnium virtutum*; inquit S. Doctor. Quàm ergo verè dixit Paulus 2. Cor. 8. *Altissima paupertas abundavit in divitias!* non igitur honores, aut divitiæ quærédæ sunt, quæ dimittuntur: sed si bona quærimus, illa diligamus, quæ sinè fine habebimus; monet S. Gregorius. Et August: *Non tibi displiceat paupertas tua; nihil eâ ditius invenies*. Serm. 28. de verb. Apost.

III. *Punctum 3tium.* Pauperes elegit Deus *hæredes regni.* Mater nostra (ùt eam vocat S. Pater) paupertas, non solùm centuplum in hac vita providet suis filiis; immo, juxta Bern. ut eò magìs sint domini, quò minùs cupidi, sed etiam *hæredes instituit regni cælestis. ô quanta beatitudo, pro parvis magna recipere, æterna pro brevibus; & habere DEUM debitorem!* exclamat S. Hieronymus. *2dò:* Non solùm facit hæredes cæli, sed & citò illud possideri facit: *Magna quadam penna paupertatis est, qua tam citò volatur in regnum cælorum;* ait S. Bern. Utique sarcinîs abjectîs, citiùs viator ad terminum festinat; adeoquè citiùs illum attingit. *3tiò:* juxta eundem Bern:, in cælo præmiatur copi-

osius. *4tò:* faciet assidere Christo judici, & judicare, non tantùm sæcularia, sed & Angelos; hanc enim potestatem propriè judiciariam solis veris pauperibus promissam esse, docet Nazianz. & S. Thomas probat in suppl. 3. ptis q. 89. a. 2. Quid eligis anima mea, judicarene; an judicari?

IV. *Punctum 4tum:* Paupertatis obices sunt: concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. His tribûs dæmon tentavit Christum, ùt observat Chrysost. *Ruptîs ventris, & avaritiæ retibûs, retia ponit vanæ gloriæ.* At quomodo à Christo victus? *1mò:* inediâ. *2dò:* Oratione. *3tiò:* humilitate, quâ permisit se tentari. Eadē media removent paupertatis obices. *1mò:* Mortificatio, quæ, si, juxta regulam, in omnibus quæretur; negligentur ea, quæ carni sapiunt. *2dò:* Oratio, per quam hæc virtus à Deo postuletur: item frequens meditatio, & lectio de ejus fructibus, & præmiis; de oppositi vitii malitia, & pœnis. *3tiò:* Exercitium humilitatis internæ, & externæ. *Verus enim humilis nihil quærit extra DEUM.*

Anima mea, placet hostes vincere? nudi ergo cum nudis luctari debemus; quia, *si vestitus quisque cum nudo luctatur, citiùs ad terram dejicitur; quia habet, unde teneatur:* monet S. Gregor: Placet dignam esse Deo? *Incipe cum paupertate habere commercium, aude contemnere opes,*

& te

& te dignam finge Deo: nemo alius est Deo dignus, nisi qui opes contempsit; ait Seneca. Nimiùm avara es, ex sensu August., Si tibi DEUS non sufficit. *Quid gloriosius, quàm tua vendere, & Christum emere?* inquit idem S. Doctor.

Filius prodigus abiît vivendo luxuriosè, rediît carne mortificatus, abjectis brutis, quos antè pascebat, affectibûs.

MEDITATIO V.

De renovanda Castitate.

I. *Punctum 1mum:* Audiam Christum Luc. 12. *Sint lumbi vestri præcincti.* SS. August. Basil. Hieron. &c. sic exponunt: *Studete castitati;* Cogitabo 1mò: Sinè hoc studio non habetur sapientia: Quia, *quæ desursum est sapientia, pudica est:* Jac. 3. Super quod Clemens Alex. ait: *Domi, foris, semper est sapientis comes pudicitia.* Et Cornel. à Lap. *Disce, comitem individuam, & quasi sororem sapientiæ pudicitiam.* Sinè hoc studio nō habentur virtutes, nec earū radix gratia, nec dona Spiritûs S. Gen. 6. *Non requiescet spiritus meus in homine, quia caro est.* Mallet certè requiescere in cane putrido, quàm in cloaca luxuriæ. Confirmat hæc Tertull. *Pu-*

dicitia est fundamentum sanctitatis, & præjudicium omnis bonæ mentis. Sinè hoc studio non habetur cælum; quia decretum est: *Foris canes impudici.* Apoc. 22. Neq; molles possidebunt regnum DEI. 1. Cor. 6.

Cogitabo *2dò:* Hæc virtus omnem æstimationem superat: *Acquiri potest, æstimari non potest;* inquit Augustinus. Eccli 26. *Non est digna ponderatio continentis animæ.* Hinc continentibûs, quasi gemmîs pulcherrimîs Ecclesiæ monile decoratur, teste Hieronymo. Hæc virtus est *Margarita pretiosa* juxta Athan., *mortis & inferni profligatrix, Angelorum vita, corona Sanctorum: facit nos templum DEI, domicilium Spiritûs S.* Juxta Ambros: facit Martyres; juxta Paulum hostiam sanctam, DEO placentem; juxta Hieron. holocausta; juxta Paulum & August. sponsas Christi; juxta Basil. *facit Angelos & simillimos DEO;* imò juxta Hieron. Divinæ consortes naturæ; quinimò proximas DEO. Nam Sap. 6. *Incorruptio facit proximum esse DEO.* Hîs expensîs libebitne cum porcis Epicuri volutari in cloaca?

II. *Punctum 2dum.* Cogitabo, quid sit *non præcingere lumbos*, seu non studere castitati? Et 1mò: *Peccata contra hanc virtutem, non sunt delicta, sed monstra delictorum,* inquit Tertullianus. Si in sæcularibus monstra sunt, quid erũt in Religiosis? erunt monstra sacrilegiorum. Si

P. Pa-

P. Padillius dixit: O quantum monstrum, Religiosus & peccatum mortale! quantum erit monstrum: Religiosus & monstra sacrilegiorũ! *2dò*: Hoc *vitium est inextirpabile*, judiciô Hieronymi; quia, ùt ait Cornel. à Lap. unum ejusmodi peccatum relinquit stimulos ad alia. Plùs dicit P. Tylkowski Soliloq. 43. *Revelatum est: qui ætatem Christi in his sordibus hærens adæquat, eum ampliùs non surrecturum*. Liquet id ex eo, quòd etiam octogenarii senes ægrè se ab hoc coercent malo; si ei assveverant. *3tiò*: Chrysost. hom. 13. in Act. Apost. *Impura voluptas similis est voluptati, qua afficiuntur scabiosi, qui se scalpunt. Huic enim voluptati, quæ brevis est, succedit longior dolor & molestia*. Richard. à S. Vict. dicit: *Omnia flumina intrant in mare: id est omnes delectationes terminantur amaritudine*. *4tò* Templum DEI sumus. Sì quis autem templum DEI violaverit, disperdet illum DEUS; 1. Cor. 3 Quare præmonet Cyprian. *Demus operam, nè quid immundum templo DEI inferatur, nè offensus, sedem, quam inhabitat, relinquat*. Sumus imago Dei, 1. Cor. 6. illam conspurcare, quantum nefas! Induimus Christum per baptismum, juxta Apostolum; per sacras Communiones, juxta Chrysost. *Non fide tantũ, sed etiam re ipsa Christus efficit nos suum corpus*; imò ùt dixerat August. in seipsum nos convertit. Siccine Christum? siccine corpus ejus fædabimus?

III. *Punctum 3tium:* Audiam S. August. in ps. 92. *Succingi, est iter aggressuri: cingi, operis quippiam facturi; accingi, est præliaturi: præcingi, ministraturi.* Hæc sunt media ad studium castitatis. *1mum: Succingi* ad iter; hoc est *fugere* occasionem oppositi vitii: nam qui amat periculum in illo peribit. Imò qui se tantùm ingerit in periculum peccati, hoc ipso peccat, adeoq; perit. Quantò certiùs in ipsa impuritate perit, ubi nec materiæ datur parvitas, quæ minoret culpam! Ergo tanquam à facie colubri fugiendũ, nedũ peccatum fœdũ, sed & ejus periculum. Præsertim cùm puritas pulcherrima sit crystallus; sed nimis fragilis; pretiosus thesaurus, sed in vasis fictilibus; formosum lilium sed inter inimicas spinas, à quibus infestatur acerrimè. Itaq; monet Augustinus: Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam. Neq; tibi sit verecundia fugere, si castitatis palmam desideras obtinere. *2dum* medium est. *Cingi*, seu opere aliquo occupari. Quia classicum est illud Cassiani de aced. c. 23. *Laborantem Monachum uno dæmone pulsari, otiosum innumeris Spiritibus devastari.* *3tium* est: *Accingi* ad continuum prælium cum dæmone & carne; orando, Sacramenta ardenter frequentando, carnem castigando, & in servitutem redigendo; hic enim asinus inter commoda recalcitrat. Huc maximè

ximè confert imprimis potûs, cibiq; parcitas: Nam S. Thom. Opusc. 64. ait: *Panis etiam & aquæ satietas est timenda, ut possit in nobis acquisita puritas permanere.* Confirmat Hieronymus: Ubi satietas, ibi luxuria. Item: Nemo semper castus, qui non semper abstemius. Deinde confert & aliorum sensuum mortificatio. Nam ex mente Jeremiæ: *Mors intrat per fenestras istas.* Quæ enim sensibûs percipimus, ea effingunt imagines in sensu communi, seu phātasia; unde penetrant ad intellectum, & inclinant ad cogitationem illicitam; cogitatio autē prava delectationem parit, delectatio consensum, consensus actionem, actio consvetudinē, consvetudo necessitatem, necessitas mortem: inquit S. Bernard ex Glossa. *4tum* medium est: *Præcingi ad ministrandum*, seu exercitium obedientiæ & humilitatis. Ratio 1mi ex S. August: *Expedit inferius subjici Superiori; ut ille, qui sibi vult subjici, quod est inferius, se subjiciat Superiori: agnosce ordinem, quære pacem; tu DEO, tibi caro, tu majori, tibi minor.* Ratio 2di: quia juxta Ludovicum de Ponte: verè superbus, nunquam est verè castus; nam ex sensu SS. PP. in pænam superbiæ permittitur labi in peccata, quæ maximè rubore afficiunt; qualia sunt peccata luxuriæ.

Divine Spiritus fons puritatis, Tu solus potes facere mundum de immundo conceptum semine.

semine: Tum duntaxat est donum castitas: cõfer illud, custodi, serva, nec adaugere cessa. Mihi constitutum ac fixum est, potius in infernum, quam in obscænitatem labi.

De incontinentia ait Job c. 31. Hoc nefas est, & iniquitas maxima, ignis est usq; ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina (puta) virtutum.

Corporis & Spiritûs sanctitas, definitio Virginitatis est. S. Chrysostomus.

Filius prodigus abiit protervus, rediit submissus ad omnes nutus Patris.

MEDITATIO VI.

De renovanda obedientia.

I. *Punctum 1mum.* Audiam S. Paulum Hebr. 13. *Obedite Præpositis vestris.* Rationem dat 1mam: *Quia ipsi rationem reddituri sunt pro animabus vestris.* 2dam: *Ut gaudeant,* scilicet profectu vestro; prout exponit S. Ephrem. 3tiam *Ne gemant;* nempe vigilantiam suam irritam in vobis esse; sicut exponit Corn. à Lap. *Hoc enim non expedit vobis,* inquit Apostolus: quia teste Chrysostomo, *gemitus Prælati ob inobedientiam subditi, invocat DEUM; ut ipse eam graviter ulciscatur.* Econtra obedientiam quanti æstimat DEUS? liquet ex benedictione Abrahæ. Quãti æsti-

æstimat Christus? vitam perdidit, nè perderet obedientiam. Quæ domi privatus egit, taceri voluit in Evangelio: illud solùm reticeri noluit: *Erat subditus illis* Luc. 2. Quanti Deipara? *Obedientiâ concepit* ait Aug. & Epiph. Quanti S. Pater? constat ex ejus epistola; & quòd in hac maximè virtute nos velit excellere. Et meritò; nam obedientia, juxta Augustinum, *est maxima virtutum, est principium & mater illarum.* Juxta Gregorium. *sola est, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasq́, custodit.* Hinc Joannes XXII. præfert illam paupertati & castitati, dicens: *Paupertas magnum donum est, majus integritas; sed maximum obedientia: quia ima rebus, 2da carni, 3tia menti dominatur & spiritui.* Idem docet S. Augustinus, & Angelicus *2. 2.* q. 186. a. 8. c. triplici ratione probat.

II. *Punctum 2dum:* expedit fructus obedientiæ. Quid est obedire Præpositis? 1mò: juxta Climacum: *Vivere in obedientia, nihil aliud est; quàm suum onus altorum humeris imponere, & natare super altorum ulnas; & quasi dormiendo, iter ad Cælum facere.* Quare obedientiam vocat: *Rectum & tutum ad Cælum iter.* *2dò:* est vivere tranquillè. Unde S. Borgias dicebat: Obedientiam esse navim securam; in qua Religiosus ridet ventos, & turbines maris. *3tiò:* est in Christo manere, & Christum in se; quia: *Qui servat mandata ejus, in illo manet, & ipse in eo:* 1. Joan.

Joan. 3. manet, inquam, dicit Corn. à Lap., per amorem, per directionem, per patrocinium. *4tò:* est unire suam voluntatem voluntati Dei, juxta Gregorium. *5tò:* vir obediens loquetur victoriam de *diabolo;* inquit Gregor. L. 4. in 1. Reg. cap. 5. *de mundo;* inquit S. Ephrem: *de carne;* inquit S. Bernar. Serm. in festo omnium SS. *6tò: obedienti nihil temporis sinè lucro transit;* dicit S. Franciscus; quia omni actione meretur; quia Dei placitum implet. Jam, juxta S. Thomam 2. 2. q. 154. a. 2. omnis actio nostra desumit meritum ex eo, quòd fiat ad implendum placitum Dei. Hinc sequitur, quòd licèt Superior peccaret, imperando; subditus meretur obediendo; quia obedit Deo. Nam, ùt S. Benedictus ait: *Obedientia, quæ majoribus exhibetur; Deo exhibetur.* Itaq; monet Bernardus: Illum, quem pro Deo habemus, tanquam Deum, in his, quæ non sunt apertè contraria Deo; audire debemus.

III. *Punctum 3tium:* expendit damna inobedientiæ. Quid est non obedire? est in medio populi Dei, esse Dathan, Core, Abyronem: Est inter filios Dei esse filium Belial: est esse ariolum: *Quasi peccatum ariolandi est,* repugnare. Est esse idololatram. *Quasi scelus idololatriæ est, nolle acquiescere.* 1. Reg. 15. Est Christum spernere: *Qui vos spernit, me spernit* Luc. 10. Qui Regis Legatum, aut Vicarium spernit; Regem spernit.

spernit. Est, non tendere ad perfectionem; quæ tendentia consistit in implenda voluntate Dei, juxta S. Thomam supra citatum. Voluntatem autem Dei, dicit esse voluntatem Superioris. Est, vacuum esse charitate Dei; quæ, juxta eundem S. Thomam, non potest stare sinè obedientia; sicut nec obedientia sinè charitate. Immo est, vacuum esse omnibûs virtutibûs; quia harum *fundamentum est obedientia*; inquit S. Basilius. Est, esse abjectum à Deo: *Pro eo, quòd abjecisti sermonem Domini; abjecit te Dominus* 1. Reg. 15. Est, non habere partem cum Christo: quia Petrus, aliàs beatificatus à Christo; quòd ex humilitate nollet sibi ab illo pedes ablui; audivit: *Non habebis partem mecum.* Ex quo S. Basilius infert 1mò: nullam sinè obedientia virtutem placere Deo. 2dò: nullum crimen ità puniri, ac inobedientiam.

IV. *Punctum 4tum.* expendit media ad obedientiam. Hæc S. Pater suggerit. *1mum* est: humilitas & mansvetudo; quia, ut ait S. Leo: *Nihil arduum est humilibus, & nihil asperum mitibus.* Et S. Laurent Just. Tantò quisque in obedientia erit perfectior; quantò apud se fuerit v lior. *2dum* est: In persona Superioris non hominem intueri, sed imaginari Christum. Sic & Apostolus Colossenses hortatur, ut Præpositis obediant, sicut Deo, & non hominibus. *3tium* est: habere pro certo, quòd, quidquid

Supe-

Superior vult & jubet; hoc DEUS vult & jubet. *4tum:* nunquam improbare in animo, semper autem magnifacere, & amare; quod præcipitur. Nam, juxta prædictum S. Leonem: Non durâ ibi necessitate servitur; ubi diligitur, quod jubetur.

Anima mea: utique Superior, cui te per votum subjecisti, est Vicarius Christi; est imago Christi; sive interim aurea, sive argentea, sive testacea sit: nihil refert. Ergo obedi sicut Christo, obedi promptè; obedi simpliciter, & humiliter; obedi constanter & in omnibus; obedi cæcô modô; monet Asceta noster. Tunc primùm proficies, quia tunc primùm imitaberis Christum; tunc primùm fundamentum virtutum pones.

Te Deum laudamus.

Ad Majorem DEI Gloriam

Omnia subjicio judicio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.





RERUM INDEX

Com-

Ma-

Re-



